ACCADEMIA DI MEDICINA ★ TORINO

JO. FRANCISCI SCARDONÆ
CIVIS RHODIGINI
In Patria Scientiarum Academia Medicinæ Lectoris

APHORISMI
DE COGNOSCENDIS
ET
CURANDIS MORBIS

Uberrimis commentariis, atque animadverſionibus illuſtrati,

Quibus quæſtiones ſingulæ, quæ cum in theoriam, tum in praxim medicam cadunt, hodie maxime illuſtres ſedulo pertractantur, diſcutiunturque.

EDITIO ITALA TERTIA

AUCTIOR, ET RETRACTATIOR.

LIBER TERTIUS
De Morbis imi ventris.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLXII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

JO. FRANCISCI SGARDONÆ

CIVIS RHODIGINI

In Patria Scientiarum Academia Medicina Lectoris

APHORISMI

DE

CURANDIS MORBIS

Ubertatis contemplatio, atque animadversionibus illustrati,

Quibus quæstiones singulæ, quæ cum in theoria, tum in praxim medicam cadunt, hinc inque illatæ locis petitæ, dilucidantur.

EDITIO ITALA TERTIA

AUCTIOR, ET RETRACTATIOR.

LIBER TERTIUS

De Morbis imi ventris.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLXII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

I. De Nauſea, & Vomitu. 1

II. De Cholera humida, & ſicca. 13

III. De Diarrhœa, Dyſenteria, Teneſmo. 24

IV. De Ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 37

V. De Doloribus inteſtinorum non inflammatoriis, & ſpeciatim de Colica. 46

VI. De Lumbricis. 60

VII. De immodico hæmorrhoidum fluxu, earumque tumore. 70

VIII. De affectione Hypochondriaca. 80

IX. De Scorbuto. 99

X. De Ictero. 111

XI. De Renum, ac Veſicæ calculis. 132

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fra Franceſco Antonio Mantoa* Inquiſitor Generale del Santo Officio *di Padova* nel Libro intitolato : *Jo. Franciſci Scardonæ Rhodigini Aphoriſmi de Cognoſcendis, & Curandis Morbis &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 21. Marzo 1762.

(*Marco Foſcarini Kav. Proc. Rif.*
(*Alviſe Mocenigo IV. Kav. Proc. Rif.*
(*Polo Renier Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 125. al num. 561.

Giacomo Zuccato Segr.

Regiſtrato

Franceſco Gadaldini Segr.

APHO-

APHORISMI
DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.
LIBER TERTIUS.
CAPUT I.
De Nauſea, & Vomitu.

1. *Nauſea eſt irritus vomendi conatus, vomitus vero violenta per ſuperiora expulſio contentorum in ventriculo, inque proximis viſceribus, ab inverſo motu periſtaltico œſophagi, ventriculi, & ſæpe duodeni, nec non diaphragmatis, & Muſculorum Abdominis convulſiva contractione plus minus violenta dependens.*

II. *Cauſa hujuſce convulſivæ contractionis, vel in ventriculo hæret, vel in partibus cum ventriculo inſignem communicationem habentibus: orta hinc celebris illa in idiopathicum, & ſympathicum vomitum diviſio.*

III. *Illius cauſæ remotæ ſunt materia craſſa, viſcida, mucoſa ventriculi parietibus tenaciter adhærens. 2. nimis tenuis, acris, ac bilioſa. 3. ſanguis e vaſis ventriculi erumpens in ejuſdem cavum. 4. tumor inflammatorius, ſcyrrhus, callus ventriculi, ingeſtorum nimia copia, emetica acria, & laxantia, cathartica fortia, venena quamplurima corroſiva, fungi, aliaque id genus.*

IV. *Sympathici ſunt inflammationes inteſtinorum, dolores colici, iliaci, herniæ, ac prolapſus inteſtinorum, vermes, nephritica affectio, læſiones capitis, diaphragmatis, hepatis, lienis, uteri aliorumque viſcerum.*

V. *Cauſæ externæ ſunt ira ſumma, motus in rheda, navi, aſpectus rei ingratæ, aut imaginatio fortis, maxime in pueris, & mulieribus, rerum, quæ noxiæ fuerunt.*

VI. *Signa præſentis vomitus ſunt moleſtia circa præcordia, huic ſuperveniens vertigo, & ſalivæ copioſus fluxus, tremor labii inferioris, & tandem vehemens ventriculi conatus, quo omnia contenta rejiciuntur.*

VII. *Signa vomitus pituitoſi ſunt excretio materiæ craſſæ, viſcidæ, tenacis, ſenſus ventriculi gravativus, inappetentia inſignis, os muco plenum, aliaque id genus plane diverſa a ſignis bilioſi vomitus; cujuſmodi ſunt excretio tenuium, acrium, varii coloris humorum,*

morum, ardoris, punctionisque sensus, sitis, & similia.

VIII. Sanguinei sunt ventriculi gravitas, punctorius, & tensivus hypochondrii sinistri dolor, sanguinis atri, fuscique coloris, congrumatique, perquam raro fluidi, rutilique ejectio.

IX. Consuetus vomitus certis temporibus recurrens, quo insipidum phlegma, aut subamarus, vel acidus succus ejicitur, salutaris.

X. Vomitus cachecticis, & febribus intermittentibus diebus judicialibus sponte superveniens, salutaris.

XI. Vomitus sanguinis in iis mulieribus, quibus suppressæ sunt menstruæ purgationes, omnis periculi fere expers est. E contra in gravidis ob metum abortus.

XII. Solum vomitus, qui modum non servat, qui diuturnus est, & per quem boni, laudabilesque succi excernuntur, cohibendus.

XIII. Pituitoso vomitu laborantibus sal absynthii a ℈ i. ad ʒ s. ex cocl. suc. limonum bis, terve in die præscribatur. Qui si minus votis respondeat, arcan. duplicat. tartar. vitriolat. sal armoniac. ac flor. ejusdem a ℈ ii. ad ʒ i. in decoctione theiformi absynt. agrim. centaur. minor. adhiberi possunt.

XIV. Quibus frustra adhibitis, si æger facilis sit ad vomendum, robustus, nihilque emesim prohibeat, radix Ipecuacan. a ℈ ii. ad ʒ i. ex decoctione Card. Benedict. exhibenda, imperando, ut vomitu remedii vi excitato, juscula tenuia tepida hauriat æger.

XV. Si quid vomitum prohibeat, ad aquam Tetutianam deveniendum. ℞. Aqu. Tetut. Lib. iii. in primo cyath. solvantur mel. rosat. unc. iii. pro una, & sic pro aliis per tres, aut quatuor dies: vel vero ad solventia tartarea, resinosa, gummosa, c. m. sunt crem. tartar. ad unc. i. tartar. solub. a ʒ ii. ad unc. .s. inter prima: inter alia gum. ammoniac. galban. sagapen. a ʒ .s. ad ʒ i. cum salibus supradict. ut cum syrup. de cichor. cum rhabarb. q. s. f. pillulæ: vel vero Aloes succotrin. a ℈ i. ad ʒ .s. trochiscor. alhand. a gr. x. ad xii., ut cum iisdem salib. & syrupo fiant pillulæ qualibet tertia, aut quarta die exhibendæ, non omissis intermedio dierum salibus supradictis.

XVI. Facta purgatione quolibet die bolus ex Diascord. Fracast. ʒ .s. exhibeatur.

XVII. Quæ dum fiunt extrinsecus panis tostus aceto optimo imbutus adsperso pulvere florum Chamomillæ, & tantillo croci regioni ventriculi applicandus.

XVIII. Tandem sequens elixirium in usum vocandum. ℞. Extract. absynt. centaur. min. agrimon. gentian. flor. chamomil. sal. tartar. a unc. i. flavedin. cortic. aurantior. amar. ab omni albumine separ. unc. iv. Vin. malvat. Lib. iv. M. f. maceratio in loco tepide per tres dies, dein facta expressione filtretur, & detur ad unc. iii. quotidie hora altera prandium.

XIX. Si vires præ molesta materiæ ingratæ rejectione dejectæ sint, vinum vetus odoriferum pro potu ordinario cum tantillo Myrrhæ concedi potest.

XX. Cave tamen, ne vinum acescat in stomacho; tunc enim a vino abstinendum prorsus, vel leve tantum concedendum.

XXI. Decoctum Caffè cum elixir. proprietatis Paracels. a gut. xx. ad xxx. loco elixirii supra descripti adhiberi tuto potest. Ita & elixir vitriol. Minsicht. Stomach. Michael. eadem dosi: nec non tinctur. absynt. calamint. Menthæ a ʒ i. ad ʒ ii.: quibus in fine ad appetitum restaurandum succus citri addi potest, spirit. vitæ Math. spirit. mastich. ad gut. aliquot.

XXII. In bilioso vomitu solo oleo amydal. dulc. s. i. r. e. contentus sum, nec non aqua copiose ingesta, vel jusculis tenuibus, sero lactis ad alvum solvendam: non omissis pro alterante quotidie pulverib. e chel. cancror. matr. perlar. ter. lemn. ter. sigil. a ℈ i. ad ℈. ii. in levi decoctione cichoracea: vel eorum loco pulver. absorbent. Vvedelii dempto vitriolo martis eadem dosi.

XXIII. Clysteres quoque emollientes in pauca quidem quantitate, sed frequenter injici curandum.

XXIV. Educta materie peccante, conservam rosar. vel cydonior. mane ante prandium præscribo, syrupos etiam cydon. limon. berber. ex aquis plantagin. tormentil. exhibeo.

XXV. Cibi grati, & jucundi sint.

XXVI. Vomitus sanguinei curatio eadem fere, ac hæmoptyseos.

XXVII. Si vomitus contumax fiat ad hypochondriacum vergens, curatio affectionis hypochondriacæ instituenda, de qua infra.

COM-

COMMENTARIA,
ATQUE ANIMADVERSIONES
IN APHORISMOS
DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.
LIBER III.
CAPUT I.

De Nauſea, & Vomitu.

I. *Nauſea eſt irritus vomendi conatus, vomitus vero violenta per ſuperiora expulſio &c.*) Nemo ignorat, pluribus conſtare tunicis ventriculum, quarum maxime inſignis illa videtur, quæ mediana, & carnoſa dicitur. Hanc fibris muſcularibus conſtitui miro quaſi, & inextricabili ordine convolutis manifeſta res eſt. Aliæ quidem, quæ longitudinales ventriculi longitudinem abbreviant, aliæ, quæ circulares orificia claudunt, aliæ ventriculi amplitudinem amplectentes contrahunt, omnes vermiculari quodam, ſeu periſtaltico motu a ſuperioribus partibus ad inferiores progrediente donantur, quo fit, ut ea, quæ in ventriculo continentur macerata prius, & ſoluta ſenſim a pyloro, qui patens eſt, expellantur. Si igitur quacumque de cauſa motus vermicularis a ſuperioribus partibus ad inferiores propagatio turbetur, ecquis eſt qui non videat, irritum tantum vomendi conatum, quem nauſeam dicimus, exoriri? Si invertatur omnino, vomitum, quo ea, quę in ventriculo continentur, per œſophagum protruduntur, ſuperata vi fibrarum illarum muſcularium, quæ illum coarctant, & claudunt, excitari, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Si inverſio hæc validior fuerit, validas etiam convulſiones tunicæ muſcularis inteſtinorum, Duodeni præſertim, & Septi tranſverſi, & muſculorum Abdominis excitabit; hinc non ſolum ea, quæ in ventriculo continentur, ſed etiam quæ in inteſtinum Duodenum conſluunt, cujuſmodi ſunt bilis, ſuccus pancreaticus, per os, & vomitum ejicientur. Vomitum a ſolis muſculis Abdominis perfici aliquando Medicis perſuadere voluit Cl. Tournefortius (1). Hanc tamen ſententiam, ut oſtendit Heiſterus (2), rejecit Schelhammerus. Chiracus vero, & poſtea Du Verneus (3) a motu diaphragmatis ſimul, & muſculorum Abdominis abſque concurſu ventriculi eumdem excitari ſuſtinuerunt. Adverſus hos pugnavit Cl. Littrius, & ventriculum ad vomitum concurrere gravibus rationibus evicit, quem ipſi nos cum ſanioribus Medicis in præſens ſequimur.

II. *Cauſa hujuſce convulſivæ contractionis vel in ventriculo hæret, vel &c.*) Nullum fere viſcus eſt, nulla humani corporis pars, quæ cum ventriculo, & Duodeno inſignem, planeque mirabilem conſenſum non habeat. Ut enim ſilentio prætéream inteſtina omnia, meſenterium, pancreas, hepar, ductum choledochum proxime cum ventriculo eſſe connexa, liquet ex anatome, per ramos e nervo vago intercoſtali, & tunicas, quæ ipſis ſunt communes cum diaphragmate, aliiſque thoracis, & abdominis partibus, per plexum vero renalem, qui cum ſtomacho connectitur cum renibus, per nervum tandem vagum cum cerebro, & corde communicare. Manifeſtum eſt igitur, non ſolum in ventriculo, & Duodeno hærentem ſtimulum fibrarumque ventriculi motum periſtalticum invertentem vomitui ex-

(1) *in catal. plantar. Pariſienſ.* (2) *in annot. ad compend. Anatom. p.* 282.
(3) *Hiſt. Acad. Reg. an.* 1700.

citando parem esse, sed quocumque alio in loco, & viscere repositum; per summam enim, atque admirabilem illam inter hasce partes connexionem, ut una affecta, alteræ quoque licet longe dissitæ afficiuntur, convulsionem puta a renibus male affectis oriundam ipsi ventriculo communicari contingit, ejus motum peristalticum inverti, & vomitum cieri. Vomitus, qui a ventriculo proxime, & immediate affecto enascitur, idiopathicus; qui vero ab aliis partibus cum eodem communicantibus, sympathicus appellatur, ut de Epilepsia dictum est. Qua de re plura alibi dictum (1).

III. *Illius causæ remotæ sunt materia crassa, viscida, mucosa &c.* 2. *nimis tenuis &c.*) Dum tenax, ac viscida materies villosæ tunicæ ventriculi adhæresci, fibras, quibus eadem contexta est, gravat, & molesto quodam sensu afficit. Fibræ sic affectæ inordinatim, atque inconcinne moventur. Quod dum fit, contrahi inferiores contingit, contractas vero vim adversus superiores facere, hinc pylorum occludi, & coarctari, œsophagum vero distrahi, ideoque cæteris ventriculi partibus versus œsophagum adductis, adjuvante musculorum Abdominis, & Diaphragmatis motu, per orificium, quod patens fit, expelli. Idem plane dictum velim de materia acri, ac biliosa easdem mordente, ac vellicante, & de sanguine e vasis ventriculi erumpente. *Acri* inquam, & *biliosa*; quo nomine venit non tantum humor, qui ob nimiam tenuitatem, stimulandique virtutem, maximam habet cum bile affinitatem, sed bilis ipsa, quæ in ventriculum ad naturalem famem excitandam, digestionem ciborum promovendam interdum confluit. Quod aperte negavit Pitcarnius, cujus tamen sententiam observationes, atque experimenta virorum in re medica præstantissimorum adeo infirmant, ut nullus dubitem, ut qui sibi libentissime blandiri velit, hac relicta in priorem iturus non sit. In pisce cyprino, aliisque in aqua dulci, & salita degentibus ductum bilis in ventriculum desinere observatum est: quod ipse Malpighius observavit in insectis (2): Cl. Vallisnerius in anatome struthiocameli bilis portionem usque ad ejus stomachum, & ventriculum ascendere, reliquam vero intestina versus descendere: Academici Parisienses in stomachi fundum bilem exonerari, dissectione quinque hystricum diligenter instituta deprehenderunt: Leonardus a Capua in hirundine marina, alii in lupo, unde ejus voracitas in proverbii consuetudinem venit. Vesalius ipse idem se vidisse in Remige quodam continuo esuriente testatus est. At si in hoc, & reliquis recensitis Animantibus bilis ad stimulandum, digestionemque ciborum juvandam concurrit, cur negetur, famem quoque ab eadem excitari, omnino non video, ut ipse Vallisnerius testatus est: imo si major ejus quantitas in ventriculi cavitatem effundatur, ut præ nimio stimulo, atque irritatione nerveæ ejusdem fibræ convellantur, earumque motus peristalticus invertatur, quid est, cur ad credendum vehementer non adducamur, vomitum supervenire?

4. *Tumor inflammatorius, scyrrhus, callus ventriculi.*) Tumorem inflammatorium ventriculi, scyrrhum, callum vomitui excitando opportunissimum existere tam manifesta res est, quam quæ manifestissima. Ecquis enim est, qui non videat, stagnante sanguine, vel lympha in vasis ventriculi, præternaturales, & violentas contractiones, distractionesque nervearum fibrillarum, inconcinnos, atque inordinatos motus excitari, qui peristalticum motum ejusdem invertere valent? Si de callo ventriculi speciatim sermo fit, non solum vomitus contumaciissimos progignit, quod blandæ illæ, æquabiles, atque ordinatæ fibrillarum contractiones a superioribus partibus ad inferiores tendentes pertubentur: sed etiam quod orificium dexterum ventriculi tali vitio interdum ita arcte occluditur, ut nil trajici per ipsum possit, quemadmodum in viro quodam vomitu contumaciissimo consumpto, ac mortuo, atque ejus cadavere dissecto Bononiæ vidisse bona fide testor.

Ingestorum nimia copia.) Ingesta nimia copia cum stomachum nimis gravent, stimulo eidem, ac molestiæ sunt, unde inordinatus motus excitatur, qui blandum, atque æquabilem, seu peristalticum invertit. Huc accedit, eadem ipsa copia plus æquo distendi posse, ac fieri, ut dexterum ventriculi orificium occludatur, vel saltem angustius reddatur, ita ut a ventriculo prompte elabi non possint, vel mora facta cor-

rum-

(1) *Lib.* 1. *Cap.* 9. (2) *De glandul. conglob. ad regiam Societat. Anglic.*

rumpantur, ac ſtimulando idonea evadant, vel incoctis etiam remanentibus pondere ſaltem ſuo ventriculi fibras moleſte affi-ciant, quæ propterea ad moleſtiam illam excutiendam ſpaſmodice contrahantur.

Emetica acria, & laxantia.) Simile plane quidpiam evenire perſpicuum eſt, ſi ea quæ ingeruntur, acrimonia peccent, & quidem tanta, ut non prius e ventriculo elabantur, quam ejuſdem fibras vehementer ſtimulaverint, atque ad violentas, & minime ordinatas contractiones ſollicitaverint, unde motus ventriculi periſtalticus invertatur. In horum cenſu veniunt emetica, quæ acria dicuntur. Sunt porro alia, quæ non ſtimulando operantur, ſed qualitate alia, quæ ſtimulandi virtute æque pollet. Ejuſmodi ſunt laxantia, uti oleoſa, pinguia, aquoſa calide, & copioſe epota, quæque ſiniſtrum ventriculi orificium laxant, nulla ne minima quidem alteratione in dextro orificio facta. Cum enim fibræ orificii ſiniſtri laxatæ multum ſui roboris, & elaſticitatis amittant, fibris dextri in naturali ſtatu remanentibus, neceſſario conſequitur, ut hæ validius, & fortius ſeſe contrahentes illis prævaleant, & ex virium inæqualitate motus ventriculi periſtalticus invertatur, atque ea, quæ in ventriculo continentur, per os protrudantur.

Cathartica fortia.) Ut cathartica medicamenta vomitum inducant, valida eſſe debere, quæque vim ſuam ſtatim in ipſum ventriculum exerceant, vel parum infra ipſum, facit potiſſimum ea ratio, quod niſi has conditiones habuerint, e ventriculo elabentur, priuſquam fibras ſtimulando ad violentas, & non ordinatas contractiones ſollicitaverint, ideoque purgatio ſuperveniet. Neque putandum eſt, auctum motum, quem purgantia in inteſtinis excitant, ad ſupremas uſque ventriculi partes propagari, ita ut aptus ſit ad contenta e ſtomacho protrudenda; per longum enim inteſtinorum tractum propagatus majorem in modum langueſcit: niſi forte in Duodeno impuritates adſint, & ſordes, quæ impedimento ſint, quominus ad cætera inteſtina irritanda pervenire purgantia poſſint, ideoque vim ſuam exerceant in Duodenum fibrarum ejuſdem motum perturbando, atque invertendo, unde vomitus.

Venena quamplurima corroſiva, fungi &c.) De venenis, præſertim arſenico, ſandaracha, mercurio ſublimato, aliiſque hujuſmodi tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Particulis enim cauſticis, erodentibuſque feta ſunt, quæ cum ventriculi, tum cæterorum viſcerum fibras ad enormes, atque effrænes motus ſollicitant, ut violentæ excretiones per ſuperiora, & inferiora, dolores capitis, vertigines, deliria, pulſus obſcuritas, inæqualitas, cordis palpitationes, ſyncope, urinæ ſuppreſſiones, ſudores frigidi, totius corporis tremores moleſtiſſimi, ac concuſſiones, quæ paſſim in iis obſervantur, qui talia venena aſſumpſerunt, manifeſto demonſtrant. Quamquam vero dantur venena, quæ licet corroſiva non ſint, vim tamen ſuam in ventriculum, atque proxima viſcera exercent. Id obſervavit Hildanus de fungis venenatis (1), & Hippocrates hiſtoriam affert cujuſdam, qui ab eſu fungorum vehementi vomitu excitato interiit.

IV. *Sympathici ſunt inflammationes inteſtinorum, dolores colici, iliaci, herniæ &c.*) Dum ſanguis in inteſtinorum vaſis ſubſiſtit, ſeu inteſtina inflammantur, eorumdem membranæ ſenſu exquiſitiſſimo præditæ ea ratione afficiuntur, qua opus eſt ad ſpaſmodicas inſignes contractiones, quibus periſtalticus ipſarum motus invertatur. Inverſo periſtaltico inteſtinorum motu, ventriculi quoque inverti contingit, unde vomitus. Hoc idem evenit in doloribus, ſeu a fæcibus induratis, ſeu a flatibus, ſeu ab humoribus craſſis, viſcidiſque hærentibus inteſtino colo, vel ileo; hoc idem in hernia, & prolapſu inteſtinorum, ut præ cæteris Cl. Frid. Hoffmannus teſtatus eſt, qui maxime in ſenibus hernioſis, ubi ingens inteſtinorum copia prolapſa fuit, per plures annos inſignem, ac mirabilem amurcæ quantitatem quovis tertio, vel quarto die vomitu redditam vidit.

Vermes.) Vermes quoque in inteſtinis latitantes non alia de cauſa vomitum cient, quam mordendo, ac rodendo inteſtinorum fibras, eorumque motum æquabilem, & ordinatum perturbando, atque invertendo, qui inverſus motus ad ventriculum uſque, & æſophagum propagatur. Neſcio an uberius, quam ab hoc fonte repetendi ſint contumaciſſimi vomitus in pueris, quibus contabeſcunt.

Ne-

(1) 4. *obſ.* 34.

Nephritica affectio, læsiones capitis &c.) Quotiescumque calculus in renibus, vel ureteribus impactus sit, vel inflammatione eædem partes corripiantur, vomitum constanter sequi, ut inter signa diagnostica nephriticæ affectionis maxime propria recenseatur, facit potissimum, quod violentæ, ac spasmodicæ contractiones, quæ a renibus, aut ureteribus excitantur, per plexum renalem dextrum, & sinistrum cum stomacho insignem communicationem habentem, ejusdem fibris communicatæ ipsarum motum peristalticum perturbant, atque invertunt.

Quid quod capite male affecto a contusione e. gr., vulneribus, doloribus inveteratis, atque vehementibus, diaphragmate, hepate, liene, aliisque visceribus aliquo modo detentis eadem de causa enascitur? Inordinatos nempe, ac perturbatos harum partium motus ventriculi fibris per nervum vagum communicari contingit, earumque motum invertere, unde vomitus.

V. *Causæ externæ sunt ira summa.*) Iræ pulcherrima laus est minus esse pernicialem, quam cæteræ animi affectiones, ut notat egregie Bacco de Verulamio (1). Immo interdum salutaris est, ut monet Hippocrates (2): in iis enim hoc remedii genus commendat, qui ex assiduo leguminum usu crurum impotentes facti fuerunt, cujus sententiam confirmarunt etiam Horstius (3), qui paralyticum triennalem ob hostis præsentiam in furorem actum e lecto repente prosiliisse, atque eumdem invasisse tradit; Valeriola (4), qui paralysim inveteratam, & singultum enormiorem iræ beneficio sanatum describit. Quid quod adversus podagram valere plurimum observarunt Pechlinus (5), & Bartholinus (6)? Tertianas, quartanasque febres contumaciissimas ira profligatas testantur *M. N. C.* (7), Parœus (8). Si tamen modum excedat, plurimi, iique graviissimi morbi enascuntur. Frequentissime vomitus. Cum enim in ira spiritus animales hac illac cæco impetu irruant, mirandum non est, peristalticum ventriculi motum inverti, unde vomitus. Huc accedit, in ira summa bilem ab hepate per ductum choledochum in duodenum ob irregularem spirituum motum, solidarumque partium, quæ ejusdem secretioni dicatæ sunt, spasmodicam constrictionem exprimi in ventriculum insigni copia, regurgitare, ibique irritando, ac mordendo vomitum ciere.

Motus in rheda, navi, aspectus rei ingratæ, aut imaginatio fortis.) Vomitus, qui a motu in rheda, navi excitatur, non aliunde repetendus est, quam ex eo, quod talis motus spirituum animalium motum perturbat, a perturbato spirituum animalium motu, cum totius corporis, tum ipsius ventriculi fibræ varie, inordinateque concutiuntur, hinc peristalticus eorumdem motus invertitur, unde vomitus. Qua de re plura dicemus cap. de affectione hypochondriaca.

Ab eodem fonte repetendi sunt vomitus in iis, qui aliqua imaginatione forti tenentur, præsertim si delicatiores sint, ut mulieres, & pueri, propter molliores, infirmioresque nerveas fibrillas, quæ ad insuetas motiones vehementius suscipiendas præ robustiorum hominum fibris sunt opportunæ. Quanta sit vis imaginationis ad perturbandum motum fibrarum nostri corporis, liquet ex Epilepsia, quam a forti imaginatione excitatam testatus est Baglivus; ex notis rei appetitæ, quas mulieres gravidæ infantibus imprimunt: ut mittam eos, qui oscitantem, aut vomentem cum viderint, oscitant, & vomunt, nec non illos, qui cum edentes intueantur, salivant, unde in proverbii consuetudinem venit: *salivam moveri iis, qui aliquem cibum appetunt*. Qui plura cupit, adeat lib. 1. (9), ubi argumentum hoc fuse pertractavimus.

VI. *Signa præsentis vomitus sunt molestiæ circa præcordia &c.*) Quemadmodum per summam, atque admirabilem inter nervosas partes connexionem, ut una affecta, altera quoque licet longe dissita afficiatur, commodissime explicantur vomitus, qui sympathici dicuntur, atque ex stimulo extra ventriculum reposito ortum traducunt; ita ea facillime explicari posse videntur, quæ vomitum comitantur. Undenam enim molestia illa circa præcordia, undenam super-

(1) *in hist. vit. & mort.* (2) *lib. 2. Epidem. sect. 4.*
(3) *lib. 3. conf. epist. 12.* (4) *lib. 2. obs. 4.* (5) *lib. 3. obs. 28.*
(6) *hist. anat. cent. 6. hist. 28.* (7) *Dec. 2. an. 3. obs. 93.*
(8) *lib. 1. cap. 25.* (9) *Cap. 8.*

perveniens vertigo, salivæ fluxus, tremor inferioris labii, & alia ejusmodi symptomata repetenda, quam ex violentis, & minime ordinatis ventriculi contractionibus, præcordiis, faucibus, ori, capiti, aliisque partibus communicatis, unde varie, inordinateque concussis nerveis filamentis opticis vertigo excitetur, spasmodice constrictis glandulis salivalibus serum copiose exprimatur, varie exagitatis musculis maxillæ inferioris motui inservientibus, tremor labii superveniat?

VII. *Signa vomitus pituitosi sunt excretio materiæ crassæ, viscidæ &c.*) Summopere utile est, ac perneccssarium medentibus vomitus differentias desumptas ex materia ventriculi fibras ad violentas, inordinatasque contractiones sollicitante cognoscere, ne sine discrimine eadem in omnibus remedia adhibeantur magno ægrotantium damno. Symptomatum differentia vomitum pituitosum, ac biliosum significantium pendet potissimum a materiæ morbum facientis diversitate. Viscidam, ac tenacem materiem ventriculi parietibus inhærentem, ac vomitum excitantem, præterquamquod conjunctam habere debere excretionem muci viscidi, ac tenacis perspicuum est, accedit præterea, nonnisi ventriculum gravare posse, succos digestioni ciborum, ac fami naturali excitandæ destinatos obruere, atque impares muneri suo reddere, unde sensus ventriculi gravativus, inappetentia insignis, aliaque subsequuntur id genus; cum tenuis nimis, atque acris sit pungere, mordere, etiam vomitum, tenujum, acrium varii coloris humorum, ardoris, punctionisque sensum comitari contingit, sitim, & similia.

VIII. *Sanguinei sunt ventriculi gravitas, punctorius, & tensivus hypochondrii sinistri dolor &c.*) Quamvis vomitus sanguineus a vasis ventriculi sanguiferis ejus substantiam perreptantibus disruptis, erosis, aut alia ratione affectis sanguinem in ventriculi cavum effundentibus oriri possit, nullo vitio in liene, vicinisque partibus existente; plerunque tamen lienis obstructionem pro causa agnoscit. Obstructus enim, infarctusque cum sit lien, sanguinem ab arteria splenica provenientem recipere nequit; stagnante autem sanguine circa arteriam, & venam splenicam, necesse est, ut magna ejusdem copia trajiciatur in vas breve, quod in ventriculum desinit, eoque distento plus æquo, ac disrupto, in ventriculum exoneretur; hinc liquet, cur præter divulsionis fibrarum ventriculi sensum, qui probabiliter a vasorum disruptione pendet, tensivus plerunque hypochondrii sinistri dolor comitetur, non aliunde quam a sanguine circa arteriam, & venam splenicam hærente, easque distendente repetendus. Liquet etiam, cur sanguis, qui vomendo ejicitur, atri, fuscique sit coloris, & congrumatus. Antequam enim e vasis ventriculi erumpat, in prædictis partibus subsistens, cessante globulorum ejusdem motu, atque agitatione, ruborem, fluiditatemque amittit, hinc atri, fuscique coloris ejiciatur necesse est. Cum tamen evenire possit, ut ab arteriis disruptis, exesisque effundatur, nullo in liene, aliisque visceribus vitio existente, perspicuum est, interdum rutilum, floridumque erumpere posse, mixtum tamen pituita ventriculi viscida, ut Cl. Etmullerus adnotavit.

IX. *Consuetus vomitus certis temporibus recurrens, quo &c. salutaris.*) Ad praxim commodissima divisio vomitus est in consuetum, & accidentalem. Illius rursus in periodicum, vel nullam periodum servantem. Periodi exemplum præbent illi, quibus singulis hebdomadis, aut mensibus ab incongruis succis ventriculus exoneratur. Talis enim vomitus est earum rerum, quæ ventriculum gravant, quæque noxiæ hominibus, atque infestissimæ evaderent, nisi extra corporis confinia qua data porta educerentur. Ejusmodi sunt, quæ a ciborum digestione relinquuntur, quæque mora in ventriculo facta, in insipidum phlegma, aut acidum succum degenerant. Ob id potissimum vomitus, qui tales conditiones habuerit, salutaris censendus est.

X. *Vomitus cachecticis, & febribus intermittentibus diebus judicialibus &c.*) Neque inutilis est divisio vomitus in naturalem, & artificialem. Naturalis quidem solet appellari, quem natura per se ipsam concitat nullo adjuvante artificio. Artificialis vero, quem digiti, vel penna oleo illita in fauces immissa, vel liquor aliquis, aut quodcumque corpus, quod irritandi vi præditum per os assumptum promovet. Naturalis vel ea expellit, quæ naturæ inimica sunt, vel ex mera naturæ irritatione,

ne, atque intempeſtive ſuſcitatur. Ille ſalutaris eſt, hic nullatenus. Hiſce breviter delibatis haud inſolens, atque arduum explicatu crediderim, cum febribus intermittentibus diebus judicialibus vomitus ſponte ſuperveniens ſalutaris ſit. Pravi enim humores, qui ab hepate, pancreate, glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillant, quique in primis viis collecti certo, ſtatoque tempore aptam ſanguini ad excitandam febrem materiem ſuppeditant opportuno ad excretionem tempore, diebus ſcilicet judicialibus excernuntur, unde imminentem paroxyſmum præcaveri contingit, vel ſaltem leviorem fieri, & febrem ſenſim ſenſimque tuto, feliciterque debellari.

XI. *Vomitus ſanguinis in iis mulieribus, quibus ſuppreſſæ ſunt menſtruæ purgationes &c.*) Dum ſanguis, qui per uterum excerni debuerat, intus cohibetur, plenitudo fit inſignis, qua vaſa ventriculi venoſa brevia dicta majorem in modum diſtenduntur, diſrumpunturque, hinc vomitus ſanguinis, ut & Hippocratis (1), & Foreſti (2), Panaroli (3), Roderici a Caſtro (4), Hoechſtædteri (5), aliorumque obſervationibus compertum eſt; quem vomitum parum, aut nihil pertimeſcendum eſſe facit potiſſimum ea ratio, quod ablata plenitudine, ac nimia vaſorum diſtentione, diſrupta vaſa facile conſolidari contingit, ac coaleſcere. Huc accedit, evocatis menſibus etiam recidivæ periculum omne tolli, ut præ cæteris adnotavit Hippocrates (6), ubi ait: *Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus ſolutio fit.* Eadem fere de cauſa & gravidæ in vomitum ſanguinis frequenter incidunt. Fit enim, ut totus ſanguis, qui ante geſtationis tempus per uterum excerni ſolebat, eodem ipſo geſtationis tempore in nutritionem fœtus minime feratur, præſertim ſi plethoricæ ſint mulieres, opiparis cibis liberaliter indulgeant, & vena ad nimiam ſanguinis plenitudinem tollendam minime ſecetur. Quod ubi contigerit, concurrente ſolidarum partium vitio, vomitum ſanguinis ſequi debere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Hic porro vomitus quamvis per ſe minime periculoſus ſit, cum a ſola plenitudine oriatur, fit tamen periculoſus, quatenus reciproca illa Muſculorum Abdominis, & Diaphragmatis contractione, qua viſcera imi ventris majorem in modum concutiuntur, abortus ſequi poteſt, eoque magis ſi copioſa ſit ſanguinis excretio, per quam neceſſarium, ac ſufficiens fœtui nutrimentum auferatur.

XII. *Solum vomitus, qui modum non ſervat, qui diuturnus eſt, &c.*) Egregie monet Hippacrates (7): *In perturbationibus ventris, & vomitionibus ſpontaneis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter tolerant: ſin minus, contra.* Quo aphoriſmo docere viſus eſt Hippocrates, in curatione evacuationum, ſive per alvum, ſive per os, illud quam diligenter conſiderandum eſſe, num criticę ſint, num modum ſervent, num per eaſdem materia inutilis ejiciatur, vel e contra ſymptomaticę ſint, atque ex mera naturę irritatione oriantur, num ea quę excerni non deberent, materia ſcilicet utilis, atque boni, laudabileſque ſucci copioſe excernantur. Si primum, cohibendas non eſſe, ſed tamdiu ſinendas, quamdiu ſunt opportunę: Sin alterum, e contra reprimendas.

XIII. *Pituitoſo vomitu laborantibus ſal abſynthii &c.*) Nullum magis acceptum, probatumque remedium Riverio, Sydenhamo, aliiſque ad vomitum compeſcendum, quam ſal abſynthii. Fateor me eodem in quibuſcumque vomitionibus vix, ac ne vix quidem ad cauſam irritantem reſpicientem uſum fuiſſe. Mirum in nonnullis vomitum incantamenti ad inſtar ſedatum, in aliis e contra auctum potius, gravioremque non ſemel deprehendiſſe. Quę res effecit, ut rem ſedulo pro ingenii modulo ad examen revocarem, ac viderem quibus tandem vomitionibus compeſcendis par idem eſſe poſſet. Quod nulla meliori ratione me prętare poſſe ſum arbitratus, quam principia abſynthii indagando. Totam igitur plantam oleo eſſentiali plus minus amaro, & aromatico, ſale plus minus tenui, ac volatili conſtare experimentis ſollertiſſimorum virorum compertum habui, ideoque ad deficientem ſoli-

(1) *lib. de morb.* 5. 32. (2) *lib.* 16. *obſ.* 25. (3) *Pentec oſt.* 1. *obſ.* 6.
(4) *De morb. mulier. lib.* 1. *cap.* 3. (5) *Dec.* 3. *caſ.* 7.
(6) 5. *aph.* 34. (7) 1. *aph.* 2.

lidarum partium motum, atque elaterem augendum, ad laxiores fibras conſtringendas, ac firmandas, ad craſſiores ſuccos attenuandos, tenaces incidendos, ad mucoſas quiſquilias alicubi impactas, adhęrenteſque diſſolvendas aptiſſimam. Salem, qui fit ex lixivio cinerum plantę combuſtę, quod rite percolatum evaporatur ad ſiccitatem uſque, adeo acrem eſſe inveni, ut ſolum in parca doſi, & multo liquore dilutus, aut viſcidulo corpore involutus exhiberi poſſit, ne acrimonia ſua gulam, & ventriculum lędat. Quibus rite perpenſis hęrere mihi diutius non licuit. Ad eredendum enim vehementer adductus ſum, ſolum vomitioni a fibrarum ventriculi laxitate, a materia craſſa viſcida, ac lenta ejuſdem parietibus adhęrente opitulari. Atque hinc liquido conſtare arbitror, cur ſi medicamenta ex abſynthio deſumpta ſine diſcrimine adhibeantur in quibuſcumque vomitionibus, eaſdem interdum augeant, ac graviores efficiant. Nempe vomitus a fibrarum rigiditate, criſpatura inſigni, convulſiva, & ad inflammatoriam tendente tenſione, ob acres, atque erodentes ſuccos non modo non ſedant abſynthiaca remedia, ſed ita augent, ut fere inſanabiles reddantur. Apte cadunt in hunc locum obſervationes Sim. Paulli, quibus deprehenſum eſt, helluones fere omnes, qui ad appetitum ſollicitandum vinum abſynthites, aut tincturas ſtomachicas, ac ſpirituoſas ingurgitant, plerunque macie conſumptos evadere. Si in vomitu pituitoſo, ſeu a craſſa, ac viſcida materie ventriculi parietibus inhærente, ac fibrarum ejuſdem laxitate adhibeatur, niſi eumdem compeſcat, pulcherrima ſaltem ejuſdem laus eſt, eamdem materiem attenuando, incidendo, quod cæteri omnes lixiviales ſales, & medii, quos memoravimus, faciunt ea ratione alterare, qua opus eſt ad promptam, facilemque excretionem. Obſervatione dignum eſt, quod narratur in M. C. (1) de cive quodam, qui cum abſynthium plane averſaretur, conſilio cujuſdam pharmacopœi granis aliquot ſalis abſynthii fixi aſſumptis, non minus conſueta ſymptomata, deliquium, ſtomachi ſubverſionem paſſus eſt.

XIV. *Quibus fruſtra adhibitis, ſi æger facilis ſit ad vomendum &c. radix Ipecuac.* &c.) Duplex eſt modus, quo præparati humores expelli poſſunt, per vomitum nempe, atque alvum. Nonnulli cum eoſdem humores in ventriculo hærentes animadverterint facilius per vomitum arte excitatum educi poſſe, ad emetica confugiunt. Vehementer enim contractis ventriculi fibris, ac totius abdominis, viciniſque partibus valide concuſſis, fieri minus vix poteſt, quin humores ventriculi parietibus adhærentes per œſophagum, atque os protrudantur. Qui modus purgationis maxime probatur Fernelio (2), ubi ait: *Vomitus purgationum omnium præſtantiſſimus eſt; quia noxios humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & evacuat, omnemque in ventriculi capacitate, ac ejus tunicis hærentem illuviem in primis expurgat, e præcordiorum membranis, e cavis jecoris, lienis, ex pancreate omnis generis ſupervacaneos humores elicit, quos plerunque neque hiera, neque aliud vehementiſſimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare potuit.* Nos ab his ſumus, dummodo tamen eæ conditiones ſerventur, quas attigimus, ut ſcilicet emetica coindicentur a conſtitutione corporis valida, in qua videlicet & ſtomachus ad vomendum proclivis ſit, & viſcera ſatis robuſta, & nihil prohibeat, quominus tuto eadem exhiberi queant. Sed quod caput eſt, ad emetici delectum ſummopere attendendum eſt, ita quidem ut lenia, quæque laxando potius, & lubricando, quam irritando operantur, neque vehementia, atque acria adhibeantur: illa enim ſæpe ſæpius in ſtomacho remanent, cruditatem augent, majoriſque oneris ſunt; hæc vero violentas in ſtomachi fibris contractiones excitando graviſſimas moleſtias creant. Mediocria omnium tutiſſima ſunt, atque in vomitu quidem Ipecacuanna cæteris omnibus præferenda; non ſolum enim educendo humores ventriculi parietibus adhærentes operatur, ſi vomitum cieat, ſed etiam partes ſtipticas communicando, quibus laxatæ ejuſdem fibræ in priſtinum elaterii ſtatum reſtituuntur.

XV. *Si aliquid vomitum prohibeat, ad aquam Tetutianam &c.*) Nemo ignorat, aquas Tetutianas inſigni ſalſedine præditas eſſe. Quæ ſalſa ſunt ad attenuandum, incidendum, atque abſtergendum plurimum valere manifeſta res eſt: hinc eſt, aquas Tetu-

(1) *an.* 6. & 7. *obſ.* 199. (2) *de vom. cap.* 3.

Tetutianas ſalſedine ſua lentos, viſcidoſque humores ventriculi, & inteſtinorum parietibus tenaciter adhęrentes attenuando, incidendo, abſtergendoque vomitu laborantibus egregie opitulari. Solent largius, & liberaliter exhiberi, ut ventriculum, & inteſtina ſuo pondere gravantes, mordacitate irritantes per alvum viam ſibi facilius aperiant. Sed hac de re plura alibi. Si forte contingat, ut aquę Tetutianę in promptu non ſint, aut ferri a ſtomacho nequeant, aut minus commode, quam delicata ęgri conſtitutio velit, diſſoluta tamen materies per ſales lixivioſos, aut neutros per ſolventia evacuanda eſt, inter quę tartarea, reſinoſa, gummoſa in ventriculi morbis a craſſa mucoſaque materie ejuſdem parietibus tenaciter adhęrente eminent, ceu quę incidendo, digerendo, abſtergendo operantur.

XVI. *Facta purgatione quolibet die bolis ex Diaſcord. Fracaſtor. &c.*) Salubre practicorum accuratiorum poſt Cl. Sydenhamum conſilium eſt, cuilibet purgationi opiatum aliquod medicamentum ſubjungere, quo commotio omnis, atque irritatio a purgante medicamento excitata ſedetur. Quod ſi unquam pręſtandum, id maxime pręſtandum eſſe poſt purgationem ad vomitum compeſcendum inſtitutam, quam violentę, & non ordinatę fibrarum ventriculi contractiones pręceſſerunt, luce clarius apparet. Narcoticam vim habent Theriaca, Mithridatum, Diaſcord. Fracaſtorei, alięque ſimiles compoſitiones propter admixtum opium, quę propterea ſine diſcrimine, ubi ſedandum ſit, uſurpari poſſunt. Qui tamen a nimia ingredientium farragine abhorret, nullus dubito quin Diaſcord. Fracaſtorei cęteris anteponat, quod etiam Sylvius in quorumvis humorum acrimonia commendat.

XVII. *Quæ dum fiunt extrinſecus panem toſtum aceto optimo imbutum &c.*) Innumerabiles fere ſunt facultates, quibus panis toſtus, & vino generoſo imbutus, ſi intus ſumatur, prędítus eſt. Pręcipuę ſunt vires vel ab inſigni defatigatione, vel a nimia ſanguinis evacuatione labefactatas reficiendi. Ita Henricus ab Heer (1) virum quemdam a Veneris abuſu viribus fere omnibus deſtitutum, ac languentem hoc remedii genere ab Orci faucibus eripuiſſe teſtatur. Ad abortum etiam pręcavendum plurimum facit, quemadmodum obſervationibus Cl. Reuſneri, & Velchii compertum eſt. Pares inſunt vires, ſi externe applicetur. Ita Democritum in extrema jam ſenectute conſtitutum, atque imminentem finem ſentientem odorem panis recenter cocti in gratiam ſororis ad triduum mortem remoratum eſſe, tradidit Diogenes Laertius (2). Panem etiam naribus admotum a lipothymia liberare auctor eſt Laurentius Joubertus. Panem cum carui ſemine coctum, & ex furno recenter extractum, ac diſſectum, & auri calide fomenti loco applicatum valere plurimum adverſus ſurditatem, & Riverii (3), & Reuſneri (4), & Hoffmanni auctoritate (5) evincitur. Hiſce accenſenda facultas, quam habet panis toſtus, & aceto optimo imbutus ventriculo applicatum vomitum compeſcendi, ut propterea infantes, quibus interna medicamenta infeſtiſſima ſunt, ſimpliciſſimo hoc remedii genere diris vomitionibus liberentur.

XVIII. *Extract. Abſynth. Centaur. minor.*) Multę ſunt plantę aromaticę, quas ſtomachi amicitia claras fecit, quęque ad eumdem roborandum aptiſſimę exiſtunt. Inter has primatum obtinent Abſynthium, Centaur. min. Agrimon. ut deduci poteſt ex obſervationibus a Pachequo derivatis, qui uſu decoctionis ex iiſdem plantis paratę inappetentiam in famem caninam deſiiſſe teſtatus eſt. Similis quoque facultas ineſt gentianę, flor. chamomil. flavedini cortic. aurantiorum, & hujuſmodi, eaque potiſſimum ratione ſubtilis cujuſdam, ac volatilis olei, quo fęta ſunt, cum ad mucaginem ſpiſſam ventriculi parietibus adhęrentem diſſolvendam, tum ad laxiores ejuſdem fibras firmandas aptiſſimi. Hinc elixirium ex extractis iſtarum plantarum cum vino malvatico eximii uſus in morbis ventriculi a craſſa, viſcida, tenacique materie ejuſdem parietibus adhęrente orindis.

XIX. *Si vires præ moleſta materiæ ingratæ rejectione dejectæ ſint, vinum vetus &c.*) Vires in hoc morbo interdum prę moleſta in-

(1) *obſ. medic.* 18. (2) *in lib. de vita philoſoph. 9.*
(3) *prax. med. lib. 3. c. 2.* (4) *obſ. med.* 55.
(5) *diſſert. de præſtantia remedior. domeſticor.*

ingratę materię rejectione ita dejiciuntur, ut animi deliquia immineant. Tunc vero ſuaviter olentia, & vires confortantia ſunt exhibenda; inter quę principem obtinet locum vinum optimum odoriferum cum myrrha. Summam illi ineſſe facultatem ad vires confortandas liquet ex Furio, ſeu ut alii malunt, Sutrio comico inter Veteres non ſpernendo, qui meretricem quandam Gliconem cognomine dictam in ſcenam ducit, quę quo alacrius exercitiis venereis fungi poſſet, *Myrrhinum*, inquit, *mihi affer, quo virilibus armis occurſem fortiuncula*.

Hinc ab Hebręis Jeſui datum, non ut levarent, quemadmodum teſtatur Thom. Bartholinus, cujus meminit Lanzonus, ſed ut magis illum affligerent a levamine illo fortaſſe abhorrens, quod in tam diro cruciatu ab odore myrrhę exhaurire poterat.

XX. *Cave tamen, ne vinum aceſcat in ſtomacho &c.*) In pleriſque hominum, quorum ſtomachus laxus eſt, lentiſque mucis acidis ob pręcedentes indigeſtiones obſtructus, vinum quantumvis lene, ac molle facile aceſcit, ac propterea ructus, tormina, inflationes, atque alia incommoda a paſtu progignit. Tunc vero juſtus ſubrepit timor, ne plus damni quam emolumenti ex ventriculi roboratione ſequatur. Pręſtat porro tales aqua uti, vel levi vino, ut pręcęteris notat Cl. Tozzius inquiens: *Quod pariter obſervare licet in iis omnibus, qui a nativitate debilem ventriculum ſortiti ſunt; in his enim ſalubrior aquæ uſus eſt, quam vini, licet de languido ſtomacho conquerantur, modo vinum imbecille non ſit, quale græcis oligophoros dicitur.*

XXI. *Decoctum Caffè cum elixir. propriet. Paracelſ. &c.*) Ex analyſi in R. S. A. P. inſtituta ſeminis torrefacti Caffè conſtat oleo craſſiore empireumatico, & particulis igneis per torrefactionem impręgnato cum portione ſalis volatilis urinoſi conjuncto fętum eſſe. Quo apparet, non inutile prorſus eſſe decoctum adeo familiare in privatis, publiciſque ędibus, atque ad craſſos, lentoſque humores attenuandos, ac diſſolvendos, ad laxatas partes roborandas, ſpiritus recreandos, ideoque adverſus ventriculi imbecillitatem, ciborum faſtidium, vomitum a lentis, viſcidiſque humoribus ventriculi parietibus inhęrentibus apprime facere. Hinc eſt, Turcas, atque Mahometanas nationes hac potione frequentiſſime uti, quoniam magna fructuum, aquæ, & cucumerum copia, a quibus ſtomachus mirum in modum debilitatur, cruditateſque in eodem gignuntur, ſaturantur. Neque aliter evenire cenſendum eſt, ſi conſideremus effecta, quę ejuſdem uſum ſequuntur. Videmus enim ingenium acui, mentem quaſi torpeſcentem excitari, & ad functiones obeundas alacriorem fieri, promptioremque, ſomnum arceri, diureſim, menſes cieri, atque interdum alvum ſubduci. Quare ſalubre eſt conſilium, eodem parce utendum eſſe, nec hominibus hæmorrhagiis, vigiliis, cordis palpitationibus, ſpaſmodicis morbis obnoxiis, quorum propterea humores nimis ſoluti ſunt, & ſalibus acribus turgidi, præſcribendum eſſe. Fieri enim poteſt, ut ſulphureæ ſanguinis partes ſulphureis, atque volatilibus Caffè principiis plus æquo ſolvantur, ac ſui juris factæ variis morbis anſam præbeant. Quæ ubi diligenter teneas, minus miraberis cur elixir propriet. Paracelſ. tincturas abſynt. calamint. elixir vitrioli Minſicht. ſtomach. Michael. aliaque id genus in hoc caſu ad ſtomachum poſt ſolutam materiem viſcidam, atque foras eductam, corroborandum loco elixirii ex extracto abſynt. aliiſque id genus compoſiti, cum decocto Caffè exhiberi tuto poſſe dixerimus. Spirituoſis enim, tenuibus, activis, ac penetrantibus particulis conſtant, quæ citra ſtomachi laxitatem, & mucoſarum ſordium præſentiam nimium motum, æſtumque concitarent.

XXII. *In bilioſo vomitu ſolo ol. amygd. dulc. &c.*) Uti in vomitu pituitoſo a craſſa, ac viſcida materia ventriculi parietibus adhærente attenuantibus, incidentibus, abſtergentibus corrigenda; ita in bilioſo acre principium per ea quæ involvunt, diluunt temperandum, ſimulque irritatas nimis, ac convulſas partes demulcendas, emolliendaſque, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Oleum amygdal. dulcium, aqua copioſe ingeſta, ſerum lactis, atque alia ejuſmodi virtute hac maxime donantur. Quarum rerum exempla nobis præbent Chymici, qui vim aquæ fortis corroſivam duobus modis infringunt, affuſione ſcilicet olei, vel aquæ. Si primum fiat, particulæ acidiſſimæ aquæ fortis a

ramentosis olei partibus obruuntur, involvunturque, fitque magma quasi quoddam, quod corrodendi vim fere omnem amittit; sin alterum, aquæ fortis particulæ dissociantur, sejunguntur, & ad erodendum impares redduntur. Quanta sit vis aquæ ad causticas, erodentesque particulas diluendas liquet præ cæteris ex Cl. Sydenhamo in epistola ad Robertum Bradii referente historiam cujusdam hominis, qui cum haud exiguam Mercurii sublimati quantitatem deglutivisset, repetitis haustibus aquæ tepidæ sanatus est. Horum omnium pulcherrima laus est irritatas nimis, & convulsas partes demulcere, laxare, & si ingens sit vomendi conatus, materia vero propter nimiam acredinem, ac subtilitatem minime excernatur, excretionem ejusdem promovere. De absorbentibus alibi (1).

XXIII. *Clysteres quoque emollientes &c.*) Si ullo in vomitu Clysteres conveniunt, in illo maxime conveniunt, in quo acres, erodentesque humores peccant, ac solidæ partes nimis irritatę, & convulsę sunt. Emollientes tamen, non stimulantes, ut plerique solent in spem adducti, ut credant, materiem irritantem ad inferiora averti, atque evacuari. Verendum enim est, ne plus damni ex stimulo in nerveas intestinorum fibrillas inducto, quam emolumenti ex materię excretione per alvum sequatur. Emollientes porro tutissimi sunt, quippe qui non solum alvum lubricando, crassasque fęces in crassis intestinis hęrentes dimovendo, educendoque tenuiores, subtilioresque humores a tenuibus, & quod consequens est, ab ipso ventriculo ad alvum invitant, sed etiam balneis ad instar fibras intestinorum laxando, emolliendoque proximam morbi causam, violentas scilicet, & non ordinatas contractiones fibrarum ventriculi, propter mirabilem illam inter hasce partes connexionem, ut una affecta, altera quoque affi-

ciatur, tollunt, vel plurimum saltem imminuunt.

XXIV. *Educta materie peccante, conser. rosar. vel cydonior. &c.*) Quamvis subacida medicamenta, eo quod stomacho grata sint, & blande adstringentia, ac roborantia, in quocumque vomitu locum habent, in eo tamen maxime conveniunt, in quo acres, alchalini, urentesque humores peccant, qui acidis medicamentis majorem in modum temperantur. Acida enim acribus contraria esse, eademque figere, & in medium mitem, ac blandum saporem convertere compertum est; unde etiam catharticorum vires infringunt. Inter acida vegetabilia numerantur cydonia, limones, berberum fructus, quorum etiam pulcherrima laus est, calorem febrilem, sitimque extinguere, vires reficere, atque etiam putredini prævalide obsistere. Ægyptii narrante P. Alpino (2) fructus berberum in febribus malignis, & pestilentialibus cum immoderatis evacuationibus felicissimo cum successu usurpare solent. Eodem remedii genere se pestifera febre correptum cum immoderata diarrhœa Ægyptiorum medicorum consilio usum fuisse felicissimo eventu testatus est laudatus auctor. Simon quoque Paulli Alpini exemplum imitatus ab enormi diarrhœa, & acri febre Lutetiæ Parisiorum se liberatum fuisse tradit.

XXV. *Cibi grati, & jucundi sint.*) Gratos, & jucundos cibos nausea, & vomitu laborantibus exhibendos esse docuit Hippocrates, inquiens: *Cibum, & potum ægris paulo deteriorem, jucundiorem tamen melioribus quidem, sed injucundioribus esse præferendum. Quæcumque enim cum voluptate assumuntur*, ait Galenus (3), *ventriculus amplectitur, & concoquit, sic ea quæ displicent refugit, unde nauseæ, & flatus, & fluctuationes subsequuntur.*

XXVI. Vid. cap. 2. lib. 2.

XXVII. Vid. cap. 8. lib. 3.

CA-

(1) *cap. 3. de Diarrhœa &c. cap. 8. de affectione hypochond. &c.*
(2) *de Medic. Ægyptior.* (3) *in com.*

CAPUT II.

De Cholera humida, & ſicca.

I. CHolera humida eſt immoderata acrium, & difformium per ſuperiora ſimul, & inferiora expulſio cum facie hippocratica, inquietudine ad artus inferiores inſigni, ut loco ſtare neſciant ægri, plerumque invadens.

II. Ab inverſo motu periſtaltico ventriculi, & inteſtinorum convulſiva, crebrioreque contractione deorſum tendente dependet.

III. Hujuſce cauſa eſt ſtimulus in ventriculo, & principio inteſtinorum inſignis, quem potiſſimum excitant humores acres, erodentes, ac colliquantes ſanguinis maſſam.

IV. Cauſæ externæ ſunt emetica fortia, & cathartica, hepar antimonii, crocus metallorum, vitrum antimonii, mercurius vitæ, helleborus albus, colocynthis, gummi guttæ, laureola, eſula, elaterium, euphorbium, venena corroſiva, fructus omnes fermentiſcibiles nimia copia ingeſti, fructus horæi, muſtum, vinum recens, cucumeres, pepones, cæpæ, carnes ſuillæ crudiores, cicera, ſepiæ, aliaque id genus æſtate præſertim, vel debili exiſtente corpore, vinum in ſtomacho lacti commixtum, & aceſcens, nimia ingluvies, gravis ira.

V. Violenta aeris per ſuperiora, & inferiora cum impetu, & ſonoro ſtrepitu eruptio, cholera ſicca appellatur, quæ tunc excitatur, cum

VI. Particulæ aeris ſpaſmodica fibrarum œſophagi, pylori, & totius canalis inteſtinorum conſtrictione comprimuntur, ac carcerantur, mox hiſce reſolutis libere, ac violenter erumpunt.

VII. Choleram humidam ventriculi, & inteſtinorum vehemens dolor, inflatio, diſtentio, pulſus parvi, frequentes, animi deliquia, ſingultus, ſpiratio celerrima, ſudores frigidi, extremorum refrigerationes, artuum contractiones, convulſiones non raro ſequuntur.

VIII. Cholera certis temporibus recurrens, quæque declinationibus febrium ſupervenit, ſalutaris.

IX. Cæterum acutiſſimus morbus eſt Cholera, atque viginti quatuor horarum ſpatio hominem interdum jugulans.

X. Quamcitiſſime igitur curatio Choleræ inſtituenda, præſertim illius, quæ majorem anxietatem, irritationem, ac dolorem, quam pro evacuationis quantitate infert.

XI. Elixetur igitur pullus tenerior in aquæ fontis, atque juſculum ægro ad libras per intervalla tepidum propinetur. Clyſteres eodem tempore injiciantur ex eodem juſculo addendo ſyrupos portulac. lactuc., violarum.

XII. Poſt quatuor, vel quinque horas ſequens mixtura exhibeatur.

℞. Aq. Ment. e ſuc. flor. chamomil. theriacal. a unc. i. Aq. cinnam. el. ℥ ii. ſyrup. berber. ℥ vi. Laudan. liquid. cydon. gut. x. M.

Extrinſecus emplaſtrum ex theriaca, vel ſequens Ceratum ventri applicetur.

℞. Cerat. Tachamac. unc. .s. Camphor. Op. a ℥ .s. Diſſol. camphor. & op. cum ſpiritu vini, & reformetur ceratum pro uſu dicto.

XIII. Quid non præſtant interdum, ubi de ægro fere conclamatum ſit, aquæ perquam frigidæ potiones? Uti nimirum initio morbi aquæ tepidæ, ita decurſu ejuſdem frigidæ mirum in modum conferre viſæ ſunt.

XIV. Niſi forte aqua frigida placidam exoptandam tranquillitatem conciliet, paregorica nulla interpoſita mora in uſum vocanda.

XV. In Cholera ſicca ol. Amygdal. dulc. s. i. r. e. ad unc. v. cum laudan. liquid. gut. vi. ad x. nec non Clyſteres ex decoct. fl. Chamomil. cum furfure unc. vi. ol. Lilior. albor. Violar. a unc. i. .s. philon. roman. vel theriac. ℥ ii. ſæpius injecti eximiam operam præſtant.

XVI. Quotidie bis propinetur pulvis ex nitr. puriſ. conchar. præp. ſtib. diaphoret. a ℥ i. camphor. gr. x. m. f. pulvis irrorandus ol. ſtil. flor. chamom. gut. x., & detur ad ℥ .s. ex decoct. theiformi flor. Chamomil.

XVII. Vinum maturum, lene, odoriferum, calidum exhibeatur.

CAPUT II.

De Cholera humida, & ſicca.

I. *Cholera humida eſt immoderata acrium, & difformium per ſuperiora ſimul &c.*) Plura in hac definitione adnotanda ſunt. *Immoderatam humorum acrium, & difformium expulſionem* cum dicimus, & copiam humorum, qui in Cholera ejiciuntur, & qualitatem eorumdem ſignificamus. Copia nimirum humorum tanta eſt, ut longe ſuperet cum digeſtorum quantitatem, tum humorum, qui ab aliis viſceribus naturaliter conſtitutis illuc poſſunt confluere. Ad qualitatem quod ſpectat, ſilentio prætereundus non eſt Galeni error, & veterum fere omnium, qui bilem ſolummodo flavam in hoc morbo ejici opinabantur, unde morbi appellationem ἀπὸ τῆς χολῆς, ideſt a bile flava ſumendam eſſe judicaverunt. Quæ etymologia licet multis probetur ductis potiſſimum auctoritate Hippocratis, Celſi, Aureliani, qui eam receperunt, obſervatio tamen, & ratio eamdem minus probandam eſſe luculenter oſtendunt. Obſervatione quidem compertum eſt, non flavos tantum, ſed varii coloris, virides, nigros, alioſve humores expelli. Ratio autem evincit, non a bile tantum oriri poſſe choleram, ſed ab aliis quibuſcumque humoribus, pancreatico nimirum, & qui a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillat a naturali ſtatu recedentibus, eamque acrimoniam nactis, qua nerveas ventriculi, & inteſtinorum fibras pungere, mordere, & in violentiſſimos ſpaſmos proritare valeant. Si quis velit potius cum Cl. Tralliano Choleram ſic appellari ab inteſtinis, quæ a græcis χολάδες dicuntur, vel quod humores, qui ejiciuntur, ad bilioſos mordacitate, & acrimonia accedunt, nihil plane eſt cur pugnemus, ne illos imitari videamur, qui quęſtiones plerunque ſic pertractare ſolent, ut lis ſit potius de nomine, quam de re.

II. *Ab inverſo motu periſtaltico ventriculi, & inteſtinorum convulſiva, crebrioreque contractione &c.*) Illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, evacuationes per ſuperiora ſimul, & inferiora haberi non poſſe, niſi & ventriculus, & inteſtina ſimul afficiantur; ille quidem ea ratione, qua vomitum promoveri diximus; hæc vero, qua alvi profluvium, de quo infra dicemus; unde morbus exoriatur a vomitu quidem, & alvi profluvio diverſus, qui tamen a cauſa utriuſque proxima vehementius operante ortum traducit. Cum nempe vomitus ab inverſo periſtaltico ventriculi motu dependeat, diarrhœa vero a periſtaltico motu inteſtinorum nimis ſollicitato, ſeu quod eodem recidit, a convulſiva, crebrioreque ſui naturalis deorſum tendentis itineris contractione, ſi utraque cauſa eodem tempore vehementer operetur, immoderatam per ſuperiora, & inferiora ſimul expulſionem ſequi adeo manifeſta res eſt, ut nulla ſit manifeſtior.

III. *Hujuſce cauſa eſt ſtimulus in ventriculo, & principio inteſtinorum inſignis, quem &c.*) Quamvis materia, quæ ventriculi membranas vellicare habet, non ſolum ad duodenum, & inteſtina tenuia, ſed craſſa etiam tranſmitti queat, unde non ſolum ventriculus, & inteſtinorum principium morbi ſedes ſtatui poſſit, ſed totus etiam inteſtinorum canalis; ſi tamen res paulo diligentius ad examen revocetur, duodenum ſpeciatim, omneſque ductus, per quos humores in ipſum demittuntur, pro genuina morbi ſede habendos eſſe luce clarius apparebit. Etenim ſi veteres audimus, bilem ipſi flavam per vomitum, atque alvum ejici opinabantur: undenam autem tanta bilis copia repetenda, niſi ex ductibus, qui bilem in duodenum tranſmittunt? Quod ſi non bilis tantummodo, ſed & lymphæ pancreaticæ copioſior habetur proventus, ut putant Recentiores, nonne hæc per ductum choledochum una cum bile in cavitatem inteſtini duodeni exoneratur? Quid quod in iis, qui cholera perierunt, corroſiones, ulcera, gangrænæ pylorum, & duodenum occupantes, reperte ſunt?

Excitant humores acres, erodentes, ac colliquantes &c.) Nonnullorum opinio eſt, ſolum humores ventriculum, atque inteſtina acriter irritantes, eorumque tum periſtalticum motum ad crebriores, violentas, & non ordinatas contractiones, tum etiam glanduloſos folliculos ad humorem ſuum uberius ſecernendum, tum demum biliarium, & pancreaticum ductum ad copioſiorem bilis,

lis, & lymphæ pancreaticæ effuſionem vehementius ſollicitantes choleræ producendæ opportuniſſimos eſſe (1). Verum cum tanta ſit humorum copia, qui ejiciuntur, ut ne a ſuccis quidem a viſceribus aliis illuc naturaliter confluentibus haberi poſſit, ſatius eſt eoſdem concipere non ſolum ſtimulandi, ſed colliquandi, ac fundendi facultate prędítos, a quibus ſcilicet ſanguinis maſſa in excrementa illa ſolvatur, quę copioſe per ſuperiora, & inferiora ejiciuntur. Saltem fateamur oportet, ſanguinem ipſum ad hujuſmodi colliquationem diſpoſitum eſſe, admixtione videlicet principii alicujus corrumpentis, quod plerunque in febribus malignis, colliquantibus, & pleriſque ardentium fieri perſpicuum eſt.

IV. *Cauſæ externæ ſunt emetica fortia, & cathartica.*) Sola nimia violenta vomitio græcis hyperemeſis dicitur, vehemens vero purgatio hypercatharſis. Si utrumque contingat, quid vetat, quominus choleram appellemus? Notatu dignum eſt, in iis, qui ob nimium purgantium uſum intereunt, ne veſtigium quidem bilis inveniri. Author eſt Mœbius (2), qui in tribus infantibus tabe mortuis id ſe deprehendiſſe teſtatus eſt; a nimio autem purgantium uſu id factum fuiſſe haud dubie affirmavit. Quo apparet, purgantia validiora choleram non alia ratione progignere, quam ſtomachi, & inteſtinorum fibras nerveas adeo vehementer vellicando, mordendoque, ut ſucci omnes in eorum canalem influentes, bilis prędſertim, quæ vel in hepate ſeparari poteſt, vel in veſicula fellis ſeparata jam exiſtit, effundatur. Quod ſi verum eſſet, veterum opinio quodammodo confirmari videretur, qui, ut ſupra innuimus, morbi appellationem a bile flava, quę in hoc morbo ejicitur, ſumendam eſſe ſunt arbitrati.

Hepar antimonii, Croc. metallorum &c.) Quę ex antimonio deſumuntur emetica, & purgantia validiſſima ſunt, ſi quę alia. Inter Antimonii prędparationes celebris eſt hepar antimonii dictum, quæ fere ita ſe habet. Antimonii, & nitri ęquales partes in mortarium induntur, tegula eodem obducto parvam rimam relinquente, per quam accenſus carbo immittitur ad materiam inflammandam. Frigefacto vaſe, & inverſo, ictu mallei ſtriæ a lucida portione ſeparantur. Hęc hepar antimonii dicitur. Si aqua tepente hepar ſæpius lavetur, eluitur nitrum cum antimonio fixatum remanente materia quadam calcinata, quæ crocus metallorum appellatur. Vitrum antimonii ex antimonio crudo in vaſe terreo ſuper ignem tamdiu agitato, dum fumare deſinat, & in crucibulo fuſo componitur. Si enim ita fuſum in tabulam marmoream infundatur, vitrum pellucidum obtinetur vitri antimonii titulo inſignitum. Præcipitatum quoddam Antimonii, quod habetur ex butyro antimonii per effuſionem repetitam aquæ tepentis, Mercurius vitæ, ſeu pulvis etiam Algaroth nominatur: quę omnia uti particulis ſumme acribus, ac fere cauſticis conſtant, ita ſi magna doſi præſcribantur, vel parca, ſed iis, qui fibras ſenſiles habent, & ad impreſſiones vel leves quaſcumque recipiendas nimis paratas, violentos in ſtomachum, atque inteſtina ſpaſmos inducunt, eorumque tum motum periſtalticum ad inordinatas, vehementeſque contractiones, tum glanduloſos folliculos ad humorem ſuum uberius ſecernendum, tum demum biliarium, & pancreaticum ductum ad copioſiorem bilis, & lymphæ pancreaticæ effuſionem vehementius ſollicitando choleras procreant.

Helleborus albus, colocynthis.) Ea eſt hellebori purgandi vis, ut veteres Medici niſi ſumma cautione cum in eodem prędparando, tum in ægris ad ipſum ferendum diſponendis in uſum vocarent. Convulſiones enim enormes, intolerabiles alvi fluxiones, animi deliquia, viſcerum, & univerſi corporis inflammationes, aliaque horrenda ſymptomata paſſim accidere deprehendebant. Si veteres hujuſce medicamenti vim adeo pertimuerunt, in quam ſpem adduci illi poterunt, qui, quaſi nullus habendus eſſet medicamentorum delectus, omni prædparatione neglecta, ac nulla fere cum cautione eumdem in pleriſque morbis prędſcribunt (3)?

Ex uſu colocynthidis choleram exortam fuiſſe Foreſtus teſtatur. Oleo nempe acerrimo, ſaliniſque particulis tum fixis, tum volatilibus fere cauſticis fœta eſt, ut experimentis a D. Boulduc. in R. Sc. Ac. Par. inſtitutis (4) compertum eſt, a quibus potiſ-

(1) *Vid. Hoffman. t. 4. p. 3. M. S. cap. 8.*
(2) *in fundament. phyſiolog.*
(3) *Vid. lib. 1. cap. 5. com. in aph. 13.*
(4) *an. 1701.*

potiſſimum infeſtiſſima ejus qualitas repetenda eſt. Dum enim oleoſæ particulę, quę acerrimę ſunt, inteſtinorum, cęterorumque viſcerum nerveas fibrillas vellicant, ac vehementer ſuccutiunt, ac ſuccos ex iiſdem exprimunt, & in inteſtina propellunt, particulę ſalinę cauſticæ, erodenteſque venas lacteas, & inde ſanguinem ſubeuntes ejus texturam ſolvunt, ac colliquant, agitationem furoremque in ipſum inducunt, quibus fit, ut humorum ſeroſorum uberior ad inteſtina habeatur affluxus, unde immodicę illæ evacuationes, quę Choleram conſtituunt.

Gummi guttæ, laureola, eſula.) Gummi guttę, laureola, ſeu Mezareon adeo acria purgantia ſunt, ut eorum vis temperari nullo modo poſſit, & potentiſſime per ſuperiora, & inferiora evacuent. Sapienter porro, prudenterque ſe gerere illi videntur, qui accuratiorum practicorum, Gregorii Horſtii (1) præeunte exemplo, veſtigiis inhærentes, ab iſtorum uſu, ne experimenta per mortes agant, ut ait Plinius, prorſus abhorrent.

Si de eſula ſermo ſit, planta quædam eſt de genere tithymalorum lacte quodam acerrimo abundans, ut etiam externas corporis partes foris admota acriter vellicet, pungat, ac fere corrodat. Ex eſu hujuſce plantæ, quam pro oxalide habuerunt, binos pueros enormibus vomitionibus, & alvi dejectionibus correptos fuiſſe Patavii me vidiſſe teſtor.

Elaterium, Euphorbium, venena corroſiva.) Elaterium nihil eſt aliud, quam ſuccus cucumeris agreſtis, ſeu aſinini; euphorbium vero ſuccus pariter concretus plantę ejuſdem nominis, quę tanta pollent acrimonia, ut tamquam venena rejicienda, vel perquam caute adhibenda ſint. Quod non ſine admiratione accipietur ab iis, qui viros præſtantiſſimos Capivaceum, Saxoniam, Mercurialem, Heurnium, Etmullerum, prę cęteris vero Sydenhamum, Liſterum apud Anglos ſpectatiſſimos adierint, quibus ſummopere probatur elaterium (ab euphorbio autem omnes fere abſtinent) commendaturque adverſus hydropem. Qui tamen minus mirabuntur, ſi animadverterint, quod Parkiſonus, narrante Rajo, teſtatur de dimidio elaterii grano medicamento cuidam indito ad illud acuendum, quod enormes adeo vomitiones, atque alvi dejectiones excitavit, ut ęger in mortis diſcrimine verſari videretur. Verum omnium funeſtiſſimos effectus edunt venena, illa pręſertim, quę corroſiva dicuntur, cujuſmodi ſunt auripigmentum, ſeu arſenicum aureum, Sandaracha, Mercurius pręcipitatus, & ſublimatus, æs viride, & hujuſmodi alia, quibus omnibus vis cauſtica acerrima, atque ignea ineſt, qua propterea non ſolum ventriculus, atque inteſtina acriter pungantur, exedunturque, ſed eadem ſanguinis maſſa corrumpitur, colliquaturque, unde in excrementa illa ſolvitur, quæ in canalem inteſtinorum effuſa graviſſimas choleras progignunt.

Fructus omnes fermentiſcibiles nimia copia ingeſti, fructus horæi &c. æſtate &c.) Fructus fermentiſcibiles, aliaque id genus ingeſta in ſtomachum, vel quantitate, vel qualitate peccantia adeo frequenter choleras gignunt, ut nihil magis. Enimvero Cl. Tozzius teſtatur ſe quotquot cholera affectos vidit, omnes a cibis vel pravis, vel immodicis in ventriculo corruptis, vel in tenui inteſtino depravatis violentam hanc alvi, & ſtomachi ſubverſionem, egeſtionemque paſſos fuiſſe. Quod non aliunde aptius repeti poſſe videtur, quam a fermentatione, quam primum ineunt hi cibi in ventriculo a calore proprio, & ſibi inſito, quibus poſtea miſcentur humores in primis viis hærentes acres, bilioſique, unde præternaturalem in ſuis minimis partibus agitationem patiuntur, ſulphureiſque, ac ſubtilioribus exaltatis acrimoniam illam acquirunt, quæ nerveis ſtomachi, & inteſtinorum fibris vellicandis, pungendiſque aptiſſima exiſtit. Dixi, a fermentatione, quam a calore proprio, & ſibi inſito primum ineunt, ne quis forte ad credendum vehementer adduceretur, eamdem a ventriculi, & adjacentium partium motu, caloreque, vel pravorum humorum concurſu repetendam eſſe. Huic enim operi vix aliquid laboris impendunt. Id quod evincitur exemplo muſti, quod non calore dolii, ſed proprio efferveſcit, & in vinum mutatur. Quapropter Hippocrates poſtquam (2) ab hiſce cauſis potiſſimum choleram morbum oriri docuit, ſcite admodum, prudenterque ſubdit: *Fiunt autem* (nempe cholerę) *magis æſtate, quia tunc facilius corrumpuntur, vel in-*

(1) *ſect. 9. epiſt.* (2) *7. epid. 9.*

inconfecta remanent ; quaſi calor ipſiuſmet aeris efficiat, ut partes prædictarum rerum facilius ad fermentationem ſubeundam diſponantur, & humores, qui tunc exſoluti, acrioreſque ſunt, ad corruptionem facilius promovendam concurrant, non ſecus ac muſti, aliorumque liquorum fermentationes æſtate validæ, & vehementes ſunt, autumnali vero ad hiemem accedente tempore, quo aer frigidiuſculus eſt, valde debiles, & languidę, vel nullæ habentur.

Inconfecta remanebunt ea, quę non fermentiſcibilia ſunt, qualia ſunt muſtum, fructus horæi &c. ſed quæ coctu difficiliora, cujuſmodi ſunt carnes ſuillę crudiores, cicera, ſepię &c. quæ arctam, ac denſam fibrarum compagem ſortita ſunt, quæque majore opus habent attritione, ut ſolvantur ; quæ fortis attritio haberi nequit ardente Sirio, quo tempore fibræ omnes noſtri corporis languidæ, debileſque ſunt, nec non humorum ſeroſorum tenujum inopia adeſt, unde hi minus diluendo, macerando, illæ vero debilius atterendo, & premendo ingeſta in ſtomachum parum, aut nihil immutant, quę propterea ſtomachum nimis gravando ſtimulo, ac moleſtię eidem ſunt, cumque mora facta corrumpantur, fermenti inſtar alios ex aliis partibus confluentes humores inficiunt, ac depravant, hinc enormes per ſuperiora, & inferiora evacuationes. Quid ſi jam *debili exiſtente corpore* ingerantur ? Refert Olaus Magnus (1), Gigantes, & fortiſſimos viros fumido, ac rancido cibo uti ſolitos fuiſſe. Petrus vero Faber (2), Athletas olim, qui robuſtiſſima membra habebant, panem groſſiorem, quem dicebant coliphium, quod latinis audit quaſi robur membrorum, edere tantum in prandio, in cœna vero carnem ſuillam paullulum igne aſſatam, ut alimentorum duritie, ac craſſitie non modo uberius nutrirentur, ſed etiam diutius ſaturi permanerent. Quo apparet, cibos craſſos, & crudos fortium eſſe virorum, quique valido membrorum, & viſcerum tono gaudent, quæ propterea vi ſua elaſtica arctam nimis, ac denſam cibi compagem rite diſſolvunt, ac ſubigunt, unde bonus, ac laudabilis chylus generatur, quique facile in ſanguinem migrat, eoſque nutrit. Quod evenire non poteſt, ſi imbecilles eodem victuum genere utantur. Imo vix, ac ne vix quidem immutari in ſtomacho contingit, diuturna vero in eodem mora corrumpi, hinc graves ſtomachi, & inteſtinorum ſubverſiones.

Vinum in ſtomacho lacti commixtum, & aceſcens.) Nemo ignorat lac, vino, vel acidis commixtum, aceſcere, & coagulari, ita ut difficulter a ſtomacho ſubigi, ſolvi, & expelli poſſit ; hinc facile corrumpitur, corruptus vero cæteros humores illuc confluentes inquinat ea ratione, qua opus eſt ad enormem per ſuperiora ſimul, & inferiora evacuationem promovendam. Corruptio eadem facile contingit, ſi lac offendat in ventriculo humores pravos, acidoſque, quibuſcum miſceatur. Enimvero neſcio an uberius, quam ab hoc fonte tot, tamque graves ſtomachi, & inteſtinorum ſubverſiones, quibus pueri lactantes ſępe ſæpius affliguntur, niſi optimo victus regimine gubernentur, & ii qui lactis uſum ſuſcipiunt primis viis minime abſterſis, atque ab impuritatibus expurgatis, ſint repetendę.

Nimia ingluvies.) Non minus frequenter, quam ab aliis recenſitis cauſis choleram exoriri a nimia ingluvie teſtatus eſt Cl. Sydenhamus. Ut mittam, quę in hanc ſententiam tulit Syracides (3) : *Ne eſto inſaturabilis omnibus deliciis, neque projectus eſto ad eſcas. Nam multis cibis adhęret morbus, & inſatiabilis voracitas maxime accedit ad choleram. Voracitate inſaturabili multi ſunt mortui* (4). Idem alibi hæc habet : *Laborioſæ vigiliæ, & choleræ, torminaque adſunt viro inſaturabili.* Et ſane ecquis eſt, qui non videat, a copia ingeſtorum alimentorum, ab intemperantia victus ſolidarum ventriculi partium tonum labefactari, ſuccorum gaſtricorum vim infringi, nidores, acoreſque in primis viis generari, qui reliquos illuc confluentes humores corrumpendo, choleræ, aliiſque graviſſimis morbis procreandis opportuniſſimi exiſtunt ? Apte in rem cadit, quod adverſus Romanam luxuriam prodidit Seneca : *Multos morbos multa fercula fecerunt, & ſimplex morbus ex ſimplici cibo. Innumerabiles miraris morbos, numera coquos.* Atque id fortaſſe cauſę eſt, cur Europæi, qui crapulis indulgent, ac intemperanter vivunt, brevius vivant : cum e contra Ægyptii, qui ſimplici victu utuntur, atque optimo potu aquę ex Nilo, lon-

(1) *hiſt. Septemtrion. gent. lib.* 5. *c.* 3. (2) *Agoniſtic. lib.* 3. *cap.* 3.
(3) *cap.* 37. *v.* 31. *ſeq.* (4) *cap.* 31. *v.* 22.

longęviores ſint, ut inveniantur haud raro, qui centeſimum annum egrediantur, ut liquet ex Proſpero Alpino (1).

Gravis ira.) In ira ſumma ſpiritus animales effrenes, cęcoque impetu in omnes corporis partes, atque eas præſertim, quę ad bilis effuſionem ſpectant, irruere contingit, hinc magnam ejus copiam in duodenum per ductum choledochum, ex duodeno in ventriculum regurgitare, ac cum ipſius ventriculi, tum inteſtinorum fibris ad violentas, & minime ordinatas contractiones ſollicitatis, & bilis, & aliorum ſuccorum ad inteſtina omnia ex aliis viſceribus confluentium enormes per ſuperiora, & inferiora evacuationes excitari, ut obſervationibus Cl. Plateri, aliorumque compertum eſt. De ira plura alibi (2).

V. *Violenta aeris per ſuperiora, & inferiora cum impetu, & ſonoro ſtrepitu eruptio &c.*) Quid ſit cholera ſicca, & quæ ſint ejus cauſę facilius innoteſcet, ſi nonnullas aeris proprietates prius expoſuero. Singularis illa eſt, quibuſcumque vel minimis apertis rimis illac celerrime perfluendi; hinc non ſolum in pulmonales veſiculas ad naturalem reſpirationem irruit, ſed in ventriculum etiam, atque inteſtina defert, totum illum anfractuoſum canalem, atque miris circumgyrationibus involutum libere permeat, ſurſum deorſum fertur, per ſuperiores, atque inferiores partes viam ſibi, atque aditum patefacit.

Illud quoque ſilentio prętereundum non eſt, aerem in pręſtantiſſimis elaſticis ſine ulla dubitatione numerari. Experimentis autem ſępius, & a multis factis compertum eſſe aeris elaſticitatem tanto majorem eſſe, quanto minus eſt ſpatium, in quo aer contrahitur, ideſt quanto denſior fit aer: Tandem ſummam ineſſe calori facultatem ad aerem rarefaciendum, atque ejuſdem elaterem augendum, atque intendendum.

Hiſce breviter conſtitutis rem paucis abſolvimus. Fluidum hocce ſubtiliſſimum in ventriculum, atque inteſtina immiſſum vim ſane facit adverſus parietes, ſeu tunicas longiſſimum illum canalem conſtituentes, ut ipſos dilatet, ac diſtendat. Ne autem id damno fieret, primum haud exiguam firmitudinem illis ineſſe voluit natura, ac miti quodam, blandoque motu a ſuperioribus partibus ad inferiores tendente donari, ut perfluentem aerem, & ſeſe dilatare nitentem propellerent, ejuſdem curſum, ac niſum per ſuperiora, & inferiora rite moderarentur, atque regerent.

VI. Si forte contingat, ut placidus ille ventriculi, & inteſtinorum motus perturbetur, atque ſpaſmodicis, & non ordinatis contractionibus eadem afficiantur, nemo non videt, canalem huncce anfractuoſum vel pluribus, diverſiſque partibus conſtringi debere, vim aeris ſuperare, eumdemque in anguſtius ſpatium coercere, ac veluti carcerare. Cum vero aer anguſtiori ſpatio coercitus majorem elaterem acquirat, & tanto quidem majorem, quanto anguſtius eſt ſpatium, in quod aer contrahitur, & quanto magis calore loci, atque adjacentium viſcerum incaleſcit, rarefit, expanditur, eam vim tandem adverſus canalis parietes exercet, ut ſi vel minima ejuſdem rimula conſtricti jam, occluſique aperiatur, illac ſummo impetu irruat, & liberam viam ſibi, atque aditum patefaciens ſummo cum ſtrepitu, rumoreque erumpat. Cujus rei exemplum nobis prębet veſica luſoria flatu diſtenta, qua perforata acu quamtumvis tenui aerem intus contentum ſummo cum ſtrepitu, vique erumpere videmus.

VII. *Choleram humidam ventriculi, & inteſtinorum vehemens dolor, inflatio &c.*) Acribus erodentibuſque humoribus in cholera humida peccantibus, eum nerveæ ventriculi, & inteſtinorum fibrillæ pungantur, vellicenturque, in vehementes, & non ordinatas contractiones agi contingit, inſignem continui ſolutionem pati, hinc vehementem ventriculi, & inteſtinorum dolorem excitari; præ ſpaſmo autem aeris particulis carceratis, occluſiſque, inflationes, diſtentioneſque; eodem per mirabilem nervoſarum partium connexionem cordi communicato, pulſus parvos, frequentes, animi deliquia; partibus reſpirationi inſervientibus ſingultus, celerrimam reſpirationem; extremis vaſorum capillamentis ſudores frigidos extremas maxime partes occupantes; muſcularibus fibris prætermaturales earumdem contractiones, convulſioneſque excitari.

VIII. *Cholera certis temporibus recurrens, quæque declinationibus febrium &c.*) Non raro evenit, pravis, atque incongruis inquinamentis infici maſſam ſanguinis, ſive a par-

(1) *de Medici. Ægyptior.* (2) *cap. 1. com. in aph. 6.*

partium , & ſuccorum ad chyli elaborationem concurrentium vitio , ſive ab erratis in ſex rerum non naturalium uſu , vel aliis quibuſcumque cauſis id fiat , quæ medicis fortaſſe ignotę ſunt ; quę inquinamenta tandiu innocua ſunt , nec hominibus infeſta , quandiu & pauca , & edomari a natura poſſint . Cum in ea quantitate collecta fuerint , ut edomari amplius nequeant , atque hominem lędant , ipſorum excretionem molitur . Innumerę porro ſunt viæ huic muneri opportuniſſimæ , inſenſibilis tranſpirationis , ſudoris , urinę , ſed omnium commodiſſimæ vię inteſtinorum , ac ventriculi . Ad hepar nimirum , ad pancreatem , ad glandulas ventriculi , & inteſtinorum , vicinaſque partes magna pravorum , atque incongruorum humorum copia derivatur , atque ex eorumdem ductibus , atque emiſſariis iidem exprimuntur , & partim per canalem inteſtinorum ad inferiora labuntur , partim in cavitatem ventriculi confluunt , vel ex duodeno in eumdem regurgitant , ac materiam pro vomitu afferunt , & irritationem , unde univerſalem quamdam expurgationem fieri contingit , ac purioribus , mitioribuſque relictis hominem in perfectiſſimo valetudinis ſtatu conſtitui . Hanc eamdem rationem alias ſervat natura , ubi opus fuerit . Hinc eſt , choleram certis temporibus recurrentem ſalutarem eſſe , ut adnotavit Galenus (1) . Hanc Choleræ ſpeciem in adoleſcente quodam ſe vidiſſe teſtatus eſt Tozzius (2) , qui tantam humorum colore , & ſapore differentium copiam egerebat , ut neque tantillum cibi ſumere poſſet , poſt triduum vero ſenſim convaleſcebat , ac ſedato vomitu , intermiſſaque alvi turbatione , in priſtinum ſuæ perfectæ valetudinis ſtatum reſtituebatur . Mirum eſt talem choleram hæreditariam a patre fuiſſe .

Idem plane dicendum de cholera declinationibus febrium ſuperveniente . Si quod enim naturæ opus elucet in profligandis morbis , elucet maxime in edomandis febribus . Materia febrili in ſanguinem ingreſſa , vel in eodem ingenita , ſpiritus animales concitato motu moventur , cor in crebriores contractiones agitur , febris excitatur ad materiem febrilem edomandam , & per inſignes excretionum vias extra corporis confinia eliminandam apta nata . Quid ſi per recenſitas vias ventriculi , & inteſtinorum cum ad declinationem pervenerit febris , excretio peccantis , ac morbificę materiæ contingat ? Choleram quidem ſupervenire , quę critici remedii rationem habet , & ſalutaris eſt , adeo manifeſtum eſt , ut curioſiore explicatione nullatenus indigere putem .

IX. *Cæterum acutiſſimus morbus eſt Cholera &c.*) Tanta hujuſce morbi ſævities , ut ægros brevi interimat , pendet potiſſimum , ut oſtendit perbelle Cl. Tozzius , ex immodica evacuatione humorum , quam vires diu ferre non poſſunt , ſive ex eo quod laceſſita viſcera flacceſcant , aut inflammentur , ſive quod ſanguis etiam ex immodica illa eadem evacuatione diſſolutus , ſimulque infectus exhauriatur , ſive quod delaxatus tandem venter nequeat corruptos humores egerere , qui propterea detenti præcordia , imo cor ipſum inquinent , & ſuffocent .

X. *Quam citiſſime igitur curatio choleræ inſtituenda , præſertim illius , quæ majorem &c.*) Cum acutiſſimus ſit morbus cholera , & brevi hominem jugulet , exiguam etiam , & levem curandi moram peſſimam eſſe recte admonet Trallianus . Quamquam vero priuſquam curatio inſtituatur diligenter perpendendum eſt , num ea purgentur , quę purgari oportet , numve in id opus ſatis alacriter natura incumbat . Si enim id fiat , nihil agendum medentibus , ſcilicet neque cohibenda , neque excitanda evacuatio . Si vero cunctanter agat natura , id quod ex majore irritatione , & dolore , quam pro evacuationis quantitate facile conjicies , tunc enimvero omni ſtudio curandum eſt , ut acres , erodenteſque humores temperentur , ſimulque foras qua data porta eliminentur , ventriculi , & inteſtinorum ſpaſmi inſignes ſedentur , eadem demum roborentur .

XI. *Elixetur igitur pullus tenerior in aqua fontis &c.*) Quæret fortaſſe aliquis , quomodo priores illę indicationes , acres ſcilicet erodenteſque humores temperandi , ſimulque foras eliminandi tam brevi temporis ſpatio abſolvi queant . Siquidem ſenſim ſenſimque humores temperantur , & ad ſecretionem diſponuntur ; craſſos quidem , viſcidoſque attenuando , nimis vero fluidos , tenueſque incraſſando . Si tamen conſideremus vires diluentium medicamentorum , eorum præſertim , quæ pingues , oleoſaſque ,

(1) 7. *meth. c.* 21. (2) *in praxi* .

que, nec non terreas quaſdam continent particulas, cujuſmodi ſunt prę cæteris decoctum junioris pulli, & ſimilia, ambigendum non eſt, quin ad prędicta munera obeunda aptiſſima exiſtant. Primum copia, qua ingeruntur, ſales quoſque vel acerrimos diſſociant, diſgregant, ineptoſque actioni ſuæ reddunt, pinguibus, oleoſiſque, quas continent particulis cum acrium atque erodentium humorum ſpicula involvunt, atque obruunt, tum ſolidas partes ab ulteriori vellicatione præſervant, tepore autem illo blando ſpaſmodicas ſtricturas laxant, atque emolliunt, tandem terrea portione peccantes humores abſorbent, in neutram naturam convertunt, pręcipitant, & ſuo ipſo pondere adjuvante per alvum educunt.

Clyſteres eodem tempore injiciantur &c.) Cum alvus ſubduci interdum non poſſit ſolis diluentibus per os aſſumptis ratione longiſſimi, & miris circumgyrationibus involuti inteſtinorum canalis actioni eorumdem reſiſtentibus, ſalubre eſt practicorum conſilium, Clyſteres injicere, ut optato fine potiri valeamus. Quæ fere eſt methodus, qua pręſtantiſſimus Sydenhamus difficillimum morbum aggrediebatur, quæ cum omnium ſimpliciſſima, ac tutiſſima mihi ſemper viſa ſit, eamdem cęteris omnibus anteponendam cenſui. An vomitoria, aut purgantia, quę cęteroquin communiter proponuntur, ubi evacuatio humorum quantitati non reſpondeat, in uſum vocanda, an lac ad heminas ex præcepto Hippocratis exhibendum? Illa enimvero vel inepta ſunt ad materiem omnem, & irritationem auferendam, vel ſolidas partes ad crebriores, validioreſque contractiones ſollicitando, morbum augere valent, aut confirmare. Lac licet haud inficias ire auſim pręſtantiſſimum eſſe remedium, atque ad diluendum, irretiendum, nec non ſolidas partes demulcendas, laxandas aptiſſimum; cavendum tamen in ejuſdem uſu, ne febris adſit, ne acidis humoribus primę vię ſint refertæ. Alterutrum enim, aut utrumque peccet, coagulari idem contingit, ac corrumpi, corruptum vero fermenti vice alios illuc affluentes humores inficere ac depravare, ideoque morbum augere, aut confirmare. Ecquis vero Cholera laborantem omni prorſus carere febre, atque ejuſdem ſtomachum ab omni acido, aut ſimili cogente, ac corrumpente humore liberum eſſe confidat?

XII. *Poſt quatuor, vel quinque horas &c.*) Poſt quatuor circiter horas, quod tempus inſumitur in eluendo ventriculo, & inteſtinis per diluentia medicamenta, irritationes nimię, ac violentę, enormeſque evacuationes ſiſti debent, ne vires adeo flacceſcant, ac collabantur, ut reſtitui poſtea nulla ratione queant. Quid autem efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius iis, quæ cum ſuaviſſimo odore ſint prædita, vires dejectas jam majorem in modum recreant, cum ſtomacho amiciſſima, eumdem mirifice confortant, verbo dixerim, iis, quę & ſpaſmodicas nerveārum partium conſtrictiones ſedare, effræneſque ſpirituum, reliquorumque humorum impetus coercere, blanda vero, mitique aciditate debitum tonum labefactatis partibus conciliare valent, atque hac ratione immodicam evacuationem ſiſtere? An eximiæ hæ facultates mixturę ex aqua Ment., & ſuc. flor. Cham. &c. tribui poſſint, viderint alii.

XIII. *Quid non præſtant interdum, ubi &c. aquæ perquam frigidæ potiones?*) Sępe contingit, ut Medicus ſolum accedat, poſtquam ęger vomitu, ac dejectionibus ad horas quam multas continuatis fuerit exhauſtus, & jam frigeſcant extrema membrorum, vel poſtquam varii generis remedia voto non reſponderunt, unde æger viribus fere omnibus deſtitutus morti proximus ſit. Cum ita res habeat, nullum efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius potionibus aquæ frigidæ inveniri poteſt. Expertus loquor. Cum enim virum quemdam ruri degentem adhuc adoleſcens inviſerem cholera laborantem, ac nullum eſſet remedium, quod ęgro pręſcriberem, neſcio quo fato aquam nive, quam Nobilis quidam ad domeſticos uſus ſervabat, perfrigeratam adhibui. Mirum recuperatis ſenſim viribus, vomitu, atque alvi dejectione enormi, torminibus, aliiſque ſymptomatibus ceſſantibus, nullo alio adhibito præſidio, in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutum fuiſſe. Veteribus autem Medicis, quos inter Cornelius Celſus, Cęlius Aurelianus, Trallianus, Aretæus, Galenus, Amatus Luſitanus eminent, & Recentioribus, Moderniſque commendatiſſimum ſi quod aliud remedium eſſe in Cholera, Dyſenteria, Co-

lica

lica bilioſa , & convulſiva aquam frigidam paullo ante didiceram . Rem vero paullo diligentius ad examen revocans cogitare cępi , quemadmodum pro virili parte providerem , ne forte medentium animi inducerentur in fraudem per opiniones duas Medicorum alioqui minime vulgarium, unde non mediocria in ęgros detrimenta manarent, Sydenhami pręſertim , qui diluentia calida miris laudibus extollit , & illorum , quibus aqua frigida mirum in modum probatur , commendaturque . Id autem me non alia meliori ratione conſequi poſſe putavi , quam ſi morbi tempora diſtinguerem , oſtenderemque, aquam calidam initio morbi, frigidam e contra decurſu ejuſdem locum habere . Cum enim Cholera incipit, ſeu in incremento eſt, inſignes adſunt ſpaſmi, enormes ventriculi, atque inteſtinorum irritationes , vires nondum ab immodica evacuatione collapſę ſunt . Igitur , quo enormes illi ſpaſmi , violentæ , & non ordinatæ contractiones ſedentur , nec non acrium , atque erodentium humorum vires infringantur , atque per inſignes excretionum vias extra corporis confinia eliminentur , nullum ſuppetit medicamen aptius aqua calida , ut ex ſuperius allatis manifeſto apparet . Si aqua frigida inter initia ſtatim exhibeatur, cum ea quæ ſunt frigidę, & conſtrictivę virtutis, ut ait Aurelianus (1), corporis denſitatem, & adſtrictionem efficiant, verendum eſt, ne acrium, atque erodentium humorum excretio prohibeatur, qui propterea detenti inflammationem, metaſtaſim ad viſcera, vel convulſionem lethalem progignant. Qua de re obſervationes extant in Bartholino (2), prę cęteris vero in Marcello Donato (3). Si morbi decurſu adhibeatur aqua frigida, qua ſolidis partibus tonum , ac robur conciliando , qua acres , ſi qui ab evacuatione ſuperſunt , erodenteſque humores temperando, qua ductus , ac meatus, ex quibus immodice effluunt , conſtringendo , violentam per ſuperiora , & inferiora excretionem ſiſtit , atque ægros in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituit. Quotquot morbi uſu aquę frigidæ curati fuerunt , eos fere omnes decurſu , viribus omnino reſolutis , curatos fuiſſe obſervationibus cum multis , ac frequentibus, tum certis , ac conſtantibus compertum eſt . Ut mittam virum cholera laborantem, cujus meminimus , poſt quadraginta horas ab ejuſdem invaſione aqua frigida curatum fuiſſe , atque Nobilem quemdam vomitu contumaciſſimo detentum , quem , cum alia prope innumera minus commode reſponderint , uſu potionum perquam gelidiſſimarum in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutum fuiſſe bona fide teſtor , alia extant exempla apud Cl. Frider. Hoffmannum (4) eorum qui cęteris fruſtra adhibitis poſt plures dies aquę frigidæ uſu feliciſſime ſanati fuerunt . Simile etiam videre eſt *A. A. Bon.* de nobili quodam juvene ingenti ſanguinis vomitu laborante , quem , innumeris fere medicamentis fruſtra tentatis , perquam gelidiſſimis brumali tempore potionibus curaſſe Pet. Antonius Michellotus teſtatus eſt . Si Cornelium Celſum audimus (5) , *In dyſenteria*, inquit , *ſi pluribus diebus alia remedia non juverunt , vetuſque jam vitium eſt , aquæ bene frigidæ potio aſſumpta adſtringit , & initium ſecundæ valetudinis facit* . Quid opus eſt pluribus ? An dubii, atque ancipites hęreant adhuc Medentes in ea re , quam cum veram eſſe ratio evincit , eamdem obſervatio , atque experientia confirmat ?

XIV. *Niſi forte aqua frigida placidam exoptandam tranquillitatem &c.*) Non eſt ſilentio prætereundum laudatum Sydenhamum in ea fuiſſe opinione , ut crederet, Choleræ decurſu cum virium proſtratione inſigni, & extremorum refrigeratione , cæteris omnibus omiſſis , ad ſacram morbi anchoram , laudanum videlicet liquidum confugiendum eſſe , idque cum ad urgentiora ſymptomata ſedanda , tum ad vires reſtaurandas repetitis vicibus exhibendum. Quod quadrat etiam in Rondeletii opinionem , aſſerentis opiata in principio eſſe exhibenda , ut nimiæ irritationes , & ſpaſmi ſedentur , quibus ſedatis vires refici contingit , ac confortari . Verum , ſi quid ſentio, ad aquam primum frigidam deveniendum traderem , quę pręterquamquod frigore immodicam evacuationem ſiſtit , ſales præterea vel acerrimos quoſque diſſociat , diſgregat , ineptoſque ad vellicandum , atque erodendum reddit , unde minus fas eſt ve-

(1) *acut. morb. lib.* 1. *cap.* 16. (2) *hiſt. anat. cent.* 1. *hiſ.* 76.
(3) *hiſt. mirab. lib.* 4. *c.* 6. (4) *M. S. t.* 4., *& in obſervat. de morb. convulſivis c.* 8. (5) *lib.* 4. *cap.* 15.

vereri, ne evacuatione nimia derepente cohibita, acres ęrodenteſque humores intus detineantur, inflammationem viſcerum, vel convulſionem, vel recidivam lethalem excitaturi.

XV. *In Cholera ſicca ol. Amygdal. dulc. &c.*) Ad flatus diſcutiendos quamplurima paſſim a practicis commendari ſolent. Olea multa deſtillata, ſeu eſſentiæ quarumdam plantarum, prę cæteris ſemin. aniſorum, fœniculi, baccarum juniperi, cinnamomi, nec non ex mineralibus ſpiritus vitrioli, nitri, maxime vero ſpiritus ille anodynus mineralis Hoffmanni. Quamquam dolendum, celebre adeo famoſumque medicamentum conficiendi artem ignotam eſſe. Verum quid quod ſpiritus ille, ſeu liquor anodynus mineralis Hoffmannianus parum, aut nihil differat ab oleis quibuſdam mineralibus, quæ ſi ſpiritu vini dulcificentur, tantam acquirunt tenuitatem, ut abditiſſimos quoſque humani corporis meatus pervadant, in ipſas medullares cerebri fibras, & appenſos nervos ſe inſinuent, ſpirituſque offendentes ſibi homogeneos viam ipſis liberam, atque aditum patefaciant, & in ordinem redigant, hinc laxatę partes vigorentur, interceptus in nonnullis motus reſtituatur, in aliis nimis effrænis ſedetur, ęqualiter omnes tendantur, atque ſpaſmodici motus ceſſent penitus, aut plurimum imminuantur? In horum cenſu venit primum oleum vitrioli puriſſimo vini ſpiritu dulcificatum. In oleo vitrioli adeſſe partes acidiſſimas, & ſulphur minerale Chymicorum experimentis compertum eſt. Si ſulphur minerale vi puriſſimi vini ſpiritus ad eam, quam diximus, tenuitatem perducatur, anodynum evadit præſtantiſſimum, ſi quod aliud. Cautiſſime tamen affundendum eſt ſpiritui vini vitrioli oleum, nec ſine encheireſi. Secus enim tanta excitatur efferveſcentia, ut vapores, & fumi denſiſſimi eleventur, qui in pulmones irruentes hominem ſuffocare valent, ut in Boerhaavio (1). Ubi autem certa encheireſi probe, atque intime unita ſint, ſi deſtillationi committantur, dant liquorem quemdam ſuaviſſimum, blandiſſimum, qui anodynus eſt, & illi perſimilis qui tantopere commendatur a Cl. Hoffmanno liquoris anodyni mineralis titulo inſignitus. Similes liquores eliciuntur adjecto colcothare vitrioli, quod acidiſſimas partes continet, & metallicas, calcinato, & deſtillationi commiſſo, ita tamen, ut pluribus opus ſit deſtillationibus, ut ad eam, quam diximus tenuitatem perducatur, & æque anodynus evadat, ac prior. Si loco olei vitrioli adhibeatur ſpiritus nitri, & eadem ſervata encheireſi deſtilletur, obtinetur liquor tenuiſſimus, ſubtiliſſimus, odoris fragrantiſſimi, quaſi abrotani virtute anodyna inſigni prędituſ, ut in eodem Boerhaavio (2) & Hoffmanno (3). Quamvis eſſentiæ, ac ſpiritus ejuſcemodi ventriculum, atque inteſtina afficere ea ratione valeant, qua opus eſt ad flatuum copiam in eorum cavo hærentium foras eliminandam, illud tamen animadvertendum eſt, cum caloris augmento operari, quo poſſunt aeris particulæ ſpaſmo coercitę plus ęquo exagitari, rarefieri, exſolvi, ideoque morbum augere, aut confirmare. Ea porro tuto adhiberi poſſe perſpicuum eſt, quæ ſpaſmodicas nervearum fibrillarum conſtrictiones relaxare habent, atque efficere, ut aeris particulæ coercitæ, ac carcere occluſæ libere totum canalem permeare poſſint, quæque acrium, ac vellicantium ſordium, unde nerveæ fibræ proritantur, atque in ſpaſmos aguntur, vim non ſolum retundere, ſed etiam extra corporis confinia educere valent. Quid autem ol. Amyg. dulcium, opiatiſque medicamentis hiſce muneribus obeundis aptius, aut opportunius?

XVI. *Quotidie bis propinetur pulvis ex nitr. puriſ. conchar. pp. &c. camphor. &c.*) Nitrum feliciſſimo conjugio miſceri cum camphora in pleriſque inflammationibus membranoſas partes occupantibus, alibi a nobis demonſtratum eſt. Pari felicitate conjungitur, ubi flatus diſcutiendi ſunt. Dum nitrum ſpaſticas nervoſarum partium conſtrictiones, quibus aer in ventriculi, & inteſtinorum cavo detentus, ac rareſcens violentiſſimis nervearum fibrarum diſtractionibus ægrum dire exercentibus anſam præbet, relaxat, ſimulque acres, vellicanteſque humores, unde eaſdem fibras in ſpaſmos agi contingit, temperat; camphora vero qua ratione oleo ſuo penetrantiſſimo omnes corporis meatus quam citiſſime permeat, fibraſque motrices citra caloris augmen-

(1) *Chym. tom. 2. proc. 161.* (2) *Ibid. proc. 136.*
(3) *Obſervat. ph. lib. 3. p. 61.*

mentum roborat, earumque irregulares motus compeſcit, ſecretiones omnes, excretioneſque promovet, eadem & debitum ventriculo, atque inteſtinis tonum conciliat, eorum ſpaſmos coercet, unde aeris particulas carceratas diſcuti, reliquaſque ſordes extra corporis confinia educi contingit, ac graviſſima flatulenta pathemata ſedari.

XVII. *Vinum maturum, lene, odoriferum, calidum exhibeatur.*) Vinum omni tempore magni ęſtimatum fuit vel ab ipſis poetis, unde etiam caballus poetarum appellatur. Qua de re perbelle Taubmannus in melodæſia. Cui ſententiæ favet Horatius:

Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt
Quæ ſcribuntur aquę potoribus.

Nec mirum; ſiquidem Plato in Phæd. vinum animum cum corpore calefacere affirmavit; unde Horatius (1):

Ad mare cum veni, generoſum, & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas, animumque meum, quod verba miniſtret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.

Qui plura cupit de vini facultatibus adeat Naſonem (2), qui inter plura hæc habet.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Cura fugit multo, diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit:
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo pariſſima noſtro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Cæterum in optimo vino languentem ſtomachum confortandi vis maxime elucet, Paulo teſtante: ex quo etiam alia facultas exoritur flatus diſcutiendi. Hinc præclare Hippocrates (3), *Quicumque*, inquit, *cibi aut flatum, aut æſtum, aut morſum, aut repletionem, aut tormen faciunt, a talibus liberat vinum meracum inſuper potatum; corpus enim a vino calefactum per calorem amovet ea, quæ inſunt a cibis & potibus, & a ſimilibus.* Idque eo magis evenire cenſendum eſt, ſi calidum potetur: de quo egregie Cl. Davini (4)..... *Me ſatis*, inquit, *admonent experimenta cum in aliis habita, tum in me ipſo, vino calido adjuvari ſtomachum, & cruditates inde ortas, & ſanguinem fœdaturas in ipſis opprimi natalibus locis, & emendari.* Mos potum aſſumendi calidum vetuſtiſſimus eſt. Græcis, & Romanis id uſitatum fuiſſe liquet ex Athenæo Deipnoſoph. (5), atque erui poteſt ex Horatio (6) dum ait:

..... Quis aquam temperet ignibus?

Et ex Juvenali, ubi inquit:

Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter.

Et ex Martiali, ubi ait:

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Græci autem, & Romani calidam aquam cum vino miſcebant, quorum exempla imitati ſunt Anton. Perſius (7) & Galli, quorum meminit Bruyerinus (8). Neque imprudenter id factum. Frequenter enim ſuccedit, ut id, quod vinum, aut aqua ſola non poteſt, poſſit cum ea conjunctus calor, ut Cl. Gulielminus teſtatus eſt (9).

(1) *lib. 1. epiſt. 5.* (2) *lib. de arte amandi.*
(3) *lib. de affect. 5. 52.* (4) *de potu vini calidi p. 56.*
(5) *lib. 3. c. 34.* (6) *lib. 3. od. 19.*
(7) *del bever caldo in Venezia per Gio. Battiſta Ciotti 1593.*
(8) *de re cibaria.* (9) *diſſert. phyſ. medic. mechan. p. 105.*

CAPUT III.

De Diarrhœa, Dyſenteria, Teneſmo.

I. Diarrhœa eſt frequens, & copioſa humorum excrementitiorum præter alimentum crudum, & ſanguinem per alvum excretio.

II. Diarrhœæ cauſa proxima eſt convulſiva deorſum tendens inteſtinorum contractio, qua prædictorum humorum excretio per inferiora ſollicitatur.

III. Remotæ ſunt humorum vel nimia copia, vel acrimonia inſignis, qui vel in ipſo ſunt ſanguine, vel a pancreatico, bilioſo, & qui a glandulis inteſtinorum extillant ſuccis, vel ab ingeſtis ſuppeditantur.

IV. Quibus addenda graviora animi pathemata, mœror præſertim, gravis ira, improviſus timor, ſuppreſſio naturalium evacuationum, præcipue ſudoris, ac perſpirationis, tempeſtas calida, fervens, & ſicca, aut peculiaris aeris conſtitutio, qua miaſmata malignae terræ viſceribus exhalant, vel organica, & animata ex aere præſertim nocturno decidunt.

V. Ubi humorum excrementitiorum primum una cum adipoſis corporibus cruore perfuſis, ac morbi decurſu cum membranoſis ramentis, atque interdum ipſa inteſtinorum ſubſtantia excretio ſuperveniat, torminibus ventris plus minus dire ægrum exercentibus, Dyſenteria eumdem premi cenſendum eſt.

VI. Quæ tunc contingit, cum non ſolum acres, vellicanteſque particulæ, ſed cauſticæ peccant, erodenteſque.

VII. Diarrhœa, quæ circa febrium vel malignarum, & peſtilentium declinationem ſuccedit, aut homines ſero abundantes, & leucophlegmatia incipiente detentos homines invadens plerunque ſalutaris: e contra quæ in principiis morborum, & febrium.

VIII. Diarrhœa morbis capitis ſuperveniens ſalutaris.

IX. Diarrhœa, quæ febrem non habet adjunctam, nec ſitim, nec ciborum faſtidium, bona.

X. Diarrhœam iræ ſupervenire bonum, & ſi Diarrhœa non ſupervenit, febris expectanda.

XI. Ubi noverim diarrhœam ſalutarem non eſſe, eamque a tenui, ac præfervida materia pendere (id quod temperamentum bilioſum, ad iram proclive, fœcum fluidarum, bilioſarum cum ſenſu ardoris ejectio manifeſtum reddunt) contentus ſum ſolo ſero lactis caprini tamarindato, vel decocto hordei ad lib. ii. quod detur per tres, aut quatuor dies, exhibendo hora ſomni Diaſcord. Fracaſtor. ℥ ß.

XII. Abſterſis primis viis exhibeantur horis medicis ſucci citri, granator. ribes, eorumque ſyrupi ab unc. i. ad unc. i. ſ., nec non ſpiritus acidi minerales vitrioli, ſal. marini, nitr. dulcificat. cum ſpiritu vini a ℥ ß. ad ℥ i. ex decoct. acetoſ. acetoſel. & ſimilium herbarum.

XIII. Ubi vero acres viſcidis, mucoſiſque quiſquiliis involuti peccent humores (id quod ex laxiori corporis habitu, ex appetitu dejecto, ex lingua, atque ore viſcida, ac lenta lympha obducto facile conjicies) ſolum rhabarb. pulv. ad ʒ ii. cum Diaſcord. Fracaſt. ℥ ß. per tres, aut plures dies exhibitum quandoque alvum egregie ſiſtit.

XIV. Cæterum in moleſta Diarrhœa, & Dyſenteria aquæ Tetut. lib. iii. per intervalla aſſumendæ, ſolutis in primo cyat. mel. roſat. ſolut. unc. iii. apprime conveniunt.

XV. Hiſce poſtea ſuccedat pul. ex ter. ſigil. cor. cer. uſt. radic. tormentil. a ℥ i. op. crud. raſ. gr. iii. M. F. partes viii. cap. duas quotidie ex juſculo extremitatum pedum vituli Kalybeato: poſtea ſola narcotica ex Diaſcord. Fracaſtor. ad ʒ ii., Theriac. recens a ℥ i. ad ii. exhibeantur, & ſi tormina adſint, cataplaſma ex theriaca, ter. ſigil. a p. æ. cum vino auſtero q. ſ. regioni umbilici applicetur.

XVI. Hiſce demum ſtiptica: trochiſc. de Spod. de Carab. vel vero pul. Craton. a ℥ ß. ad ℥ i. in aq. fol. querc. nuc. vel decoct. fol. acetoſ. portulac. plantag. radic. tormentil. biſtort. iis fruſtra adhibitis

XVII. In dyſenteria ſi febris adſit, dolor vehemens, vireſque ferant, venæ ſectio adminiſtretur, tum eluentia ſupra dicta alterantia, opiata ſtiptica exhibeantur: clyſteres tamen ex decoct. inteſtinor. vitul. vel jure cancror. fluviatil. vel ex lacte, atque ex butyro, vel pinguedine hirci, aut unguento roſato Meſue, quibus ſæviente dolore addatur Philon. Roman. aut Perſic. ad ℥ ii. injiciendi primum, mox ex decoct. hord. torref. cum pauxil. mel. roſ.

roſ. ſimplicis ; tandem ex vino albo , in quo ebullierint flor. Chamom. millefol. hyperici in uſum vocandi .

XVIII. Si maligna ſit dyſenteria , optime cedunt opiata diaphoreticis mixta . Hujuſmodi fere mixturis uti ſoleo . ℞. Aq. ſuc. Acetoſ. unc. iv. theriacal. unc. i. .s. bezoar. ori. ℈ i. laudan. liquid. cydoni. gut. x. ſyrup. cydon. vel acet. ſtillat. ℥ vi. M. dentur bis , terque in die .

XIX. Cortex quoque radic. Caſcaril. alexipharmacis mixta mirum in modum conferre viſa eſt . Hiſce fere bolis feliciſſime uſus ſum . ℞. Radic. torment. s. p. bezo. orien. a ℥ i. cortic. radic. caſcaril. gr. xii. com conſer. roſar. antiq. q. s. f. b. n. vi. aſſumat æger tres mane , reliquos veſpere quotidie . Si cortic. ſimaroub. p. add. ℈. s. optimum in omni caſu .

XX. Dyſenteriam , cæteris remediis fruſtra adhibitis , ſola quandoque radice Ipecuacan. tolli deprehenſum eſt . Quare aſſumat æger radic. Ipec. pul. ℈ ii. ex decoct. card. benedict. cui ſuccedente vomitu ſuperbibat copioſa juſcula . Poſtea vero ejuſdem radicis grana iv. ex conſer. roſar. antiq. exhibeantur quotidie per plures dies .

XXI. Si chronicus fiat morbus , opportuno tempore ad aquas thermales , præſertim B. M. V. in agro Patavi. , vel ſimiles , nec non ad lac primum aſininum , mox vaccinum aqua plantagin. coctum , ac Kalybeatum devenien-dum .

XXII. In quocumque alvi profluvio optima victus ratio inſtituatur , juſcula extremitatum pedum vituli , gelatinæ ex iiſdem paratæ , decoctum ex Cor. Cer. mic. pan. a unc. .ſ. in aq. font. Lib. vi. edulcoratum cum ſufficienti quantitate ſacchari viſa ſunt convenire .

XXIII. Vinum meracum poſt prandium , vel cœnam concedatur .

XXIV. Si cauſæ dyſenteriam efficientes ad inteſtinum rectum deferantur , continua per alvum egerendi cupiditas cum dolore , muci viſcoſi , & cruenti , vel purulenti excretione , quæ teneſmus dicitur , exorietur .

XXV. Fotus ex lacte , in quo ebullierint flores ſambuc. verbaſc. melilot. malvar. , & ſimilium , tepidi ano applicentur cum ſpongiis , & linteis . Clyſteres ex lact. unc. iv. mucilagin. ſemin. pſylii , plantag. cydon. a unc. i. vitel. ovor. n. i. leni manu bis , terque in die injiciantur .

XXVI. Terebinthinæ prunis ardentibus injectæ vapor per anum in ſella perforata excipiatur . Hiſce fruſtra adhibitis , quæ dyſenteriæ curandæ apta ſunt , in uſum vocandæ .

CAPUT III.

De Diarrhœa , Dyſenteria , Teneſmo .

I. *Diarrhœa eſt frequens , & copioſa humorum excrementitiorum præter alimentum &c.*) Veteres Medici Diarrhœæ nomen cuicumque inteſtinorum fluxui , atque alvo liquidæ tribuebant , ejuſque materiam alimenta cruda , chylum , bilem , pituitam , pinguedinem , ſanguinem purum , vel loturæ carnium ſimilem , pus , ſaniem eſſe arbitrabantur , eaſque partes , ac viſcera accuſabant , quorum vitio ea per alvum excernuntur , quæ in ſtatu naturali excernenda non ſunt . Ab hac opinione Leboe Sylvius (1) , & Hermannus Boerhaavius (2) non admodum abhorruerunt . Nos tamen hic loci Diarrhœæ nomen ad fluxum materiæ excrementitiæ per alvum contrahimus , ſuis poſtea quoſque alios fluxus peculiaribus nominibus inſignientes . Cum enim alimentum crudum , aut chylus imperfecte elaboratus dejicitur , Lienteria , & cæliaca paſſio nominatur ; cum vero ſanguis urgente dolore , & torminibus excernitur , Dyſenteria , & ſic de ſingulis . Humores autem excrementitii diverſi ſunt . Nemo ignorat , ex ductu choledocho bilem , ſuccum pancreaticum in duodenum , inde in reliqua inteſtina confluere , a glandulis inteſtinorum ſuccum quemdam aqueo-oleoſum ſecerni , quo lubricentur , emollianturve , ne coaleſcant eorum parietes , a minimis arteriolis internam ſuperficiem inteſtinorum perreptantibus non raro extillare humores tenues , lymphaticos , & hujuſmodi , unde ortæ variæ diarrhœæ differentiæ , bilioſæ ſcilicet , ſeroſæ , pituitoſæ &c.

II. *Diarrhœæ cauſa proxima eſt convulſivæ deorſum tendens inteſtinorum contractio &c.*) Inteſtina eamdem fere , qua donatur ventriculus , ſtructuram ſortita ſunt . Quemadmodum porro ventriculo , ita inteſtinis vermicularem , ſeu periſtalticum motum a ſuperioribus partibus ad inferiores progredientem ineſſe voluit natura , ut alimentis in ven-

(1) *lib.* I. *prax. cap.* 13. (2) *aph. de cogn. & curand. morb.*

ventriculo ſolutis, ac maceratis, atque per pylorum in eadem expulſis, confluentibus illuc bilioſo, ac pancreatico ſucco, nec non qui a glandulis, & arteriolis minimis extillat, tenuior, & chyloſa portio ſeparata in venas lacteas propelleretur, craſſiores interim, ac fæculentæ una cum prędictis humoribus anum verſus protruderentur. Si blando hocce vermiculari, ſeu periſtaltico motu perturbato inteſtina convulſiva, crebrioreque deorſum tendente contractione afficiantur, cum biliarium, & pancreaticum ductum ad bilem, & lympham pancreaticam copioſius effundendam, tum glandulоſos folliculos ad humorem ſuum uberius ſecernendum ſollicitari, atque eorumdem excretionem per inferiora promoveri manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

III. *Remotæ ſunt humorum vel nimia copia, vel acrimonia inſignis, qui vel in ipſo ſunt ſanguine &c.*) Quæcumque convulſivam hanc contractionem inducere valent, ea diarrhœæ producendę opportuniſſima exiſtere perſpicuum eſt. Inducere autem potiſſimum humorum, qui in ipſo ſunt ſanguine, copiam, vel acrimoniam inſignem manifeſtum fiet, ſi nonnulla deſumpta ex mechanicis prius expoſuero; ſecretiones videlicet naturales humorum in inteſtina defluentium pendere a proportionatis motibus fibrarum glandulas, atque inteſtina conſtituentium cum fluidis ſecernendis: hanc autem proportionem eſſe in ratione compoſita ex rationibus denſitatum liquorum, aut orificiorum, a quibus effluunt, & numero motuum, ſeu oſcillationum fibrarum elaſticarum, a quibus naturaliter motus inteſtinorum dependet. Quotieſcumque igitur ſanguis valde acer ſit, ſolutus, & colliquatus, dum glandulas inteſtinorum appellit, eas ad crebriores motus, & oſcillationes excitare, ideoque uberius, & copioſius ſecerni neceſſum eſt. Secretis autem humoribus tum copia, tum acrimonia peccantibus, nerveas inteſtinorum fibras ſtimulari aſſidue perſpicuum eſt, motum eorumdem periſtalticum ſollicitari, hinc Diarrhœam exoriri.

Vel a pancreatico, bilioſo, & qui a glandulis inteſtinorum extillant ſuccis depravatis vel ab ingeſtis ſuppeditantur.) Convulſivę crebrioriſque inteſtinorum contractionis cauſa frequentiſſima, ſi quæ alia, eſt ſuccorum in primis viis exiſtentium, bilis ſcilicet, ſucci pancreatici, & qui a glandulis inteſtinorum extillant, depravatio. Uſum enim horum omnium ſuccorum eſſe ulteriorem chyli ſolutionem, & fluiditatem promovere, quam primum ope membranarum ventriculi, ac ſalivalium ſuccorum ſubivit, manifeſta res eſt. Huic operi maxime inſervit bilis, ceu quę ſale volatili, ac ſulphureo fęta eſt, quo particularum chyli figura mutatur, compages ſolvitur, tenuiorum partium a fœculentis ſeparatio, atque expulſio promovetur, non quidem ſtimulando inteſtina acredine ſua, quemadmodum putant Veteres, ſed fęces tantum fluidas reddendo, ne induratę ſubſiſtant, ut patet in hypochondriacis, ſcorbuticis &c. quibus bilis aut vitioſa, aut deficiens eſt. Itaque ſi iſti ſucci uberius in cavitatem inteſtinorum effundantur, cum nimis fluidas fęces reddunt, tum periſtalticum inteſtinorum motum ſollicitant, hinc Diarrhœam excitant.

De qualitate eorundem peccante non eadem eſt apud omnes opinio. Qui putant bilem alchalicam eſſe, ſuccum vero pancreaticum acidum, ideoque ex iſtorum ſuccorum mixtione effervеſcentiam, atque ebullitionem oriri, in ea ſunt opinione, ut credant, ejuſmodi ſuccos in tenuia inteſtina confluentes poſſe incongrue miſceri, atque male fermenteſcere, hinc inteſtina ad expulſionem contentorum ſollicitare, ſive id ab exceſſu bilis acrioris, ſeu a majori aciditate ſucci pancreatici dependeat; qui propterea fermenti vice alimentum, ſuccos qui perpetuo a glandulis inteſtinorum extillant, ſimili vitio inficiat, depravet, atque corrumpat. Id Graafius, Sylvius, aliique ſuſtinuerunt. Verum cum nulla ſit naturalis fermentatio, ſi præſtantiſſimum Morgagnium audimus, qui ſuccum pancreaticum acidum eſſe abſolute negat, corruere illorum ſententiam luce clarius apparet. Sed hac de re plura, ubi de inteſtinorum dolore. Modo ſatis ſuperque eſſe duxerim aſſerere, vitiari bilem, reliquoſque ſuccos ea ratione, qua opus ad nerveas inteſtinorum fibras vellicandas, eorumque motum periſtalticum ſollicitandum, ut ex obſervationibus conſtat Diamerbroekii (1), Peclini (2), Bontii (3). Si ingeſta vel

(1) *in anat.* (2) *exercitat. de purgant.* (3) *de Med. Indorum.*

vel copia peccent, vel acrimonia, cum inteſtina ſtimulare habeant, convulſivam quoque eorumdem contractionem excitare valere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

IV. *Quibus addenda graviora animi pathemata, mœror præſertim.*) Mœror docente Cl. Baglivo nihil frequentius producit, quam Diarrhœas, quæ diu perſiſtente mœroris cauſa evadunt incurabiles, iiſque demum ſuperveniente febre erratica, & atrophia, ægrotantem de medio tollunt. Et ſane nihil magis chylificationi officit, quam mœror, & triſtitia. Ventriculi membranæ debito ſpirituum animalium influxu deſtituuntur, ac flacceſcunt, ſalivæ, ſucci pancreatici, bilioſi, quique a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillat, ſecretio inhibetur, hinc chyloſim depravari, nerveas ſtomachi, & inteſtinorum fibras in ſpaſmos agi contingit, eorumque motum periſtalticum ad contentorum expulſionem ſollicitari.

Gravis ira.) Quod ſi quis vehementi ira corripiatur, manifeſtum eſt, ſpiritibus animalibus cæco impetu hac illac ruentibus, ſpaſmos in univerſum corpus, & præſertim in organa bilis ſecretioni dicata (id quod dolor quidam conſtrictivus, qui in latere dextro ſub ſcrobiculo cordis percipitur, manifeſtat) induci, quę propterea bilem in Duodenum copioſius protrudunt, unde Diarrhœa, quam Hildanus (1) adnotavit, perinde ac ſi pharmacum propinatum fuiſſet. Quo loco minus mirari ſubit, alvi ſtipticitatem ab ira ſolvi, ut Valleriola (2) & *M. N. C.* (3) teſtantur. Conf. com. in aph. 6. cap. 1.

Improviſus timor.) Dici vix poteſt, quantum ob mirabilem animæ unionem cum corpore ab improviſo timore ſpiritus afficiantur, quantum eorum placidus, atque ordinatus motus perturbetur. Id nimirum Apoplexiæ, Epilepſiæ, aliique graviſſimi morbi ſupervenientes demonſtrant. Hoc eodem perturbato ſpirituum motu, nerveas quandoque inteſtinorum fibras ea ratione affici contingit, qua opus eſt ad periſtalticum motum perturbandum, ſeu convulſivam contractionem excitandam, qua contentorum excretio per inferiora ſollicitatur, unde Diarrhœa. Mirum in quanta obſcuritate verſentur, qui continuo ad acres, vellicanteſque ſordes in primis viis hærentes confugiunt, ad præternaturales excretiones ſive per ſuperiora, ſive per inferiora explicandas. Sola enim ſpirituum ataxia, ſeu inconcinnus, ac perturbatus motus eaſdem excitare valet, ut Williſius, Sydenhamus, aliique ſuſtinuerunt.

Suppreſſio naturalium evacuationum, præcipue ſudoris, & perſpirationis.) Viæ ad intus detentos humores ob ſuppreſſionem ſudoris, ac perſpirationis extra corporis confinia educendos aptiſſimę videntur vię inteſtinorum. Tot enim ſunt fiſtulę, tot glanduloſi folliculi, ac ductus in eorumdem cavitatem derivantes, ut magna diverſorum humorum, tenuium præſertim, ac ſeroſorum excretio ſubſequatur. Cum igitur tranſpirationis materia tanta ſit docente Cl. Sanctorio, ut ſingulis diebus plus per illam evacuetur, quam per omnes evacuationes ſenſibiles ſimul ſumptas, nil mirum videri debet, ſi materia tranſpirationis glandulas, ductus, atque emiſſaria inteſtinorum appellens Diarrhœam progignat. Quod nimirum per certa loca certi generis particulę evacuentur, non ita conſtans, ac perpetuum eſt, quin certi alicujus emunctorii deficientem actionem alterius actio ſupplere aliquandiu non poſſit. Hinc imminutam tranſpirationem alvi fluxus frequentiſſime ſupplet, & viciſſim: unde illud: *Cutis denſitas, alvi laxitas*, & contra.

Tempeſtas calida, fervens, & ſicca.) Urgente aeris calore, ac ſiccitate, ſulphureorum, ac ſubtiliorum partium ſanguinis exſolutionem fieri, ejuſdem compagem ſolvi, ac colliquari perſpicuum eſt: hinc refluentibus a toto ſanguine acribus, ac vellicantibus particulis in inteſtinorum fiſtulas, ac glanduloſos folliculos, Diarrhœam exoriri luce clarius apparet. Apte cadit in hunc locum, quod habet Hippocrates (4): *In ſiccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum morbi, ſtillicidia urinæ, & difficultates inteſtinorum.* Cujuſce rei exempla extant in A. N. C. (5) & a Cl. Hoffmanno, aliiſque poſtea confirmata, ut cum conſtantia, tum ne frequentia quidem minime deſideretur.

Aut peculiaris aeris conſtitutio, qua miaſmata maligna &c. vel organica, & animata cor-

(1) *cent.* 7. *obſ.* 18. (2) *lib.* 2. *obſ.* 4. (3) *Dec.* 2. *an.* 5.
(4) 3. *aph.* 16. (5) *Dec.* 2. *an.* 4. *obſ.* 24.

corpora &c.) Neque infrequens eſt, miaſmata maligna, ac deleteria e terrę viſceribus exhalantia, atque una cum alimentis deglutita, acria, ac ſtimulantia cum ſint, inteſtinorum fibras, ac periſtalticum eorumdem motum ſollicitare, vel per poros cutis, aut venas lacteas maſſam ſanguinis ingreſſa eamdem fundere, ac colliquare, ac Diarrhœas progignere. Ejuſcemodi Diarrhœę epidemicę ſunt, & ęgros dire exercentes.

Idem plane dictum velim de organicis, & animatis ex aere nocturno decidentibus. Ad quam cauſam reduci poteſt rubigo, & uredo ſupra fruges, vineaſque decidua; cujus meminit Plinius (1) & Petrus Laurembergius (2), quę non ſolum iiſdem multum detrimenti affert, ut optime norunt agricolę, & horti culturę dediti, ſed etiam hominibus ſummopere nocet. Qua de re etiam legi poteſt obſervatio 93. *M. N. C.* (3), ubi ſcriptum invenitur, eos qui nudis pedibus inceſſerant, ejuſcemodi rore in terram deſcendente puſtulis, & ulcuſculis nigricantibus inde vexatos fuiſſe, quoſdam febribus ardentibus correptos, quoſdam tandem eodem guſtato ulcuſcula in labiis paſſos. Ab hoc porro fonte Diarrhœæ Epidemicæ ortum traducunt, quæ in certo diſtrictu graſſantur, aliis ab illa immunibus. Immo quicumque cibis hoc rore infectis veſcuntur, tali morbo corripiuntur, qui vero abſtinent, liberi ſuperſunt. Cum nempe copioſiſſima inſecta, quorum adeo minuta ſunt corpuſcula, ut referente Cl. Læuvenhoechio (4) aliquot eorum centena ſimul ſumpta craſſum arenę granum mole non æquent, in aerem diffundantur, cum rore rurſus defluere contingit, & qua fructus inficiendo, qua corporis humani poris ſe inſinuando, ac ſanguinis maſſam corrumpendo diarrhœas, alioſque iſtiuſmodi morbos progignere. Rem omnem ita expediunt hodie maxime illuſtres phyſici Cl. Lanciſium ſequuti, qui materiem hanc ingenioſe admodum lateque pertractavit (5). Quod aer Romanus, & terra innumeris inſectis ſcateat, quorum exhalationibus ros inquinatur, evenit potiſſimum, ut homines, qui æſtate Romæ degunt, & extra Urbem dormiunt graviſſimis ſymptomatibus corripiantur, & interdum moriantur. Quod etiam accidit illis, qui ad lacuſtria Romanæ plagæ peregrinantur. Dici enim vix poteſt, quam apte in paludibus ſtabulentur inſecta, quæ ubi citiſſime ſub moderatiori æſtu fęcundentur, rorem, & aerem nocturnum inficiunt, unde maligni plerunque morbi præſto ſunt. Quare ſapienter admodum prudenterque pro more laudatus Lanciſius ſuadet iis, qui vel Neapoli Romam, vel Roma Neapolim contendunt, ut diurnos potius æſtus ſubeant, quam nocturni frigoris voluptate decepti, ante memoratam ambientis aeris vim excipiant.

V. *Ubi humorum excrementitiorum primum una cum adipoſis corporibus cruore perfuſis &c.*) Inter Dyſenteriæ differentias maxime ſpectabiles illæ ſunt, quæ a gradibus ejuſdem deſumuntur, quorum primus eſt cum humores excrementitii, qui etiam in Diarrhœa ejiciuntur, & adipoſa quædam corpora, quæ nihil aliud eſſe videntur, quam adeps, ſeu pinguedo, qua intus inteſtinorum tunicæ obducuntur, exiguo cruore perfuſa excernuntur: alter vero cum membranoſa ramenta, quæ ſuperficies tenuis inteſtinorum ſunt: tertius demum, cum membranarum inteſtinorum ſubſtantiam conſtituentium portiones, ac caruncułæ ejiciuntur.

Torminibus ventris plus minus dire ægrum exercentibus.) Si ſola ſanguinis excretio ſpectetur, dyſenteria ab aliis cruentis fluxibus ſatis diſtingui nequit. Sanguinem enim bonum, ac laudabilem in toto corpore redundantem in iis quandoque excerni obſervamus, quibus membrum aliquod amputatum eſt, aut ſanguinis magna evacuatio ſuppreſſa, qui fluxus ex apertis inteſtinorum vaſculis eadem ipſa ratione, qua hæmorrhoidum, narium, aliarumque partium hæmorrhagiæ contingunt, ortum trahit; aliquando tenuem, aquoſum, & loturæ carnium ſimilem, qui fluxus ob hepatis imbecillitatem fieri credebatur a Veteribus, fluxus propterea hepaticus dictus: (quamquam ab aliis cruentis fluxibus vix diſtingui poſſe Recentiores Medici haud dubie affirmant): Atrum tandem, nigricantem, & ſplendeſcentem ſanguinem per ſuperiora ſimul, & inferiora ejici manifeſtum eſt, qui fluxus Melancholicus appel-

(1) *hiſt. nat.* (2) *lib.* 1. *horticult. cap.* 35. (3) *Dec.* 3. *an.* 9. 10.
(4) *Tom.* 1. *epiſt.* 7. & 2. *epiſ.* 96. (5) *de nox. palud. effluv. cap.* 26.

la-

labatur. At nihil habent cruenti hi fluxus cum Dyſentericis commune. Citra enim ventris tormina ægrum dire exercentia contingunt, quæ tantum abeſt, ut cum dyſenteria minime conjungantur, ut hiſce ſolum apparentibus in alvi fluxibus non cruentis, iidem ipſi fluxus ad dyſentericos referendi ſint. Ita Williſius Dyſenteriam Londini ſævientem ſe vidiſſe teſtatus eſt cum aquoſi humoris excretione, atrocioribus torminibus, ac virium jactura conjuncta. Indolens dyſenteria, cujus meminit Hippocrates (1), & cujus extat exemplum in ephem. German. (2), & in A. N. C. (3), ſi quoſdam audimus, qui tormina ventris a dyſenteria ſejungi nolunt, dicendum ſane eſſet, quod vera dyſenteria non fuiſſet, vel valde obſcura, ac fere inſenſibilia tormina pro nullis habuiſſe, qui hujuſmodi dyſenteriam deſcripſerunt. Ut ut autem res ſit, certum eſt, indolentium dyſenteriarum caſus rariſſime occurrere, ut ne minimum quidem liceat recedere ab eo, quod cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus Veterum, & Recentiorum fere omnium medicorum obſervationibus compertum eſt.

VI. *Quæ tunc contingit cum non ſolum acres, vellicanteſque particulæ, ſed cauſticæ &c.*) Gradu ſolum, atque intenſione differre videtur Diarrhœa a Dyſenteria. Si enim acrimonia illa, quæ nerveas inteſtinorum fibras ſtimulare habet, torquere, ac convulſivam contractionem in eaſdem inducere, qua humorum excrementitiorum fluxus per inferiora ſollicitatur, tanta ſit, ut mucum primum inteſtinorum parietibus adhærentem, tum villos ipſos, ac tunicas abradere valeat, atque exulcerationem inteſtinorum progignere, prædictorum humorum una cum adipoſis corporibus cruore perfuſis, tum villis ipſis, ac carunculis excretionem ſupervenire debere, ventris torminibus ægrum dire exercentibus, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Inter dyſenterię cauſas recenſentur quoque inteſtinorum inflammationes, pręſertim illę, quę ad ſuppurationem vergunt, unde aperto apoſtemate pus, ac ſanies ejicitur, ut obſervationes virorum præſtantiſſimorum Bartholini, Riverii, Hildani, Plateri, aliorumque teſtantur. Sed horum conſiderationem ad peculiarem morborum, quorum effectus ſunt, tractationem rejicimus.

VII. *Diarrhœa, quæ circa febrium vel malignarum, & peſtilentium declinationem &c.*) Ad praxim commodiſſima diviſio Diarrhœæ eſt in criticam, & ſymptomaticam. Illa enim in ſalutem plerunque terminatur, hæc ſumme pernicioſa, atque interdum ægros de medio tollit. Inter criticas diarrhœas principem obtinet locum, quæ circa febrium declinationem ſuccedit. Ad declinationem enim vergente febre, materia, quæ cruda eſt, atque ſecretioni inepta, ſive ea nimis tenuis ſit, ac fluida, ſeu nimis craſſa, viſcida, ac lenta, paulatim concoquitur, & ſecretioni apta fit, atque extra corporis confinia educitur. Si per alvum excernatur, diarrhœam exoriri criticam, & ſalutarem manifeſtiſſima res eſt. Peſtilentes conſtitutiones alvi fluore judicatas recenſuit jamdudum Galenus (4), & multos in peſtilentia æſtate orta, diarrhœa nona, vel undecima ſuperveniente, ſervatos fuiſſe teſtatur (5). Quid quod Gerhardus Columbus (6) peſtilentes febres fere omnes alvo copioſe fluente licet cum cruditatis ſignis, tandem coctionis ſignis ſupervenientibus, curatas feliciſſime ſcribit? Id quod & Fridericus Hoffmannus ſe vidiſſe teſtatus eſt; ut nullus ſuperſit dubitandi locus.

Aut homines ſero abundantes, & leucophlegmatia incipiente detentos &c.) Salutaris eſt etiam Diarrhœa in corporibus ſero abundantibus, ne variæ ejuſdem congeſtiones fiant, atque in morbos a ſeri copia oriundos, cujuſmodi ſunt cacochymia ſeroſa, leucophlegmatia, hydrops, labantur. Leucophlegmatia vero detentum, ſi fortis Diarrhœa ſuperveniat, a malo liberari docuit Hippocrates (7). Animadvertendum eſt autem cum Cl. Riverio, id morbi initio utique eſſe intelligendum. Tunc enim peccans materia fluens adhuc eſt, atque in propriis vaſis, lymphaticis ſcilicet continetur, unde circulo reſtitui facile poteſt. Si Diarrhœa confirmato jam morbo ſuperveniat, ſoluta ſcilicet ſanguinis compage, ac labefactato ſolidarum partium tono, un-

(1) 2. *Epid. com.* 6. (2) *an.* 1671. *obſ.* 43. (3) *Dec.* 1. *an.* 2. *obſ.* 45.
(4) *lib.* 4. *Epid. ſect.* 21. (5) *lib. de atra bile cap.* 4.
(6) *in lib. de feb. peſtilent.* (7) 7. *aph.* 29.

unde ſerosa pars a reliquarum nexu ſecedens facile e glandularum, ac membranarum poris elabatur, atque intra partium laxam ſtructuram ſubſiſtat, tunc enimvero tantum abeſt, ut morbus levetur, ut potius augeatur, aut confirmetur.

VIII. *Diarrhœa morbis capitis ſuperveniens ſalutaris.*) Diarrhœam morbis capitis ſupervenientem ſalutarem eſſe pronuntiavit Baglivus certis Veterum Medicorum ductus obſervationibus, qui id jamdudum adnotarunt. Salutaris hujuſce Diarrhęæ alibi meminimus, remque omnem ad revulſionem inſignem, quæ fit a capite diverſorum humorum retulimus. Obſervatione enim Anatomica conſtat, ad longitudinem quadraginta, & ultra ſpithamarum extendi inteſtinorum canalem, glanduliſque undique, ac folliculis excretoriis refertum, unde magna fit variorum, ac diverſorum humorum excretio, univerſalis veluti impuritatum, atque inquinamentorum maſſæ ſanguinis expurgatio, quæ cæteroquin inquinamenta una cum ſanguine cerebrum appellentia, qua tenuiſſima ejuſdem vaſcula infarciendo, comprimendo, qua vellicando, ac mordendo, aut ſimili ratione afficiendo, graviſſimos morbos valent progignere.

IX. *Diarrhœa, quæ febrem non habet adjunctam, nec ſitim &c.*) Diarrhœa ſæpe eſt ſine febre, quandoque & febrem, & ſitim, & ciborum faſtidium habet adjunctum. Quæ febre caret, benigna ut plurimum eſt, nec eſt contagioſa, & ſporadice invadit. Quæ cum febre conjuncta eſt, maligna interdum eſt, contagione majorem in modum propagatur, & epidemice graſſatur. Dum febris abeſt, ſitis, ac naturalis viget appetitus, quid aliud conjicere licet, quam naturæ opus pravos, atque incongruos ſuccos extra corporis confinia expellentis? Apte cadit in hunc locum, quod habet Celſus (1): *Uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat: purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, utiliter effunditur. Verum ſpatium periculoſum eſt: interdum enim tormina, & febriculas excitat, vireſque conterit.* Hujuſce rei rationem attigiſſe videtur Hippocrates (2): *In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leviter ferunt, ſi minus, contra.*

X. *Diarrhœam iræ ſupervenire, bonum &c.*) Quo modo Diarrhęa iræ ſuperveniat, ex ſuperius allatis perſpicuum eſt (3). Oſtendimus ſiquidem, magnam bilis copiam, quę in hepate ſeparatur, in inteſtinum Duodenum effundi, nerveas ejuſdem, & totius inteſtinorum canalis fibras irritando, fæceſque fluidiores reddendo alvi fluxum progignere. Niſi vero alvi fluxus ſuperveniat, impedita bilis ſecretione in hepate, atque ejuſdem in Duodenum derivatione, nimis tenues, acres, bilioſaſque particulas in ſanguine detineri contingit, exagitari eumdem, ac fundi, cor in crebriores, vehementioreſque contractiones agi, ac febrem excitari, ut Baglivi obſervationibus compertum eſt.

XI. *Ubi noverim Diarrhœam ſalutarem non eſſe, eamque a tenui &c.*) Principes ad Diarrhœam curandam indicationes, ut unicuique conſideranti apparere poteſt, ſunt, irritantem materiam, ſive ſit in ſanguine, ſive viſceribus chylo elaborando, ac perficiendo dicatis, temperandi, corrigendique, eamque extra corporis confinia qua data porta eliminandi. Has priuſquam abſolvant medentes, ſedulo perpendendum illis eſſe, cujus naturæ, ac conditionis materia fuerit, perſpicuum eſt; an ſcilicet tenuis, ac præfervida, bilioſam ajebant Veteres, vel contra viſcida, lenta, cum aciditate, aut ſalſedine conjuncta, pituitam acidam, ſalſam dicebant. Si enim illa peccet, ſola eluentia ſufficere videntur, cujuſmodi ſunt ſerum lactis, decoctum hordei, & ſimilia, quibus cum nimis tenues, bilioſæque particulæ diſſociantur, diſgreganturque, atque ineptæ ad vellicandum fiunt, eędem præterea præcipitantur, ſolidæque partes ab ulteriori vellicatione præcaventur, unde dejectiones, quæ parcæ, ſed crebræ ſunt, & cum dolore copioſiores fieri contingit, & ſine dolore. Quam apte de ſeri lactis virtute atque efficacia in alvi fluxibus bilioſis loquens Galenus! *Lactis*, inquit, *ſerum ob ſuas abſtergendi vires, ad alvi dejectiones, tum potum, tum per Clyſterem injectum aſſumitur; abſque eroſione enim abluit, & abſtergit ab inteſtinis acrimoniam.* Hippocrates ipſe uſus eſt ſero lactis in dyſenteria. Quid enim aliud au-

(1) *lib.* 4. *cap.* 16. (2) 2. *aph. ſect.* 1.
(3) *com. in aph.* 4.

audiat dolor ille circa totum ventrem, & labores, egeſtio multa, & ſubcruenta Adrianum, & puerum Cenæi dire exercens, cujus meminit (1), ad quam tollendam ſerum propinavit, quam morbus dyſentericus? Id quidem præclare oſtendit Valeſius, & (2) in Dyſenteria autumuali lactis ſerum ſilice candefactum commendat, traditque, egeſtiones bilioſas ſubcruentas cum vehementi ventris dolore, ubi ſerum, & lac bibiſſet æger, longe moderatiores fuiſſe factas. Quid magis acceptum, probatumque Sydenhamo, & Baglivo in Dyſenteria, quam ſerum lactis?

Poſt quodcumque eluvionis penſum opiatum aliquod medicamentum accuratioribus practicis ſolemne eſt exhibere, poſt Cl. Sydenhamum, quo commotio omnis ab eluente pharmaco concitata ſedetur. Diaſcord. Fracaſt. uti ſolemus, quod in quacumque humorum acrimonia eximiam præſtare operam alibi oſtendimus (3).

XII. Vid. lib. 4. cap. 4. com. 9. Ibid. cap. 7. com. 25. Pręſertim vero ibid. cap. 8. com. 24.

XIII. *Ubi vero acres viſcidis mucoſiſque quiſquiliis involuti &c. ſolum rhabarbar. &c.*) Si cauſa irritans pituitoſa ſit, ſola eluentia minime ſufficiunt. Ad purgantia igitur confugiendum eſt. Summus autem purgantis remedii delectus habendus eſt, quod & evacuandæ materiæ conditioni, & morbo ſit accommodatum. Dulcia medicata, quæ tartareis, & lenibus ſulphureis particulis ſunt prædita, ut Saccharum, Mel, Caſſia, Manna, Uvæ corinthiacæ, & alia hujus cenſus, cum frequentiſſime vel hoc ſolo alvum moveant, quod in primis viis corrumpantur, aut fermenteſcant, unde acres, ſtimulanteſque halitus ſuſcitantur, quibus inteſtina crebriorem ad motum ſollicitantur, flatuſque copioſiores gignuntur, ad malum exaſperandum potius, quam leniendum apta videntur. Quæ acrius inteſtina irritant, eorumque tum motum periſtalticum ad crebriores corrugationes, tum etiam glandulooſos ſolliculos, ac ductus in eorum cavitatem hiantes ad uberiorem humorum effuſionem ſollicitant, cane pejus, & angue fugienda ſunt, ut præ cæteris oſtendit Fuchſius (4) Galeni aliorumque Veterum Medicorum ductus auctoritate, qui ab iſtius generis medicamentis abhorruerunt. Tutiſſimum porro, atque efficaciſſimum purgans in alvi fluxibus rhabarbarum eſt, ut perbellis rationibus, atque experimentis evincit Matthiolus adverſus Fuchſium. Duplici enim facultate pollere communiter reputatur, purgante, & adſtringente. Illam a ſulphureis partibus, quæ levi toſtione, aut convenienti in aqua infuſione avolant, aut eluuntur, repetunt, alteram relinquentes adſtringentem, & corroborantem. His minime aſſentitur Cl. Boulducius in A. R. S. P. affirmans, ſe nullum adſtringentis hujus facultatis indicium per multa experimenta in Rhabarbari præparatione habere potuiſſe. Quidquid tamen ſenſerit prędarus Auctor, cum obſervationibus multis, & conſtantibus compertum ſit, Rhabarbarum pauciſſimam materiem quandoque ab inteſtinis ejicere, citra ullius erroris ſuſpicionem illud affirmari poſſe videtur, paullo ſiccioris eſſe texturæ, ideoque leniter adſtringendi, ſeu mavis corroborandi virtute prædituin. Majorem ineſſe virtutem hancce Rhabarbaro toſto opinio fuit Cl. Sylvii (5). Cum tamen nonnulli in ſuſpicionem venerint, ex torrefactione empyreuma excitari, atque acritudinem, ut ajunt, ſatius duxerim, illud adhibere, ut a natura producitur (quod & de cęteris omnibus medicamentis concludit citatus Boulducius) atque illud opiato medicamento admiſcere, quo acrium, ac vellicantium particularum vis infringatur, irritationes ſedentur, placida quies inteſtinorum fibris ſpaſmo affectis concilietur, quod dici vix poteſt, quantum valeat ad peccantes humores temperandos, ac corrigendos, eoſque blande extra corporis confinia eliminandos.

XIV. *Cæterum in moleſta Diarrhœa, & Dyſenteria aq. Tetutianæ &c.*) Qui aquas Tetutianas aſſumpſerit, miratur Cl. Redius, quomodo ſi alvi fluxu utcumque moleſto laboraverit, perfectiſſime non convaluerit. Cæteris fruſtra adhibitis ad uſum aquar. Tetutian. deveniendum eſſe tradidit Baglivus, ceu quæ infallibiliter ægrum ſanabunt. Cum nempe præmiſſo vehiculo, ut ajunt, purgante aquæ Tetutianæ ubertim epotantur, ventriculum, & inteſtina non ſolum fluiditate laxant, ſed etiam gravant pondere, & mordacitate irritant, ac propterea priuſquam

(1) *lib. Epid. 6.* (2) *com. h. l.* (3) *Cap. 1. com. in aph. 17.*
(4) *lib. 2. Parad. cap. 13.* (5) *lib. 3. prax. c. 13. n. 33.*

quam vaſa lactea ſubeant in magna quantitate per alvum ſibi viam aperiunt. Craſſas vero, mucoſaſque quiſquilias ventriculi, & inteſtinorum parietibus adhęrentes incidendo, abſtergendoque, acres moleſtiſſimos ſuccos, qui inteſtina verſus propulſi enormes ibidem ſpaſmos, ac vaſorum ſanguineorum oſcula reſerando, fibraſque corrumpendo immania ibidem ulcuſcula excitant, mire edulcando, alvi fluxibus egregie opitulantur. Quod non ſine admiratione accipi ſolet ab iis, qui nondum ſubtiliorem medicinam ſcrutati ſunt. Quare enim morbos a materie mordaci oriundos materia mordax, aqua ſcilicet Tetutiana, quæ inſigni pollet ſalſedine, ſanabit, quare mordax, ac ſalſa materies mordacem, ac ſalſam edulcabit? Alchali, & acidi propugnatores rem facillime expediunt. Cum enim exiſtiment, ſalem ſalſum in humano corpore vel in acidum, vel in alchaleſcentem acrem converti, hos ſales, cum acutiſſimi ſint, inteſtinorum fibras non ſolum vehementius irritare, ſed mucum inteſtinorum pariter parietibus adhærentem abradere, tunicas exulcerare, atque moleſtiſſimos alvi fluxus progignere, eo adducuntur, ut credant, ſalem marinum mitiorem utriſque, quo certe aquæ Tetutianæ fœtæ ſunt, eorum eſurionem eſſe, idcirco acidi, & acris ſpicula ab inteſtinorum fibris, dum per eaſdem fluunt, extrahere, ac per alvum extra corporis confinia educere. Qui nullum ſalem frequentius in humano corpore reperiri, quam ſalſum, certis Roberti Boylei aliorumque obſervationibus edocti affirmant, ac multo frequentius ab ſalſo, quam acido, qui nunquam in eodem corpore ſenſibilis apparet, aut ab acri, qui rariſſime ſe prodit, iſtiuſmodi morbos exoriri conjiciunt, ſalſos humores, qui partes vellicant, ac corrodunt, eo prorſus modo edulcari putant ab aquis ſalinis, quo ſalſamenta infuſa eadem aqua marina magis, quam inſipida miteſcunt, ut meminit Chryſippus apud Plutarchum (1). Cujuſce rei ratio non alia eſſe videtur, quam quod ſalis particulę ſalſorum humorum cum ſalis particulis aquæ marinæ ob planam, & ſimilem utrorumque ſuperficiem facile coeunt, & in maſſulas majores coaleſcunt, quibus ſalibus ab inteſtinorum fibris ope ſalinarum aquarum extractis, ac per alvum eductis, acres, mordaceſque humores leniri, ac miteſcere contingit, morboſque ab eo prodeuntes profligari. Si ita res haberet, nihil negotii faceſſeret explicatio textus Hippocratis (2), quo loco, *Aqua marina*, inquit, *pruriginoſis, & qui ab acribus humoribus mordentur, tum lotione, tum fotu calida prodeſt: ulceribus etiam, & ambuſtioni, & abraſioni, & reliquis hujuſmodi adverſatur*. Cum enim ſcabies, prurigines, atque ulcera ab acribus, ac mordacibus humoribus ſolidam ſubſtantiam carnium erodentibus, ac corrumpentibus exoriantur, paradoxum videtur, eadem mala acri, ac mordaci materia curari. Ejus præ cęteris mentionem facit Proſper Martianus ſuper Hippocratis locum citatum, atque in rei comprobationem affert Dyſenteriæ exemplum ab acribus humoribus inductæ, quæ ope aquæ Tetutianæ egregie ſedatur.

XV. *Hiſce poſtea ſuccedat pul. ex ter. ſigil. Cor. Cer. &c. Op. crud. &c.*) Abſterſis hac ratione primis viis, edulcatiſque acribus, ac mordacibus humoribus, ſi adhuc morbus perſeveret, quod plerunque ex eo contingit, quia ex glanduloſis folliculis laxatis jam perpetuo humores plorant, qui cum reliquias pravorum, vitioſorumque offendant, facile corrumpuntur, ac ſtimulo cum ſint nerveis inteſtinorum fibris, eorumdem motum periſtalticum ſollicitant, leniter adſtringentia, atque opiata abſorbentibus, ſeu præcipitantibus mixta eximiam operam præſtant. Abſorbentia nimirum, cujuſmodi ſunt terrę multæ, acres ventriculi, & primarum viarum ſuccos in ſtipticam, & aluminoſam dulcedinem mutant. Alumen enim conſtat ex acido vitriolico, quod corroſit, & tamquam propriam ſedem terram penetravit, unde vis ejus corroſiva infringitur. Tormentilla leniter, & blande adſtringendo, ne e glanduloſis folliculis, ac ductibus in inteſtinorum cavitatem hiantibus perpetuo effundantur humores, qui morbo anſam præbent, prohibere valet. Opiatis tandem convulſiva contractio, qua prædictorum humorum exeretio ſollicitatur, compeſcitur. Enimvero ſolis adſtringentibus uti, diſcriminis plena res eſt. Verendum enim eſt, ne acres, vellicanteſque particulæ intus retentæ ventriculi, atque inteſtinorum inflammationem, quæ in ſphacelum, docentibus Galeno, & Cratone, aliiſque, facile termi-

(1) *Symp. p. quæſt. 9.* (2) *De humid. uſu n. 7.*

minatur, progignant. Solis opiatis minus tutum. Opium enim referente Cl. Jo. Allen (1) plerunque dolorem ſedat, ſomnum conciliat, & dejectiones rariores reddit, ſed tamen copioſiores ſunt, & æque tenues, liquidæ, ut ante, & magis fœtentes. Nil deterius eſſe, quam immoderato adſtringentium, & opiatorum uſu alvi fluxu laborantes pertractare a pleriſque adnotatum eſt, præ cæteris vero a Cl. Frid. Hoffmanno (2) ubi habet: *Non ſemel, ſed aliquoties, quod ſancta fide teſtari poſſum, ab immoderato adſtringentium, & opiatorum uſu in Diarrhœæ, vel Dyſenteriæ fluxu coercendo ..... moleſtiſſimum Hypochondriacum, quod in feminis hyſtericum dicitur malum, & quod per omnem fere reliquam ætatem homines miſere exercuit, enatum animadverti.* Quid quod opiata ſenſum fibris adimendo ſphacelationi anſam præbent? ut *M. N. C.* (3), Platerus (4), Acta Hafnienſia (5), Bartholinus (6) teſtantur. Plures hiſtorias eorum, qui opiatorum uſu extincti ſunt vid. in Thonero (7), Waldſchmidio (8), Tillingio (9), Sennerto (10), Marcello Donato (11). Minus vereri tamen narcoticorum uſum fas eſt, cum jam temporis diuturnitate, & abſorbentium vi contemperati fuerint acres, erodenteſque humores: præſertim vero Diaſcord. Fracaſt. Theriac. & e. m. in quibus opium ſedandi vim exercet, cœtera corroborandi, ſeu mavis blande adſtringendi.

XVI. *Hiſce demum ſtiptica; Trochiſci, de Spod. de Karabe ..... pulv. Craton. &c.* Ad ſtiptica quandoque tamen deveniendum eſt, ac tum præſertim, cum contemperatis pravis vitioſiſque humoribus, ſedatiſque doloribus laxatæ inteſtinorum, folliculorumque fibræ ad priſtinum toni ſtatum redigendæ ſunt, ne amplius humores percolent, ac fœces fluidiores dimittant. Eximia virtute donari trochiſc. de Spod. de *Karabe* nemo inficiaverit, qui eorum compoſitionem noverit, in quam & gummata, & abſorbentia & mucilaginoſa præter adſtringentia recipiuntur: unde etiam ad ſitim extinguendam commodi, præſertim de Spodio propter ſemina, & fructus, ſuccoſque ſubacidos. Neque de vi pulveris a ſuo Auctore Cratonis dicti quiſpiam dubitaverit, qui & tragacant. & gum. arabic. & coral. & ter. lemn. & bol. armen. & lapid. hœmat. & ſanguin. Dracon. & roſ. rubr. & balauſt. & radices torment. & biſtort. a. p. æquales & ſemina portulac. plantagin. ſoph. Chirurgor. a doſeos primæ medietatem, maciſparum eamdem conficere intelligat, quæ omnia aut ad incraſſandum, aut abſorbendum, aut valide adſtringendum valere plurimum compertum eſt. Quæ poſtrema virtus probe eſt animadvertenda, cum ſatis doceat, nonniſi aliis fruſtra adhibitis in uſum vocandum eſſe remedium, cum a levioribus ſemper ſit incipiendum, ut ea prejudicia præcaveantur, quæ ab improvido adſtringentium uſu ægris imminere ſupra adnotavimus.

XVII. *In dyſenteria ſi febris adſit, dolor vehemens &c.*) Venæ ſectionem in Dyſenteria cum febre miris laudibus extollit Riverius (12), teſtaturque, ſe in Dyſenteria cum febre acuta, octavo demum die, cum fructu quinque ſanguinis uncias e brachio detraxiſſe, & alibi (13), ſe venæ ſectionem in muliere Dyſenteria cum febre detenta ſeptimo, & octavo die ſumma cum felicitate inſtituiſſe. Amatus vero Luſitanus (14) affert exemplum viri cujuſdam plethorici, quique vino immoderate abutebatur, dyſenteria, & febre acuta detenti, qui ſecta vena melius habuit, atque brevi in priſtinum ſuæ valetudinis ſtatum reſtitutus eſt. Quid quod Bottallus (15) decies, & ultra ſe deprehendiſſe teſtatus eſt, nullum remedii genus dyſenteria laborantes magis juviſſe, quam venę ſectionem? Teſtem pariter hujuſce rei locupletiſſimum habemus Sydenhamum, affirmantem ſe fere ſemper Dyſenteriæ curationem cum venæ ſectione auſpicati, quod poſtea confirmat exemplo cujuſdam Dyſenteriæ, quæ tandem ſola venæ ſectione feliciſſime curata fuit, cum innumera fere fruſtra fuerint adhibita. Ex quo liquido conſtare arbitror, in ſumma obſcuritate illos verſari, qui communi Medicorum Hippocratis, & Galeni auctoritate confirmata opinione ducti, *alvo fluente non eſſe detrahendum ſanguinem*, a venæ ſectione in Dyſenteria prorſus abſtinent. Quid quod niſi nimius ad inteſtina humorum fluxus prohibeatur venæ ſectione,

(1) *Synop. p.* 1. *art.* 624. (2) *M. S. cap.* 7. *p.* 227. *in ſch.* (3) *Dec.* 2. *&* 6. *obſ.* 104. (4) *lib.* 3. (5) *p.* 2. *ob.* 17. (6) *cent.* 6. *hiſt.* 2. (7) *lib.* 3. (8) *Diſſert. de nox. op.* (9) *de Op. pag.* 46. (10) *lib.* 6. *prax. P.* 3. *cap.* 1. (11) *in hiſt. med. mirabilib.* (12) *cent.* 3. *obſ.* 37. (13) *obſ.* 64. (14) *cent.* 2. *obſ.* 11. (15) *cap.* 4.

ne, & universa sanguinis massa temperetur, inflammatio, quę plerunque in sphacelum desinit, subsequi facile potest?

Clysteres primum ex decoct. intestinor. vitul. &c.) Vel tenuia, vel crassa intestina in Dysenteria afficiantur, Clysteres visi sunt opportunissimi. Si crassa, nemo ignorat, Clysteres ipsis applicari viribus suis integris permanentibus, atque eorumdem vitiis immediate occurri. Si tenuia, eorumdem operationem secundario, & per consensum in eadem exerceri manifesta res est. Ii autem præ cęteris locum habent, qui urgentioribus symptomatibus, torminibus scilicet, ac dolori occurrunt, quorum in censu veniunt, qui ex decoct. intestinor. vitul. &c. desumuntur. Hisce addendi, qui ulcuscula ibidem excitata abstergere primum, mox consolidare habent. Abstergente vi leniissima donari Clysteres ex decoctu hordei leviter torrefacti cum melle, vulneraria ex vino albo, in quo ebullierint flores hyperici, millefol. &c. manifestius quidem est, quam ut ullis rationibus possit comprobari.

XVIII. *Si maligna sit Dysenteria, optime cedunt opiata diaphoreticis mixta.*) Difficultatibus intestinorum si sudor superveniat, easdem sanari a Cl. Baglivo, aliisque adnotatum est. Sudore nempe non solum acres, atque erodentes humores intestina in violentas, & non ordinatas contractiones sollicitantes, atque eorumdem substantiam exulcerantes ad cutim derivari, atque extra corporis confinia educi contingit, sed totius sanguinis crasim mutari. Quid ergo si arte sudor procuretur? Id enimvero cum in cęteris omnibus, tum in malignis Dysenteriis præstandum est, quæ ab acribus, erodentibus, ac massam sanguinis corrumpentibus particulis ortum traducunt. Opiata porro diaphoreticis misceri solent, non tantum ut intestinorum cruciatus, atque irritationes nimiæ sedentur' sed ut toti nervoso generi placida exoptanda tranquillitas concilietur, sanguini vero, & humoribus æquabilis, & ordinatus motus, quod cum ad secretiones quascumque, tum etiam sudoris promovendas existit opportunissimum.

XIX. *Cortex quoque radic. Cascaril. alexipharmacis mixta.*) Cortex radicis Cascaril. ex quibusdam Americæ meridionalis regionibus ad nos affertur. Primus omnium de hoc cortice verba fecit J. And. Stisserus Profes. in Academ. Julia (1), ac varias ejusdem facultates recensuit, quarum potior illa visa est, quam habere credebatur febres fugandi: in nundinis enim Brunsvicensibus idem cortex pro cortice Peruviano Chin. Chin. dicto a Mercatoribus nonnullis vendebatur. Virtutem hancce eidem cortici prę cęteris inesse, in dissertatione quadam inedit. in *A. R. S. P.* pręclare ostendit Cl. Boulducius. Immo admonet D. Fagonium Archiatrum Ludovici XIV. se experimentis didicisse, minorem dosim sufficere ad febres fugandas, nec illa temporis diuturnitate opus esse, qua revera opus est, dum eędem Chin. Chin. pertractantur. Verum decursu temporis alię facultates tributę eidem fuerunt. Nobilis illa esse videtur, quam inesse eidem ostendit Jo. Ludovicus Apinus Medicus Hersprucensis in historica, quam anno 1697. edidit Norimbergę relatione febris epidemicę an. 1694., & 1695. in Noricę ditionis oppido Hersprucensi, & vicino tractu grassari deprehensę, quam recepit, ac miris laudibus extulit cit. Boulducius, Dysenterias scilicet sanandi, prępipue quę symptomata sunt febrium acutarum, & malignarum. Aromaticum enim est suavissimo odore prędituin, plane simile odori Moschi, quod cum spiritibus erigendis, recreandisque, ac miasmati cuique deleterio, ac maligno expellendo, tum terrestri quo fętum est elemento roborandi ventriculum, & intestinorum tonum virtute donatur, hinc dysenterię profligandę existit opportunissimum. Idque tunc maxime, si vulgaribus alexipharmacis, cujusmodi esse reputantur Bezoartica, radix tormentil. aliaque id genus, misceatur. Fateor enimvero me in constitutione epidemica, quę grassabatur an. 1741. febrium malignarum, quas enormes Dysenterię comitabantur, istius generis medicamentis nullum efficacius aut pro ęgrorum opportunitate valentius deprehendisse.

Si cortic. Simaroub. pul. ad ʒ .s. optimum in omni casu. Ea est cortic. Simaroubę prędantia, ut quocumque modo exhibeatur vel sola, vel aliis antidysentericis medicamentis consociata, vel pul. in bol. form. vel decoct. suas vires apte exerceat ad dysenteriam profligandam. Hinc ubi res, & occasio tulerit, narcoticisconfectionibus addi potest supra recensitis, absorbentibus, & adstringentibus remediis, alexipharmacis, prout prudenti Medico videatur. De ejusce medicamenti virture, qui plura cupit, adeat tractatum de morbis Mulie-

(1) *In actor. laboratorii chymici specimine secundo an. 1693. Helmestadii edito.*

lierum (1), ubi eam fuſius declaravimus.

XX. *Dyſenteriam cæteris remediis fruſtra adhibitis ſola quandoque radice Ipecuacan. &c.*) Vomitoriis medicamentis in Dyſenterico malo plures olim practici uſi ſunt . Teſtes hujuſce rei locupletiſſimos habemus Hildanum (2), Sennertum (3), Rolfinckium (4), Etmullerum (5), atque Riverium (6), qui refert, adoleſcentem quemdam ope emetici medicamenti feliciſſime a Dyſenteria liberatum fuiſſe , aliis prope innumeris fruſtra tentatis . Qua de re legi merentur M. N. C. (7) . Occaſionem dediſſe videtur Hippocrates , qui vomitum in diarrhœis , & dyſenteriis conducere (8) teſtatus eſt . In eo enim vomitum etiam arte excitatum comprehendi ſtatuerunt . Non autem quibuſcumque emeticis utendum traderem , ſed ſola Ipecuacan. radice , quæ tamquam infallibile remedium in fluxibus dyſentericis , aliiſque hæmorrhagiis ſanguinis , colliquationibus humorum a Cl. Baglivo prædicatur , id quod confirmat auctoritate Gulielmi Sherard. , Jo. Jacob. Mangeti , Gulielmi Piſonis , qui eamdem miris laudibus extulerunt . In Miſcellaneis quoque N. C. (9) extant exempla dyſentericorum fluxuum , qui Ipecuacan. radice feliciſſime curati fuerunt , ut nullus de ejuſdem virtute ſuperſit dubitandi locus . Et ſane pulcherrima ejuſdem laus eſt , non ſolum peccantes humores per vomitum ejicere , atque ab affecta parte derivare , quod omnium emeticorum eſt , ſed etiam ſtipticas communicare particulas , quibus ventriculi , & inteſtinorum tonum labefactatum jam reſtitui contingit , & ſanguinis , cæterorumque excrementitiorum humorum excretionem cohiberi . In confirmata Dyſenteria , & cæteris remediis cedere neſcia locum habere radicem Ipecuacan. præ incipiente facit potiſſimum , quod in hac præfervidus adhuc ſanguis eſt , ac efferum nimis , atque immite morbi fermentum , ut inflammationes quandoque , & inſignes ſpaſmi ſuſcitentur . In illa vero materia morbifica jam a ſanguine ſecreta inteſtina occupat , unde facilius foras amandatur , ut perbelle oſtendit Cl. Geoffroy (10).

Obſervationibus porro compertum eſt , hanc radicem pluries iterandam eſſe ad recidivas præcavendas . Hinc ſalubre practicorum conſilium , poſtquam in ea doſi præſcripſerint , quæ ægrotantem purgare valent , in parciori doſi ſingulis diebus per vices eamdem exhibere , qua inteſtinorum parietes mucagine obducti roborentur , eorumque exulcerationes abſtergantur , exſiccenturque .

XXI. *Si chronicus fiat morbus , opportuno tempore ad aquas thermales , præſertim B. M. V. &c.*) Aquas B. M. Virginis in agro Patavino tenuiſſimo ſpiritu , modicoque admodum tum ſulphure , tum ſale , ac pauca terra experimentis Jo. Gratiani (11) fœtas eſſe compertum eſt . Eximius hinc uſus in Dyſenteria . Prę̨terquam enim quod moleſtiſſimum ſuccum , qui inteſtina verſus propulſus vaſorum ſanguineorum oſcula reſerando , fibraſque corrumpendo immania ibidem ulcuſcula excitat , terrea portione majorem in modum temperant , laxatiſque fibris qua fieri poteſt tonum reſtituunt , vi præterea ſulphuris , ac ſalis corroſos inteſtinorum parietes abſtergunt , atque exſiccant , unde ſerpentes plagas probe jam dilutas figi contingit , comprimi , atque ocyus obliterari .

Simili fere virtute prædita ſunt Lucenſes , Calderianæ , atque iſtarum omnium uſu teſtatur Fabricius ab Aquapendente multos juvenes pueros , & ſenes dyſentericos in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutos fuiſſe , cum de eorum ſalute jam fere conclamatum eſſet , atque alia remedia votis minus reſponderint . Hujuſce pariter rei teſtes locupletiſſimos habemus Riverium (12), Meermannum (13), M. N. C. (14), Fallopium (15), ut cum frequentia obſervationum , tum ne conſtantia quidem minime deſideretur .

Nec non ad Lac primum aſininum , mox

(1) *lib.* 5. *cap.* 9. *com.* 18. (2) *lib. de dyſent.* (3) *in prax.*
(4) *de ord. & method. conſul.* (5) *colleg. pract.* (6) *cent.* 3. *obſ.* 9.
(7) *Dec.* 2. *an.* 2. *obſ.* 108. *Dec.* 3. *an.* 3. *obſ.* 15. *&* 51.
(8) *aph.* 19. *ſect.* 6. (9) *cent.* 1. *obſ.* 28.
(10) *Mater. Medic. p.* 2. *de veg. exot. art.* 23. (11) *Therm. Patav. exam.*
(12) *cent.* 2. *obſ.* 49. *&* 64. (13) *conſult.* 25. *lib.* 3.
(14) *Dec.* 2. *an.* 10. *obſ.* 29. (15) *De therm. cap.* 11.

vaccinum aqua plantaginis coctum &c.) Si lacte asinino per plures dies secundum Hippocratis mentem utamur, priusquam vaccinum in usum vocemus, dici vix potest, quam apte ęgrorum incolumitati consulamus. Cum enim tenuius sit Lac asininum, nec ita facile corrumpatur, cum ad acres effræneſque humorum particulas temperandas, pravorumque fermentorum vim obtundendam, tum ad corrosos intestinorum parietes probe eluendos, atque ab ulteriori vellicatione tuendos plurimum valet. Lac porro vaccinum crassius cum sit, iisdem parietibus probe jam dilutis conglutinandis existit opportunissimum. Quid si aqua plantaginis coctum exhibeatur, quæ planta mitissimo nitroso sale fœta est, ob quem vulnerariam, ac diureticam blandissimam facultatem sortita est? Lac cum aqua mixtum dysenteria laborantibus exhibendi mos fere Veteribus fuit. Ita Hippocrates (1) testatur, se lacte caprino cum quinta aquę parte remixto in dysenteria usum fuisse. Et Valesius (2) lactis quatuor partes cum aquæ duabus mixtas, immissis lapillis ignitis, aut ignito ferro usque ad consumptionem tertiæ partis, magni usus esse in Dysenteria, & omni fluxione, quam succorum mordacitas peperit, pronuntiavit.

XXII. *In quocumque alvi profluvio optima victus ratio instituatur, juscula extremitatum &c.*) Hipp. l. 3. de dięta in sola victus ratione omnem Dysenterię curationem ponit: Cibos omnes detrahit; a ciborum enim repletione illam plerunque fieri existimat. Quod eo sane dico, ut intelligas, ea solum alimenta, quę medicamentosa dicuntur, esse concedenda. Horum in censu veniunt glutinosa, ac mucilaginosa corpora, quæ cum acrium, atque erodentium particularum vim infringere ramosa sua parte valent, tum leniendo partes ab eorum spiculis muniunt, & tuentur. Ejusmodi sunt extremitates juniorum animalium, præsertim vituli, & ex his paratæ gelatinæ, uti & gelatinæ Cor. Cer. &c. Celebre hinc est decoctum illud ex Cor. Cer. & mica panis ad mentem Sydenhami compositum, tantopere commendatum ad sitim extinguendam in dysenteria.

XXIII. *Vinum meracum post prandium, vel cœnam concedatur.*) Vinum meracum ob oleosas partes, quas continet, mitemque aciditatem, qua acres, vellicantesque humorum particulas obruendo, qua laxatis fibris tonum restituendo, atque easdem roborando alvi fluxibus egregie opitulatur. Hujusce remedii præstantiam novit Hippocrates, ipsumque primo dilutum, deinde merum, tamquam superpurgationis remedium commendavit. Nec Celsus ipse ab hoc remedii genere abhorruit, dum motu inhibito vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii sit adjecta, jejuno stomacho sorbendum præcepit.

XXIV. *Si causæ dysenteriam efficientes ad intestinum rectum deferantur &c.*) Non potest adesse frequens dejiciendi cupiditas, nisi fibrę ani sphincterem constituentes in celeriores, & non ordinatas contractiones adigantur: in horum enim motu placido, mitique fæcum naturalis expulsio consistit. Quæcumque igitur celeriores hasce contractiones inducere valent, illa ad frequentem dejiciendi cupiditatem producendam aptissima existere manifestissima res est. Sunt autem potissimum acres, erodentesque humorum particulæ, quę vasorum sanguineorum intestinorum substantiam perreptantium oscula reserando, fibrasque corrumpendo dysenteriam efficiebant, ad intestinum rectum, ad ani sphincterem delatæ, ut præ cæteris ostendit Cl. Thomas Sydenhamus (3), qui tenesmum a dysenteria differre tantum diuturnitate arbitrabatur, qua intestina ordine quęque suo deorsum versus affici videntur, donec in rectum intestinum malum omne detrudatur, quem saniores Medici in hac parte sequuti.

XXV. *Fotus ex lacte, in quo ebullierint flores Sambuc. Verbasc. &c.*) Id ubi contigerit, nihil aliud medentibus prędstandum esse, quam ut irritatę fibrę demulceantur, spasmi sedentur, ulcuscula abstergantur, consolidenturque, perspicuum est. Has indicationes absolvunt fotus ex lacte, in quo ebullierint flores emollientes, nec non Clysteres ex lacte, mucilaginibus semin. psyllii &c. si tamen unum, quod maxime ad praxim facit, adnotetur, ut scilicet in parca dosi, & levi manu injiciantur, ne sci-

(1) *lib. 7. Epidem.* (2) *com. in lib. 2. Epid. p. 103.*
(3) *Med. opusc. pag. 202.*

ſcilicet latera nimis urgeantur, premanturque, locuſque affectus moleſte afficiatur, unde morbus exaſperetur potius, quam remediorum benignitate miteſcat.

XXVI. *Terebinthinæ prunis ardentibus injectæ vapor per anum in ſella perforata excipiatur.*) Vaporem terebinthinę prunis ardentibus injectę, tamquam ſummum remedium commendavit Cl. Baglivus. Sulphureę enim exhalantes particulę ex reſinoſo illo corpore, ubi in affectas partes ſeſe inſinuaverint, noxiam materiem mulcent, ac loco exturbant, acres vellicanteſque particulas exhauriunt, filamenta deinde fibrarum ani ſphincterem conſtituentium firmant, & ad aſſueta munia apta reddunt.

CAPUT IV.

De ventriculi, & inteſtinorum inflammatione.

I. *UTi cæteræ partes, ac viſcera, ſic ventriculus, & inteſtina non raro inflammatione corripiuntur.*

II. *Febres ardentes, acutæ, malignæ præſertim, quæ a depravatis primarum viarum ſuccis exoriuntur, cholericæ, dyſentericæ, ingeſta quæcumque acria, ſcindentia, venena cauſtica, purgantia, emetica maxime reſinoſa iis, qui calido ſunt temperamento, potus aquæ nive perfrigeratæ æſtuante corpore, fumi metallorum, præcipue plumbi, morbo plerunque occaſionem præbent.*

III. *Signa diagnoſtica inflammationis ventriculi ſunt tumor in præcordiis apparens ſub coſtis ſpuriis, dolor immanis cum ſenſu ardoris, qui in dorſum uſque protenditur, anxietas, inquietudo moleſtiſſima, difficilis reſpiratio, pulſus frequens, contractuſque, alvi occluſio, vomendi conatus, febris acutiſſima cum inſigni calore, & æſtu totius corporis, interdum algida, in qua interiora uruntur, exteriora algent, ſitis vero inexplebilis urget.*

IV. *Eadem fere inflammatis inteſtinis contingunt, ſi tumoris ſedem excipias, qui tumor non raro coli, ilei, inteſtini recti regionem occupans doloris colici, iliaci, a flatibus, ut ajunt, provenientis, aut hæmorrhoidum, quæ cæcæ dicuntur, ſpecie minus cautis imponit.*

V. *Ubi dolor improviſo ceſſet, reliquis omnibus ſymptomatibus continuo urgentibus, brevi hominem moriturum pronuntiato.*

VI. *Si inflammationi recti inteſtini ultima infeſtanti pro hæmorrhoidibus cæcis falſo habitæ dyſenteria blanda ſubcruenta, bilioſa ſuperveniat, bonum.*

VII. *Niſi inflammatio reſolvatur brevi, dolor autem, qui ardens erat, & acutus, obtuſus, & cum gravitate fiat, febris remittat, abſceſſum, qui diſruptus vel vomitum, vel dyſenteriam purulentam progignit, vel in aſcitidem degenerat, factum eſſe pro certo habendum.*

VIII. *Simul ac adeſſe ventriculi, aut inteſtinorum inflammationem noveris, ſtatim vena ſecanda, bis, terque, & ultra, ſi vires firmæ, ac validæ ſint.*

IX. *Clyſteres ex decoct. hord., aut cancror. fluviatilium unc. v. nitr. puriſ. ʒ. i. ſyrup. violar. aut portulac. unc. i. ad tertiam, quartam, & ultra vicem injiciendi.*

X. *Extrinſecus abdomini fomenta ex floribus verbaſc. malvar. violar. camomil. lacte decoctis, vel omenta animalium juniorum recenter mactatorum, vel inteſtina eorumdem calida applicanda.*

XI. *Alterans quotidie ex ſero lact. deſtil. cum cichor. unc. vi. nitr. puriſ. ℈. i. ſyrup. de ſuc. Acetoſ. ribi. vel rub. idæ. unc. i. matutinis horis exhibendum. Veſpertinis vero emulſiones ex quat. ſemin. frigid. in aq. hord. ſimpl. lactuc. portulac. ſpermatis ranar. cum nitr. puriſ. ℈. i. ſyrup. violar. unc. i.*

XII. *A ſaturninis medicamentis, ſi quid ſentio, abſtinendum traderem. Ita & ab opiatis.*

XIII. *Ad ſtatum accedente morbo, ſi vomitus gravior, vel irritus vomendi conatus ſuperveniat, ſola eluentia, aqua ſimplex, vel deſtillata cum cichor. endiv. nymph. malv. parietar. calida aſſumenda.*

XIV. *Tenuiſſimus ſit victus ex ſolis juſculis extremitatum pedum vituli, gelatin. earumdem, nec non decoct. aven. hord. & ſimilibus.*

XV. *Ulcus poſt abſceſſum factum ſero lactis deſtil-*

deſtillato cum plantis vulnerariis, opportuno tempore aquis thermalibus, tandem lacte pertractandum.

XVI. Si craſſa inteſtina ſint affecta, Clyſteres ex lactis Kalybeati unc. vii. terebinth. venet. vitel. ovor. ſolut. unc. .s. Mel. roſat. unc. i. apprime conveniunt.

CAPUT IV.

De ventriculi, & inteſtinorum inflammatione.

I. *Uti cæteræ partes, ac viſcera, ſic ventriculus, & inteſtina inflammatione &c.*) Num ventriculi, & inteſtinorum inflammatio frequens ſit morbus, dubitant nonnulli. Si Veterum, & Recentiorum fere omnium monumenta conſulamus, Hippocratis præſertim, Cælii Aureliani, aliorumque, nullibi hujuſce inflammationis meminiſſe affirmant. In eamdem ſuſpicionem veniunt, ubi Galenum, Celſum, Trallianum, Sennertum, Etmullerum perlegerint, quorum alii ejuſdem inflammationis vix ullam mentionem faciunt, alii vero rariſſimum morbum eſſe tradiderunt. Moderni vero, quos inter Boerhaavius, & Hoffmannus eminent, diligentiſſime morbum hunc deſcripſerunt, & variis obſervationibus, atque experimentis illuſtrarunt. Vereor tamen, ut multa in obſcuritate verſentur illi, qui Hippocrati, & Cælio Aureliano inflammationem hanc innotuiſſe negant. Ecquid enim putas eſſe illos oris ventriculi, & præcordiorum dolores, de quibus divinus ſenex loquutus eſt (1)? ecquid ventriculi illa pathemata, quæ ſub nomine cardiacæ paſſionis inſigne methodicorum decus Aurelianus comprehendit (2), quam quinta, vel ſexta die febribus ardentibus continuis, & inflammatoriis ſupervenientem ab affecto ore ventris repetendam eſſe exiſtimat, ecquid inquam, quam oris ventriculi phlogoſim, aut inflammationem? Ne Baglivus quidem diligens obſervator, homo ingenioſus apertiſſime morbum hunc deſcripſit. Novit tamen tumores dolorificos inflammatorios hypochondriorum, novit ventris intumeſcentiam in acutis, ac proinde tantam eſſe neceſſitatem hypochondria tractandi in acutis judicavit, ut nemo bene curare, bene præſagire poſſit, qui eorumdem ſtatum ignoraverit. Quibus facile adducor ad credendum, inflammationem ventriculi, & inteſtinorum raram quidem affectionem eſſe, quæ per ſe, & primario homines invadat, frequentiſſime vero acutis morbis ſupervenire. Quidni etiam conjectare liceat, ut cæteri ſolent, gradu differre inter ſe ejuſcemodi morbos, qui propterea Medentibus minus cautis alterius morbi ſpecie non ſemel imponant?

II. *Febres ardentes, acutæ, malignæ præſertim &c.*) De cauſa proxima, deque remotis inflammationis vix ulla erant dicenda, cum ex dictis alibi (3) clare innoteſcant. De antecedentibus tantum, atque externis agere conſultum viſum fuit, a quibus ſpeciatim ortum traducunt. Atque ut a febribus exordiamur acutis, vel ab humore calido, & ſicco, bile videlicet vel excedente, ut Hippocrates ſentit, vel putreſcente in vaſis majoribus viſcerum naturalium, ut Galenus, & Avicenna affirmarunt, exoriantur, vel a ſale volatili acri, & oleoſo, ut Etmullerus, vel acredine ſanguinis cum nimia tenuitate, & ſolutione ejuſdem conjuncta, ut Moderni tradiderunt, (quæ lites potius de nomine ſunt, quam de re) illud certum eſt, cor, & arterias in crebriores, vehementioreſque contractiones agi, univerſum nervorum genus mire percelli, ſanguinem atteri, fundi, acremque fieri ea ratione, qua extremitates capillarium vaſorum convellantur, ſicque liber ſanguinis excurſus præpediatur, unde inflammatio. Idem plane dictum velim de febribus malignis, licet non adeo manifeſta res ſit. Sunt enim, quæ cum miti calore, pulſu a naturali parum recedente incipiunt. Mirari autem plerunque ſubit, horrenda ſymptomata derepente ægrum invadere, convulſiones præſertim, quibus fit, ut capillaria vaſa anguſtiora reddantur, quam ſanguini libere trajiciendo ſufficiant, unde inflammationes facile ſubſequuntur. Quid ſi gaſtricæ a Ballonio dictæ ſint febres malignę, quæque a ſuccorum diſſolutioni ciborum inſervientium putredine, ac corruptione enaſcuntur? Ventriculi, & inteſtinorum inflammationem ſubſequi debere manifeſtius quidem eſt,

(1) *in coac. prænot. ſect.* 2. *& lib.* 1. *Epid.* (2) *lib. de morb. cap.* 2.
(3) *lib.* 1. *cap.* 5. *com. in aph.* 5. *& lib.* 2. *cap.* 4. *com. in aph.* 2. *&* 3.

eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Cholericæ, Dyſentericæ) Cholera, & Dyſenteria, ut ſupra oſtendimus, frequentiſſime enaſcuntur, quod copioſa illa vaſcula, quæ ad univerſalem humorum expurgationem inteſtinis ſunt conceſſa, copioſiſſimos ichores in eorumdem cavitatem effundant, qui acrimonia ſua quandoque periſtalticum ſolum motum ſollicitare habent, quandoque ipſam ipſorum inteſtinorum ſubſtantiam abradere, continuum ſolvere, ſanguineæ maſſæ excretionem promovere. Quis autem non videt, quam facile in tanta perturbatione vaſculorum inteſtina perreptantium diameter plus æquo anguſtus reddatur, unde ſanguis ſubſiſtat, atque inflammatio excitetur?

Ingeſta quæcumque acria, ſcindentia, venena cauſtica, purgantia &c.) Non alia de cauſa acria, ſcindentia, cujuſmodi ſunt aciculæ, vitrea fruſtula, de quibus Hildanus (1), nec non M. N. C. (2), emetica, purgantia acriora inflammationem inteſtinorum progignunt, quam nerveas eorumdem fibras ſtimulando, vaſa ſanguifera convellendo, conſtringendo, aut alia ratione afficiendo, qua liber ſanguinis excurſus præpediatur. Non ſolum ſi internæ membranoſæ partes, ac ſenſu exquiſitiſſimo pollentes aciculis, fruſtulis pungentibus lædantur, graviſſimi, ac lethales excitantur morbi, ſed etiam ſi externæ. Ita Amatus Luſitanus (3) dolorem, & febrem ex ſola acus punctura in digito notavit. Ex punctura tendinis in pollice quemdam ſeptimo die mortuum eſſe refert Cheſneau (4). Ex unguibus incaute reſectis lethalem convulſionem Rhodius: ut mittam gravia illa ſymptomata, quæ excitantur, ubi nervus in manu circa baſilicam, vel tendo ſub cephalica in venę ſectione adminiſtranda ab imperitis Chirurgis phlebotomo læditur, ut Paræus (5), Fonſeca (6), & Hildanus (7) teſtati ſunt. Si de purgantibus reſinoſis, quæ inteſtinorum parietibus firmiter adhærent, & diutiſſime in actione perſiſtunt, ſermo ſit, ſalubre quidem eſt practicorum conſilium, tartareis, ac lixiviosis ea corrigere, fluiditatem conciliando, ſolvendoque; ſi tamen præſcribantur, qui fibrarum elatere, & humorum fervore nimio, tenuitateque donantur, ſpaſmos graviſſimos excitant, atque enormes ventriculi, & inteſtinorum ſubverſiones, quæ inflammationi occaſionem præbent. Haud ignoro, Boerhaavium in quamplurimis morbis purgantibus, atque emeticis uti validiſſimis, quorum nos meminiſſe ſolum horremus. Quem autem non moveat Boerhaavius ille, qui & tanto ingenio ſit tantaque doctrina, & eruditione, ut novum medicinæ lumen a litteratiſſimis hominibus appelletur? At vero ſedulo perpendas velim, ubinam medicinam fecerit: In ea nimirum Hollandiæ parte, quæ auſtralis eſt, Bataviam intelligo, cujus incolę debiliori fibrarum textura, laxiorique habitu donantur. Nullus tamen dubito, quin Italis eadem minus commendaſſet. Quam apte Celſus! *Aliud medicamentum Romæ, aliud in Græcia adhibendum*. Quo loco fateor, me juſtis laudibus ornare non valere vetuſtiſſimos medicos præſertim methodicæ ſectæ deditos, quos inter eminet Aſclepiades, qui ſolis lenientibus contenti purgantia, & emetica altiori voce damnarunt, atque ejicere prorſus conati ſunt. Plato quoque in Timæo jure optimo admonuit, corpora violentis medicamentis non temere eſſe movenda. Purgantia quæcumque tandem ſint ſtomachum lædunt, malique ſucci ſunt, ut adnotavit Celſus (8). Hinc eſt, & Hippocratem Demetrio amico, & familiari ſuo helleborum, & ſimilia exhibere noluiſſe, & Cratonem (9) ſalubre monirum reliquiſſe, vehementia pharmaca aliquid de viribus, & ſubſtantia corporum auferre, hinc fortioribus, ruſticis, non vero tenerioribus eſſe exhibenda.

Potus aquæ nive perfrigeratæ æſtuante corpore.) Inter nervoſas partes, quibus frigus ſecundum Hippocratem (10), & Celſum (11) inimicum eſt, eminent ventriculus, & inteſtina. Hinc hauſtus aquæ nive perfrigeratę vaſa ſanguifera plus ęquo conſtringendo, libera ſanguinis circulatione prępedita, inflammationes, alioſque graviſſi-

(1) *cent.* 1. *obſ.* 34. & *obſ.* 2. *cent.* 5. (2) *Dec.* 1. *an.* 3. *obſ.* 86.
(3) *cent.* 1. *hiſt.* 38. (4) *lib.* 1. (5) *in oper. lib.* 9. *cap.* 38.
(6) *lib.* 1. *conſul.* 74. (7) *cent.* 4. *obſ.* 20. (8) *lib.* 5.
(9) *conſ.* 5. *lib.* 5. (10) 5. *aph.* 17. & 18.
(11) *lib.* 10. *cap.* 10.

viſſimos morbos earumdem partium excitat. Ita Aetius (1) aqua frigida ab ęſtuante corpore ingurgitata ortam iliacam paſſionem memorat. Puellam quamdam poſt emulſionem gelidiſſimam in eumdem morbum incidiſſe teſtantur *M. N. C.* (2), Cardialgiam notavit Rhodius (3), Dyſenteriam cum torminibus, quę in mortem degeneravit, in puellis glaciem deglutientibus obortam teſtatur Borellus (4). Alias hiſtorias vid. in Marcello Donato (5), in Caſp. Calder. de Heredia (6), Baccio (7), Hildano (8), Schenkio (9), Benivenio (10), Foreſto (11), Ludovico Mercato (12). Ex quibus conſtat, peſſime ſuę ſanitati conſulere, qui ſub ardentiſſimo Sole incaleſcentes, ac ſudantes, gelidiſſimas, ac nive perfrigeratas potiones in deliciis habent, Senatores illos imitantes, quos, quia in aqua frigida immergi ſolebant, eleganter irridet Plinius (13), dum ait: *Vidimus conſulares ſenes ob oſtentationem rigentes*. Quem turpiſſimum morem ſuis quoque temporibus vigentem altiori voce damnavit, & e medio tollere, quantum illi fas fuit conatus eſt, dum inquit: *Hi nives, illi glaciem potant, pœnaſque montium in voluptatem gulæ vertunt: ſervatur algor æſtibus, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeat*.

Fumi metallorum, præcipue plumbi, morbo &c.) Non alia de cauſa fumi metallorum inflammationi ventriculi, & inteſtinorum occaſionem prębent, quam ſpaſmum inſignem in nerveas inteſtinorum fibras inducendo, vaſorumque ſanguineorum extremitates conſtringendo, convellendo, aut alia ſimili ratione afficiendo, qua opus eſt ad liberum ſanguinis excurſum prępediendum. Quod ubi de multis manifeſtum putat Ramazzinus, de fumo Plumbi, ſeu Saturni manifeſtiſſimum eſſe contendit Frid. Hoffmannus (14). Cum enim plumbum maximam partem de Mercurio participare certis ſtatutum ſit experimentis, hinc eſt, vehementiſſimo ignis motu facile in minimas reſolvi particulas, quę tamen ponderoſiores cum ſint, ad inferiora deſcendere coguntur ſpeciem flaveſcentis cujuſdam fumi ſapore ſubdulci efformantes, qui cum ſaliva deglutitus, ad ventriculum, & inteſtina delatus, ratione ſuę gravitatis, & tenuitatis Mercurialis, qua parietibus eorumdem tenaciter adhęrendo, qua anguſtiſſimos meatus, & poros penetrando, acriter pungit, roditque exquiſitiſſimi ſenſus fibras, quę in violentum ſpaſmum, ac convulſionem adactę liberum ſanguinis excurſum prohibent, unde inflammationes, aliique graviſſimi morbi præſto ſunt.

III. *Signa diagnoſtica &c. ſunt tumor in præcordiis apparens ſub coſtis ſpuriis &c.*) Tumor, qui in inflammatione ventriculi ſub coſtis ſpuriis apparet, pendet potiſſimum a ſpaſmo nervearum fibrillarum liberum aeris per totum ventriculi-, & inteſtinorum canalem excurſum prohibente: conſtrictis enim ventriculi orificiis coercetur ibi, & carcere veluti occluditur aer, qui propterea ſeſe dilatans, ac rarefaciens, eumdem majorem in modum diſtendit, unde tumor.

Si aliter res haberet, intelligi vix, ac ne vix quidem poſſet, qui tantus tumor exoriretur. Vaſa ad ventriculum pertinentia ſanguifera copioſiſſima quidem ſunt, at tenuiſſima. Ecquis igitur putet, a ſanguine ibidem hęrente ita diſtendi poſſe, ut ſine aeris interventu, tumorem illum inſignem conſtituant? Quid quod in diſſectis cadaveribus eorum, qui tali e morbo evaſerunt, nihil pręter rubicunda, aut liveſcentia vaſcula parum turgeſcentia obſervari contigit?

Dolor immanis cum ſenſu ardoris &c.) Cum pars inflammatione detenta tota quanta eſt membranoſa ſit, tenuiſſimis nerveis filamentis conflata, liquet, cur a ſanguine ibidem hęrente dolor adeo vehemens exoriatur, ut non ſolum manus prementis, ſed ne linteorum quidem pondus ſuſtinere poſſint ęgrotantes. Per mirabilem nervorum conſenſum omnibus fere corporis partibus,

(1) *Tetr. 3. ſerm.* (2) *an. 7. obſ. 73.* (3) *cent. 2. obſ. 71.*
(4) *cent. 3. obſ. 2.* (5) *de Med. hiſt. mirab. l. 4. cap. 6.*
(6) *tract. de potion. varietate.* (7) *de thermis lib. 2. cap. 2.*
(8) *cent. 3. obſ. 48. cent. 5. obſ. 29.* (9) *lib. obſ.*
(10) *de abdit. & miran. morb. cauſis* (11) *lib. 1. obſ. 13.*
(12) *De recto præſidiorum uſu.* (13) *proœm. lib. 29.*
(14) *Diſ. de metallurg. morb. 5. 22. 24.*

tibus, pręſertim vero diaphragmate, pulmonibus, corde in laboris, atque ęgritudinis partem vocatis, anxietas illa, qua loco ſtare neſciunt ęgri, inquietudo, & difficilis reſpiratio, pulſus frequens, aliaque ejuſmodi ſymptomata excitantur.

Febris acutiſſima cum inſigni calore, & æſtu corporis, interdum algida, in qua &c.) Non poteſt ſanguis in aliqua parte diu ſubſiſtere, quin componentes ejus partes ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, ut alibi oſtendimus, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, paulatimque corrumpantur. Quæ cum fiunt, aeres, ſulphureæ, volatiles particulæ exaltatæ in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ ejus agitationem, furoremque inducunt, unde febris cum calore, atque æſtu invadens. Quid ſi nervearum ventriculi, & inteſtinorum partium ſpaſmus adeo vehemens ſit, ut extremis corporis partibus communicatus minimorum capillarium vaſorum diametrum anguſtiorem efficiat, quam ſanguini excipiendo, tranſmittendoque libera circulatione in majora vaſcula, & truncum ſufficiant? Id ubi contigerit, oritur illa febris, quæ λειπυρία græcis audit, latinis algida, in qua videlicet interiora uruntur, cum externæ partes ſummopere frigeſcant. Febrem hanc agnoverunt Hippocrates, & Avicenna, ut mittam Recentiores quamplurimos, qui eamdem ſe obſervaſſe teſtati ſunt. Quo loco ſilentio præterire non poſſum Cl. Pitcarnium eo in loco, in quo affirmat, nullam dari febrem algidam, primo intuitu ſummam in me admirationem commoviſſe (1), quæ tamen ceſſavit omnis, ſimul ac eumdem probe ſum aſſequutus. Novi enim hominem novo de febribus ſyſtemati conſtruendo intentum ingenioſe animadvertiſſe, quæ plurimum eidem officere potuiſſent. Officere autem poſſe vidit obſervationes eorum, qui febres Algidas adnotarunt, quas minime explicare poterat per velocitatem circulationis ſanguinis per æqualia temporis intervalla æqualiter auctam, quam proximam febris cauſam prętendit. Eaſdem igitur dari inficiavit. Cum autem inficiaret, quod obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus ſolertiſſimorum virorum compertum eſt, veritus eſt, ne multis minus probaretur, ac commendaretur. Affirmare igitur poſtea non dubitavit, dari fortaſſe ejuſcemodi febres Algidas, cauſam tamen eſſe auctum ſanguinis motum, vel morbos illos, qui febribus ſolent adjungi. Vult porro, morbos febribus adjunctos vel vitium ſanguinis eſſe, craſſitiem ſcilicet, viſciditatem, & lentorem, vel ſolidarum partium vulnus, ulcus, abſceſſum. Parum refert, utrum hoc vel illud adhibeas ad phęnomeni alicujus explicationem, dummodo certis confirmata obſervationibus minime negentur. Sed hac de re plura de febribus.

IV. *Eadem fere inflammatis inteſtinis contingunt, ſi doloris ſedem excipias &c.*) Non in eodem loco tumorem apparere, ſi inteſtina inflammatione corripiantur, facit potiſſimum diverſus inteſtinorum ſitus. A pyloro enim incipiunt, & ad anum uſque protruduntur complicata mire, ac circumvoluta, ita quidem, ut tenuja, Duodenum ſcilicet, Jejunum, Ileum in medio collocata, craſſa vero Cæcum Colon, & Rectum his circuminjecta deprehendantur. Quotieſcumque igitur inflammatio has partes apprehenderit, dolorem exoriri perſpicuum eſt, pro loci affecti varietate, varium. Mirum autem quam facile minus cauti Medentes in fraudem inducantur de dolore colico, aut iliaco, aut hæmorrhoidibus pronuntiantes, & quod magis eſt, flatus, frigus, ventum accuſantes, unde calidis eumdem tractant carminantibus eventu funeſtiſſimo (2), ut fere Boerhaavius oſtendit.

V. *Ubi dolor improviſo ceſſet, reliquis omnibus ſymptomatibus continuo urgentibus &c.*) Facillime inteſtinorum inflammatio in Sphacelum deſinit. Cum enim eorum ſtructura membranacea ſit, in eos ſpaſmos facile aguntur, quibus ſanguis intra vaſa congeſtus, ac refluere neſcius in putredinem abit, qua Sphaceli natura continetur. Qua de re legi poſſunt obſervationes apud Foreſtum (3), Diemerbrocium, Helmontium, Bartholinum, Blancardum, & Fridericum Hoffmannum (4). Dum autem ſphacelus invadit, ſine dolore invadere Fernelius (5) & Hildanus (6) teſtati

(1) *Elem. phyſ. mat. de feb. ſec.* 23. (2) *aph. de cog. & cur. morb.*
(3) *lib.* 6. *obſ.* 13. (4) *Diſſert. de inflam. ventric. & inteſt.*
(5) *lib.* 2. *de abdit. rer. cauſ. cap.* 15. (6) *lib. de gangræn. & ſphacel.*

ſtati ſunt. Quod non ſine admiratione accipi ſolet ab iis, qui cum ægrum de dolore amplius non conquerentem inviſant, in eam ſpem facile adducuntur, ut credant, in priſtinum valetudinis ſtatum facile rediturum, cum minus quatuor horis delirio, ſingultu, ſudore frigido ſuperveniente moriatur, ut ipſe bis me deprehendiſſe teſtor.

VI. *Si inflammationi recti inteſtini ultima infeſtanti pro hæmorrhoidibus &c.*) Oriuntur hæmorrhoides vel a ſanguinis copia vaſorum hæmorrhoidalium latera nimis diſtendente, vel a ſanguinis craſſitie, viſciditate, & lentore, quo fit, ut tarde admodum propter peculiarem imi ventris circulationem ſanguis moveatur, eadem obſtruente. Utrumque autem, aut alterutrum contingat, niſi vaſa ſanguine turgida, & diſtenta, aut obſtructa aperiantur, dolorem quandoque inſignem progignere ſolent. Cum vero nullus tumor exploranti anum digito, aut inteſtini recti ultima appareat, cęcę hęmorrhoides dici conſueverunt. Quam facile in fraudem inducuntur plerique medentium inflammationem recti inteſtini pro hæmorrhoidibus cæcis habentes! Cæterum quod cæcis hæmorrhoidibus evenire haud raro obſervatur, ut ſcilicet diſruptis vaſculis, in quibus ſtagnat, ſanguis fluere incipiat, idem plane contingere in inflammatione ultima recti inteſtini infeſtante teſtatur Boerhaavius, cum inflammationem recti inteſtini dyſenteria blanda, ſubcruenta ſolvi haud dubie affirmavit.

VII. *Niſi inflammatio reſolvatur brevi, dolor autem, qui ardens erat, &c.*) Inteſtinorum, & ventriculi inflammatio acutiſſimus morbus eſt, ut hominem quandoque viginti quatuor horarum ſpatio, ut ſummum tertio, vel quarto die de medio tollat. Si acutiei fines præterlabatur, nec in mortem terminetur, nihil præter tumoris ſuppurationem expectandum eſt: qui ſi diſrumpatur, atque in ventriculi cavum pus effundatur, cum moleſtiæ ſit nerveis ſtomachi fibris, vomitum purulentæ materiæ excitat, vel ſi in cavum inteſtinorum, dyſenteriam purulentam. Quod ſi pus in cavum abdominis effundatur, fermenti ad inſtar bonos, laudabileſque ſuccos in novum pus convertit, viſcera ibi incluſa corrumpit, exedit, donec Abdomen in tumorem elevetur inſignem, unde Aſcites, ut Boerhaavius cit. loc. teſtatus eſt.

VIII. *Simul ac &c. ſtatim vena ſecanda*) Principem in curatione hujuſce morbi obtinere locum venæ ſectionem plerique ſentiunt. Non deſunt tamen, qui venæ ſectionem ſummi diſcriminis plenum eſſe remedium affirmant, verentes, ne ex ſolutis viribus, quæ cæteroquin in hoc morbo debiles ſunt, ac languidæ, ſphacelus ſuperveniat. Qui neutrum teneat, litem omnem dirimat commodiſſime. Diſtinguenda nempe ſunt morbi tempora. Inter initia, & quam citiſſime inſtituendam eſſe venæ ſectionem facit potiſſimum ea ratio, quia vires adhuc firmæ ſunt, & robuſtæ, vel ſi debiles, per ſuffocationem debiles ſunt, non vero per reſolutionem. Hinc depletis ſanguine vaſis, cum minus reſiſtentiæ offendant ad ſeſe contrahendum, in priſtinum ſui elaterii ſtatum reſtitui contingit, quod craſſum, ac viſcidum eſt attenuari, quod hærens, impactumque dimoveri, excuti, ac circulo reddi. Contrarium omnino ſuccedit, ſi facta jam ſit congeſtio ſanguinis extra vaſa propria, id quod morbi decurſu plerunque contingit, ac vires ſint reſolutæ. Præterquam enim quod venę ſectio inutilis eſt, vires præterea ſic infirmari poſſunt, ut morbo ferendo pares non ſint, hinc ſphaceli periculum.

IX. *Clyſteres ex decoct. hord. aut cancror. fluviatil. &c.*) Ne purgantia in hoc morbo conveniant, facit potiſſimum ea ratio, quod quantumvis lentiſſima ea ſint, ſtimulando operantur. Stimulando porro efficiunt, ut materia, quæ vel in ipſis eſt inteſtinis, vel in eorum fiſtulis, & folliculis ad exitum paratior continetur, motu periſtaltico ad crebriores corrugationes ſollicitato, per inferiora evacuetur. Tantum igitur abeſt, ut ſanguinem in ventriculi, aut inteſtinorum vaſis hærentem diſcutere valeant, atque inflammationem tollere, ut ſpaſmos excitando eamdem potius augeant, aut confirment. Caſſiam leniſſimum purgans eſſe omnibus perſuaſum eſt; immo ad humorum, ac præſertim urinæ acrimoniam temperandam opportuniſſimum. Uti autem purgans eſt, ſtomacho, atque inteſtinis infeſta eſt. Flatus copioſiſſimos gignit, hyſtericis, atque hypochondriacis tantopere nocet, & in nonnullis quandoque, quod mirum dictu, hypercatharſim progignit. Cum enim tarde admodum operetur,

tur, eo quod ſalinæ, acreſque ejuſdem particulæ craſſioribus obvolutæ ſunt, difficillime ſolvuntur, atque a reliquarum nexu ſecedunt: hinc adjuvante calore loci, atque adjacentium viſcerum, effervescentiam, atque fermentationem facile concipit, unde acres, ſtimulanteſque halitus ſuſcitantur, qui moleſtiæ cum ſint nerveis fibrillis, ſpaſmos inſignes in eaſdem inducunt, quibus aeris particulæ, atque ipſi infeſti halitus coerciti dolores, ac tormina moleſtiſſima procreant. Si ſtomachus pravis, vitioſiſque ſuccis onuſtus ſit, quibuſcum corrumpatur, & in fermenti naturam aſſurgat, quod cæteros bonos, laudabileſque velut venenato quodam miaſmate inficiat, hypercatharſi producendæ opportuniſſima exiſtit. Quo loco valde miror, Ludovicum Septalium (1) Caſſiæ uſum in inflammatorio inteſtinorum dolore commendaſſe ob id potiſſimum, quod *miti illo, blando, & humido calore ſæpe inflammationem ſedet, dolorem leniat, & ſuppurationem tumoris adjuvet*, cum paulo ante aperte docuerit, cavendum eſſe ab omni *quantumvis levi medicamento ſubducente, ne attractis ad partem inflammatam ab illæſis partibus calidis inflammatio augeatur*, aut &c. Quid quod ne oleoſa quidem, quæ ad cæteras inflammationes tantopere opportuna ſunt, hic locum habeant? Ramoſæ enim illorum partes calore loci facile aſſantur, comburunturque, atque empyreumaticam acrimoniam nanciſcuntur, quæ irritare vehementer, & ſpaſmos inſignes excitare valet. Saltem verendum eſt, ne cum inteſtina membranacea ſtructura donentur, eorumdem tonum ſic labefactare valeant, ut hærenti materiæ diſcutiendæ inepta evadant. Cum vero ejuſcemodi partibus bona, ac laudabilis ſuppuratio raro contingat, nihil præter gangrænam, & ſphacelum expectandum eſt.

Tutiſſimi porro ſunt Clyſteres ex decoct. hord. parati, vel cancrorum fluviatilium cum nitro ad blandiſſime attenuandum, & ſimul nimium fervorem, motumque humorum compeſcendum aptiſſimi. Illud autem in horum uſu cavendum eſt, ut in parca quantitate, & ſæpius in die injiciantur, ne attactu ipſo ſuo, & copia moleſtiæ ſint nerveis eorumdem fibrillis, quæ propterea irritatæ in vehementiores ſpaſmos agantur, quibus morbus augeatur, aut confirmetur.

X. *Extrinſecus abdomini fomenta ex floribus verbaſc. &c.*) Innumera fere, quæ paſſim a practicis extrinſecus applicanda proponuntur, ſedulo pro ingenii modulo ad examen revocans nulla deprehendere potui, quæ tuto adhiberi poſſe mihi viderentur. Aqua perquam gelida abdomini applicanda poſt Neapolitanos hodie maxime ceu præſtantiſſimum remedium vago Medicorum rumore circumfertur. Verum præterquamquod actuali, ut ajunt, frigore materia perſpirabilis intus cohibetur, quæ ſanguinem ad fluendum minus idoneum reddit, illud præterea accedit, nerveas fibrillas magis, magiſque convelli, atque minimorum vaſculorum diametrum ita anguſtari, ut ſanguini trajiciendo inepta evadant. Frigida enim, aut ait Cælius Aurelianus, adſtrictivæ ſunt virtutis. Tantum igitur abeſt, ut iſtius generis medicamentis impactus, hærenſque ſanguis dimoveatur, excutiaturque, ut hærere magis, ac ſubſiſtere cogatur. Neque Epithemata ex rebus ſpirituoſioribus parata, cujuſmodi ſunt camphora, ſpiritus ardentes, eſſentiæ plantarum, quæ ſale volatili acri conſtant, arridere unquam potuerunt. Summa enimvero fateor tenuitate donari minimis permeandis fibrarum poris, & anguſtiſſimis vaſculis, ac receſſibus quibuſcumque abditiſſimis penetrandis aptiſſima; quid tamen utilitatis afferre poſſint ventriculi, aut inteſtinorum inflammationi, in qua omnia adſtricta, omnia convulſa, adhuc non novi. Nihil porro unquam curæ mihi, cordique ſit, quam ut fibras in hoc morbo nimium conſtrictas molles reddam, ac relaxem, quod nulla meliori ratione præſtare poſſe exiſtimavi, quam fomenta ex floribus emollientibus tepida applicando, nec non omenta, & viſcera Animalium recenter mactatorum, quorum blandus tepor dici vix poteſt, quam ſit opportunus criſpatis inteſtinorum fibris clementer emolliendis, relaxandiſque, debitum hærenti ſanguini fluorem conciliando, ejuſque liberum per vaſa inteſtinorum excurſum promovendo.

XI. *Alterans quotidie ex ſero lactis deſtil. cum cichor. unc' vi. nitri puriſ. &c.*) Quæ demulcendo, ac blande ſedando, quæ blandiſſi-

(1) *caut. medic.* 82. 83.

diſſime attenuando, & ſimul refrigerando operantur in fonte pharmaceutico eſſe in uſum vocanda manifeſta res eſt. Inter quæ eminet Serum lactis deſtillatum cum cicor. &c. nitrum, & ſimilia. Per deſtillationem enim ſerum ſpoliatur terreis particulis, ac magis fæculentis, ac purior ejuſdem, & defæcatior pars oleoſis, lævibus, politiſque particulis, nec non nitroſo, aut armoniacali ſali, qui in cichorea, aliiſque plantis ejuſce generis ineſſe reputatur, unita elicitur, quibus ſolidæ partes obliniuntur, ab ulteriori vellicatione præcaventur, fluida vero nimis tenuja, atque acria leniter incraſſantur, obruunturque, ſimulque nimius eorumdem fervor, motuſque compeſcitur. Si de nitro ſermo ſit, obſervationibus accuratiorum practicorum compertum eſt, in febrium ardoribus, in inflammationibus datum ſtatim refrigerationis ſenſum per univerſum corpus diffundere: adeo ſanguinis motum compeſcendo, fervoremque temperando operatur. Fateor, me ex hoc remedii genere in conſtitutione quadam Epidemica febrium malignarum, quæ ventriculi, atque inteſtinorum inflammatoria pathemata conjuncta habebant, mira vidiſſe. Nonne Cl. Etmullerus Lindani filiam pylori inflammatione laborantem ſolo nitro in decocto hordei ſæpius propinato ſanatam a Patre fuiſſe teſtatur?

Veſpertinis vero emulſiones ex quatuor ſeminibus frigidis in aq. hord. &c.) Ratione ſalis cujuſdam nitroſi, aut ſaltem ratione ſalis cujuſdam armoniacalis, qui nitrum inchoatum dici poteſt, agere plantas quaſdam refrigerantes dictas, cujuſmodi ſunt lactuca, portulac. & ſimiles, alibi oſtendimus; hinc aquæ ex iiſdem elicitæ ad nimium fervorem, motumque humorum compeſcendum opportuniſſimæ exiſtunt. Idque eo magis evenire cenſendum eſt, ſi emulſiones in iiſdem parentur ex ſeminibus quatuor frigidis. Blandum enim continent oleum hæc ſemina farinæ cuidam miti, ac levigatæ unitum, ob quam facillime in aqua ſolvi patitur: ſolutum autem cum ſit, aſſationi, ac combuſtioni plurimum reſiſtit. Dici autem vix poteſt, quam apte acres, ferventeſque humores temperentur, fibræ ſpaſmo conſtrictæ relaxentur, ſiti, dolori, aliiſque ſymptomatibus occurratur.

XII. *A Saturninis medicamentis, ſiquid ſentio, abſtinendum &c.*) Præclaras utilitates hactenus recenſitas afferri a mitificante, ut ajunt, quodam medicamento Saccharo Saturni dicto paſſim tradunt Scriptores magni, & docti. Paratur idem ex plumbo, quod cum molli textura præditum ſit, acidum, ut plerique cum Etmullero volunt, a quo inflammationes & rubores oriuntur, vel ſumme tenues, volatiles, ac ſulphureas particulas, quæ ſolidis partibus nimium calorem, ruboremque conciliant, ut alii exiſtimat, abſorbet, ſicque inflammationem compeſcit. Hæc fere Recentiores Medici, quorum perbella explicatione quid, amabo te, eſſe poteſt illuſtrius? An qualitates illas Veterum Medicorum, quas ineſſe medicamentis reputabant, & a quibus vires ſuas ſortiri exiſtimabant, adhibeas? An frigoris efficacia vires ſuas exercere, atque inflammationem refrigerare Saturnum putes? At Dii te male perdant, ſi Ariſtoteleis principiis jamdudum e Scholis ejectis, id adhuc in tanta philoſophiæ mechanicæ claritate, ac ſplendore imagineris. Non inſunt nimirum in medicamentis facultates iſtæ formaliter, ut ajunt, ſed ſolum materialiter, & effective, ideſt remedia ipſa in ſe non habent calorem, aut frigus, ſed ſolum materialem ſtructuram, cujus applicatione ad partes noſtri corporis calor ſequatur, aut frigus, ut exemplo Saturni demonſtratum eſt. Utinam quam apte Saturninorum operandi modum explicant Recentiores Medici, tam raro eadem ægrotantibus propinarent. Nihil enim iſtius generis medicamentis pernicioſius. Novit peſſimas, atque exitioſas Saturni dotes Cl. Hoffmannus (1), ideoque diſcriminis plena ex eodem parata medicamenta eſſe haud dubie affirmavit. Novit Cl. Boerhaavius (2), ac vix doloſius, tetrumque magis venenum haberi, quam a Saccharo Saturni aſſerere minime dubitavit. Ecquis non novit? Si Veteres ipſos conſulamus, cum venena in calida, & frigida ab illis dividerentur, Saturnina autem frigida in quarto gradu eſſe ipſis viderentur, qui gradus non tantum cum vehementia, ſed etiam fere ſemper cum læſione eſt conjunctus, inter venena frigida recenſere minime ſunt veriti. Antimonium, Ceruſſam, Mercurium non alia de cauſa venena

(1) *Metallurg. morbif. & in annot. ad Poter. de Saturno.*
(2) *Op. Chem. proc.* 173.

nena esse crediderunt. Quo loco minus mirari subit, solum Saturni fumum adeo nocere stomacho, & intestinis, ut eorumdem inflammationem sæpe excitet: (tantum abest, ut eorumdem remedium sit) & Rhodium (1), Fernelium (2), Borellum (3), Billichium, aliosque testari, se graviſſimos morbos ab usu Saturni obortos vidisse.

Ita & ab opiatis) Ubi dolor ægrum dire exerceat, nonnulli ad opiata confugiunt, ut quietem, placidamque tranquillitatem concilient. Est cur iis gratulemur, quod dolorem omnino, & cito compescant. Gaudent sibi quoque, cum ægrum de dolore amplius non conquerentem invisunt. Ast proh dolor! Cætera symptomata ingravescunt, sudor fit frigidus, mors in limine. Hæc nimirum opiatorum operandi ratio in ejuscemodi morbis, ut sensum fibris tenuissimis, quibus centexta sunt intestina, adimendo sphacelo occasionem præbeant (4).

XIII. *Ad statum accedente morbo, si vomitus gravior, vel &c. sola eluentia &c.*) Cum simpliciſſima hac methodo istiusmodi morbos pertractarem, vidi quandoque altera, aut tertia morbi die vomitum, si aderat antea, graviorem fieri, vel irritum vomendi conatum supervenire. Undenam id oriretur, dubius animo hęrebam. Quam enim molestiam solidis partibus inferrem nesciebam. Rem autem paullo diligentius perpendenti mihi in mentem venit suspicari, initio morbi materiem inflammantem adhuc fluere, in statu vero hærere omnino, ac subsistere. Cum materia fluit, quod inter initia contingit, nihil damni afferre posse nitrata facile judicavi, quin imo roboratis vasorum tunicis, eamdem circulo restitui posse. Cum vero vasa sanguifera jam penitus obstructa sunt, nitrata licet blandiſſime attenuando ac commovendo operentur, stimulo, ac molestiæ esse affectis partibus; qui stimulus, vel vomitu, vel irrito vomendi conatu superveniente se prodit. Hisce vero apparentibus a quibuscumque quantumvis leniter commoventibus abstinendum esse constitui. Quid autem efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius eo casu aqua copiose, & calida propinanda? Præterquamquod solidas partes relaxat, acres, vellicantesque humorum particulas dissociat, disgregat, ineptasque reddit ad vellicandum, ac mordendum; fervorem præterea nimium temperat, sanguini fluorem conciliat, atque hac ratione inflammationes tuto, feliciterque debellat. Videant medentes, quid præstare valeant tam varia calidiora diaphoretica, vel diuretica ex triplici Regno petita, quid theriacales aquæ, quid essentiæ, spiritus, sales volatiles ad flatus, ut ajunt, discutiendos, ad hærentem sanguinem dimovendum in eo morbo, qui solis nitratis exasperatur, in quo omnia adstricta nimis, ac convulsa sunt, fusi, colliquatique humores.

XIV. *Tenuissimus sit victus ex solis jusculis extremitatum pedum vituli &c.*) Nihil cum in quocumque, tum in hoc potissimum morbo remediorum farragine perniciosius, nihil præposstera victus ratione deterius. Agitur de ventriculi, atque intestinorum inflammatione, quæ ingestis macerandis, digerendis, separandis, excernendisque a natura sunt comparata: quibus fungi muneribus minime posse perspicuum est sine membranarum, quibus conflata sunt, actione vehementi, & assidua, sine violentis contractionibus, distractionibusque. Quid ergo si ad nauseam usque propinentur medicamenta; si minus congrua alimenta ingerantur? Sola igitur jusculà, quæ nulla opus habent attritione, ut solvantur, atque ea quidem ex iis elicita, quæ humorum acrimoniam obtundendo, cujusmodi sunt gelatinosa jusculà, vel refrigerando, motumque compescendo, qualia sunt hordeacea, avenacea blanda, mitique aciditate fœta, existunt opportuna.

XV. *Vid. cap. III. com. in aphor. 20.*

XVI. *Si crassa intestina sint affecta, Clysteres ex lact. &c. terebinth. venet. &c.*) Terebinthina ob balsamicam, & non admodum calefacientem virtutem eximii usus est in plerisque morbis a soluta unitate solidarum partium pendentibus. Mundificat abstergendo, vivificat leniter irritando, ut ulcera carne impleantur, quod opus solius naturæ est, exsiccat demum, ut claudantur. Sylvius enemate ex lacte, terebinthina, & melle parato dysenteriam cum puris dejectione, corrupta, atque exulcerata intestinorum

(1) *Cent. 3. obs. 10.* (2) *tract. de lue venerea cap. 7.*
(3) *cent. 4. obs. 12.*
(4) *Vid. cap. 3. com. in aph. 14.*

norum ſubſtantia, non ſemel a ſe curatam fuiſſe teſtatus eſt. Si tamen conſideremus, Clyſterum operationem, maxime illorum, qui affectis partibus applicari debent, cujuſmodi ſunt abſtergentes, mundificantes, conſolidantes, ſolum in craſſa inteſtina exerceri; (in tenuja enim ſecundario tantum, & per conſenſum operantur) apparebit luce clarius, in ulceribus craſſorum inteſtinorum locum habere, in tenujum inutiles eſſe, ideoque eo caſu ſolum univerſalibus utendum eſſe, ut optato fine potiamur.

CAPUT V.

De doloribus inteſtinorum non inflammatoriis, & ſpeciatim de Colica.

I. *UTi reliqua inteſtina, ſic ſpeciatim Colon dolore torqueri ſæpe ſolet citra inflammationem.*

II. *Cauſa proxima eadem eſt, quæ cæterorum dolorum, ſolutio ſcilicet continuitatis nervearum fibrillarum.*

III. *Quam gignunt* 1. *tenax, ac viſcida materies coli parietibus tenaciter adhærens,* 2. *nimis tenuis, fluida, atque acris,* 3. *ſpiritus animales cæco impetu in Coli fibras irruentes,* 4. *materies elaſtica inter duas Coli extremitates carcere occluſa, ac rareſcens.*

IV. *Unde quatuor maxime inſignes colicæ affectionis differentiæ: pituitoſa, bilioſa, hyſterica, flatulenta.*

V. *An igitur acidus humor tantum, aut bilis nimis oleoſa cum ſucco pancreatico vitioſe effervеſcens colici doloris cauſa?*

VI. *Dolori colico nephriticus maxime affinis eſt. Si tamen dolor in lumbis fixus ſit, parvum occupet ſpatium, ſecundum ureterum tractum ſucceſſive protendatur, ad mingendum ſtimulus adſit, urina primum aquoſa, & tenuis appareat, deinde arenoſa ſubſideant, ab enematis injectis, ab alvo ſoluta nullum levamen, leve tantummodo poſt paſtum, arenulæ alias expulſæ ſint, nephriticum eſſe dolorem pronuntiato.*

VII. *Si dolor ſit vagus, ac totum illum ambitum occupans, qui a dextro inguine aſſurgit ad hepatis regionem, inde ad hypochondrium ſiniſtrum tranſverſim fertur ſub coſtis ſpuriis, ac demum iterum deorſum flectitur ad inguen ſiniſtrum, ab alvi fluxu, ab enematis injectis levamen aliquod percipiatur, exacerbetur vero rurſus a paſtu, colicum eſſe dolorem cenſendum eſt. Quamquam hæc non raro imponant.*

VIII. *Pituitoſam colicam dolor comitatur gravativus, interdum vomitus tenacis ac viſcidæ materiæ; bilioſam vero dolor adeo vehemens, ut loco ſtare neſciant ægri, vomitus materiæ ſubviridis, porraceæ ardoris ſenſum in os relinquentis, urina rufa, alvi bilioſæ dejectiones, ſitis, vox rauca. Eadem fere etiam hyſtericæ colicæ communia ſunt: hiſce tamen accedunt faucium conſtrictio, ſenſuſque globi ad gulam aſcendentis, urinæ copioſiſſimæ tenues, aquoſæ, levamen ex uſu quorumdam ſuffumigiorum. Flatulenta tandem dolore diſtenſivo, inflatione totius abdominis, murmure quaquaverſum ſeſe diffundente, flatuum per os proventu copioſiſſimo cum levamine ſymptomatum dignoſcitur.*

IX. *Colicus dolor quandoque in inflammationem inteſtinorum, & ſphacelum lethalem degenerat.*

X. *Colica bilioſa in convulſivas affectiones, Epilepſiam, Vertiginem tranſit; in Paralyſim vero ſicuti Pictavii frequentiſſime, ita rariſſime in noſtra hac Italiæ parte terminatur. Dii faxint, ut a truculentiſſimo morbo quam diutiſſime præſervemur.*

XI. *Colica in arthritidem, & iſchiadem frequentiſſime deſinit, & arthritis viciſſim in colicam.*

XII. *In colica pituitoſa pillulæ Paracel. a ℥ .ſ. ad ℥ i. Mercur. dulc. a gr. vi. ad x. laud. nepent. gr. ii. hora altera ante ſomnum propinatæ præſtantiſſimæ ſunt. Vel vero pillul. Magiſtr. Exc. Marchetti ℈ ii. laudan. Nepent. gr. ii. ol. aniſ. ſtil. gut. vi. M.*

XIII. *Si obſtructa ſit alvus, fæceſque induratæ Clyſterem purgationi præmittere expedit ex juſcul. tenu. unc. viii. ſacchar. rubr. unc. iii. ſal. gem. ℥ ii. vitel. ovor. n. i. M. pro uſu dicto: vel ex decoct. com. carminat. pro clyſt. & ol. lilior. albor. violac. cham.*

XIV. *Alvo ſubducta olea ſtillata anniſor. cort. citr. ol. ſi libet S. Juſtinæ ad gut. vi. ex decoct. theifor. flor. chamomil. viſa ſunt convenire: vel ſequentes boli. ℞. Sapon. philoſ. ℈ ii. ol. deſtil. ment. Juniper. a gut. vi. M. cum s. q. ſacchar. cand. f. boli iiii. vel ol. tar-*

tartar. a gut. xx. ad xxv. multa aqua dilutam egregium.

XV. Remittente dolore pulvis ſtomach. quercet. ad ℥ .ſ. ex prædicta decoctione Chamom. vel ejuſdem extracto eximii uſus eſt. Quolibet quinto, aut ſexto die rhabarbar. .ſ. p. ℥ .ſ. ex conſerva violar. exhibenda.

XVI. Hiſce ſuccedant opportuno tempore in diuturniore affectu ſucci naſturt. aquat. beccabung. fumar. & ſimiles opt. depurati ad unc. iii. ex juſculo tenui per xv. circiter dies. Ardente Sirio aquæ acidulæ Recobar. in noſtra hac Italiæ parte non omittendæ.

XVII. Equo vehatur æger, aut motum quemvis viribus reſpondentem inſtituat, vino maturo abſynthite calido utatur.

XVIII. In colica bilioſa ſola venæ ſectio, nec non oleum amygdal. dulc. ad unc. iiii. vel v. viſa ſunt convenire; injectis ter, quater, & ultra in die Clyſteribus ex decoct. rad. alth. tuſſilag. malvar. lilior. albor. flor. malvar. chamomi. vel oleo ſeminum lini recenti.

XIX. Hiſce fruſtra adhibitis Man. unc. i. .ſ. ol. amigdal. dulc. unc. ii. ex jure pingui mira quandoque præſtant.

XX. Ad opiata tandem deveniendum. Diaſcord. theriac. caſtor.

XXI. Aqua hordei calida copioſe exhibeatur, cum ſpirit. nitr. dulc. ad ℥ i. Semicupium fiat laxans.

XXII. In diuturniore affectu, & ſæpe recurrente ad aquas thermales acidulas, tandem ad Lac confugiendum.

XXIII. Hyſtericam colicam ſolum laudanum liquidum a gut. vi. ad x. ex aq. flor. til. lilior. conval. roſar. vel tripha. magn. a ℥ ſ. ad ℈ ii. præmiſſa venæ ſectione, ubi ſuppreſſio ſit menſium in feminis, egregie ſedat.

XXIV. Colica flatulenta eadem methodo pertractanda, qua cholera ſicca; de qua cap. 2. aphor. 15.

CAPUT V.

De doloribus inteſtinorum non inflammatoriis, & ſpeciatim de Colica.

I. *UTi reliqua inteſtina, ſic ſpeciatim Colon dolore torqueri &c.*) Inteſtinorum dolores ab affecta parte nomen aſſumere omnes fere Medici uno ore tradunt contra nonnullorum opinionem, qui quemcumque inteſtinorum dolorem colici nomine inſignire conſueverunt. Enimvero qui ita ſentiunt, & falſa eos ſentire manifeſtum eſt, & ignorare prorſus, quæ de humano corpore ſcitu nobis utilia ſunt, ac neceſſaria. Sunt enim quandoque circa umbilicum dolores maxime inſignes, puta ab abſceſſu, ulcere ilei inteſtini ultima infeſtante; ſi pro colicis doloribus eoſdem habeas, quam facile in fraudem induci potes, Clyſteres abſtergentes, mundificantes injici curans, cum tamen iiſdem ultra coli valvulam juxta accuratiores Anatomicos non pervenientibus, oleum, & operam perdas.

II. *Cauſa proxima eadem eſt, quæ cæterorum dolorum, ſolutio ſcilicet &c.*) Proximam doloris cauſam eſſe continui ſolutionem oſtendimus alibi (1), quæ tot modis fieri poteſt, quot modis nerveæ fibræ affici ea ratione valent, qua opus eſt ad violentas, & non ordinatas contractiones, diſtractioneſque: hæ namque ſine mutato contactu particularum, ex quibus nervus componitur, id eſt ſine vehementi ſolutione quadam fieri nequeunt, quam ægre anima percipiens triſti ſenſatione affici cogitur, ac dolore. Quidquid ergo nerveas inteſtinorum fibras vellicare, diſtrahere, premere, aut alio quovis modo torquere poteſt, id omne dolori inteſtinorum producendo opportuniſſimum exiſtere perſpicuum eſt.

III. *Quam gignunt 1. tenax, ac viſcida materies coli parietibus tenaciter adhærens, 2. &c.*) Ex quibus liquido conſtat, non alia de cauſa craſſam, ac viſcidam materiem coli parietibus tenaciter adhærentem colicum dolorem progignere, quam quod nerveas ipſius fibras premit gravatque; nimis tenuem e contra, fluidam, atque acrem, quod mordet eaſdem, ac pungit; ſpiritus animales cęco impetu in nerveas coli fibras irruentes, quod varie, & inordinate eaſdem concutiunt, atque in inconcinnos, perturbatoſque motus agunt; materiem elaſticam coli finibus coercitam, quod ejuſdem latera majorem in modum diſtendit, diſtrahitque.

IV. *Unde quatuor maxime inſignes colicæ affectionis differentiæ, pituitoſa &c.*) Pro varietate cauſarum variæ obortæ colicæ affectionis differentiæ. Quæ a craſſa, tenacique materia coli parietibus adhærente, pituitoſa a Veteribus dicebatur, eamque a fri-

(1) *lib. 1. cap. 9. com. in aph. 1.*

frigida pituita repetendam esse affirmabant. Ita Galenus de se ipso narrat, testaturque se dolorem colicum acerbissimum patientem pituitam vitream actu frigidam excrevisse. Salmuthius vero (1), vidit in Italo quodam colico dolore consumpto dissectoque totum Colon pituita obductum, relicto solum foramine digiti crassitie.

Biliosa) Quæ e contra ab humore nimis tenui, fluido, atque acri, biliosa appellabatur, eamque a causa calida, humore scilicet bilioso repetebant. Quod quamvis in eorum sententia verum non sit, nihil est tamen cur aperte negetur. Quid est enim, cur jure Medicus reprehendendus sit, qui, ubi humores nimis viscidi, lentique peccent, aut insipidi ii sint, aut dulces, aut acidi, aut salsi, hæc omnia vitia brevitatis gratia uno verbo complectatur, & pituitosos vocet, & eadem denominatione morbos ex iis prodeuntes insigniat? Ubi humores e contra nimis tenues, fluidi, fusi, solutique, quis Medicum redarguat, si biliosos dicat?

Hysterica) Quæ a spiritibus animalibus cæco impetu in coli fibras ruentibus ortum traducit, hysterica audit Cl. Sydenhamo, eo quod hystericas mulieres non raro affici eadem contingit, dum convulsionibus a spirituum ataxia torquentur. Nemo, quod sciam, ante Sydenhamum de hysterica colica loquutus est.

Flatulenta) Colicæ flatulentæ Veteres ipsi mentionem fecerunt, ac Recentiores, Modernique fere omnes. Nullus tamen frigidus humor, & materia crassa Veterum non integre attenuata, nec Willisii spiritus ventris incolæ in ataxias ob irritationem abeuntes, sed solus intestini Coli spasmus, quo extremitates ejusdem occluduntur, & aeris particulæ angusto spatio coercentur, accusandus. Exinde enim fit, ut eædem majorem elaterii vim adeptæ, ac sese dilatare nitentes Colon majorem in modum distendant, sicque dolorem excitent (2).

V. *An igitur acidus humor tantum*,) Nescio quibus permoti rationum momentis nonnulli ad credendum vehementer adducti sint, colicæ veræ causam humorem acidum esse intestinis maxime infestum. Cum enim proxima doloris causa sit solutio continui, seu irregulares, perturbatique nerveorum filamentorum motus, violentę & non ordinatæ eorumdem contractiones, cur redarguendus sit, qui ab humoribus acribus (quo nomine & acres proprie dictos, & acidos, & salsos comprehendimus) & a ponticis, austerisque, & quovis alio sapore præditis succis, ut ait Hippocrates, qui stimulando, vellicandoque pares sint, colicas affectiones repetendas esse contendat, omnino non video. Quo loco silentio prætereundum non est, morbos non solum intestinorum, sed quoscumque ab acido pendere, Chymicorum opinionem fuisse initio superioris Sæculi satis claram. Duo enim constituebant rerum elementa, a quibus omnia generantur, aliud agens, quod acidum, aliud patiens, & materiam, quod alchalicum dicebatur. Id quod antea innuisse Hippocratem vago rumore circumferebatur, postquam Otho Tachenius textus Hippocratis explicans (3), in quibus habet, duo esse generalia rerum elementa, ignem scilicet, & aquam, ignis nomine acidum, aquæ vero alchali eumdem voluisse, interpretatus est. Ab acido porro omnes morbos, ab alchali omnia remedia nasci sustinebant. Verum in contrariam omnino sententiam ventum est nuperrimis temporibus, existimantibus aliis non acidum morborum causam esse, sed alchali, in acido propterea remedium quærendum. Opiniones hasce duas maxime illustres ad examen sedulo revocarunt viri præstantissimi Robertus Boyleus (4), & Archibaldus Pitcarnius (5) easque cum ob alias prope innumeras, tum ob hanc potissimum rationem exploserunt, quod hosce sales in sanguine reperire hominibus adhuc datum non sit. Quamquam si concedatur, eosdem sales in sanguine reperiri, ut multi Chymici volunt, (qua de re infra dicemus) cuinam mirum non videatur, post observationes duorum fere sæculorum adhuc non convenire inter ipsos, acidum ne morborum causa sit, & alchali remedium, an contra?

(1) *cent.* 5. *obs.* 78. (2) *Vid. cap.* 2. *com. in aph.* 6.
(3) *in lib.* 1. *de diæt. n.* 4. & 2. *n.* 17.
(4) *De imperfecta chymic. circa qualitates doctrina, & in animadversione de alchali, & acido.* (5) *De opera, quam præstant corpora acida, & alchalica in curatione morborum.*

tra? Quo ſane multi jure, meritoque ad credendum vehementer adducti ſunt, utrumque merum Chymicorum figmentum eſſe. Saltem fateri oportet, omnia vitia humorum qualitate peccantium per duos hoſce ſales explicari nullo modo poſſe.

An bilis nimis oleoſa cum ſucco pancreatico vitioſe effervescens?) Nec minus mirandum, nonnullos in ea eſſe opinione, ut credant, inteſtinorum dolorem a bile nimis oleoſa cum ſucco pancreatico vitioſe effervescente pendere. Hanc quæſtionem ſi dirimam, vereor ut illos de induſtria redarguere velle videar, qui ſententiam tuentur, ac pugnaciſſime ſuſtinent. Eminet inter hos Cl. Etmullerus, qui uti Graafium, & Sylvium in pleriſque ſequutus eſt, ita & tueri illam, & ſuſtinere opus ipſi fuit. Helmontianis tamen, mechaniciſque principiis ſæpe uſus eſt ad nodos medicarum quæſtionum ſolvendos, prout in rem cadere videbantur, nihil intereſſe judicans, quo modo illos ſolveret. Rem ſane laude dignam, dummodo perverſe non utaris. Ecquis enim hominem in eas anguſtias compellat, ut ad tot, tamque varia explicanda unius duntaxat generis principia uſurpet? Libera ubique ſunt Medicorum placita, & opera, neque ulla reſpublica, aut Senatuſconſultum de re medica ſibi unquam tribunal auſit adſerere. Sed ad rem propius accedamus. Si manifeſtum fiat, hoſce ſuccos effervescere nunquam poſſe; quid eſt tandem, cur ad Etmullerum, alioſque, qui hanc ſententiam tuentur, accedamus? Præcipuum effervescentiæ fundamentum deſumunt ex aciditate ſucci pancreatici, & ab alchalica bilis natura. De bile fere omnes conveniunt. Si enim ſyrupus violarum affundatur bili, in colorem viridem mutatur, alchalini principii in ea latentis indicio manifeſtiſſimo; præterea maculas pingues detergit ex linteis, colores pictorum diffundit, cereviſiarum acorem corrigit, quæ omnia alchalicorum propria ſunt. De ſucco pancreatico lis eſt. Acidum enim eſſe plane negat Morgagnius (1). Si Boerhaavium audimus, inſipidum fere, aut potius ſubſalſum eſſe docet ſalivę ſimillimum. Sed quod magis eos damnat, qui hanc ſententiam tuentur, obſervationum inconſtantia eſt. Quid eſt enim, cur acidum ſemper ſuccum pancreaticum minime deprehenderint? Citatus Graafius, qui multum laboris, atque induſtriæ impendit in collectione hujuſce ſucci ex cadavere hominis per infortunium extincti adhuc calente, ſuccum pancreaticum collectum variis curioſis guſtandum exhibuit, qui illum acidum judicarunt, quandoque tamen inſipidum, nonnunquam auſterum, ſæpius ſalſum ſe deprehendiſſe teſtatus eſt. Salſum & Brunnerus in cane, cui ante plures hebdomadas ligaverat ductum pancreaticum, & Werhejenius in Vacca obſervaſſe teſtati ſunt.

At inquies, in naturali ſtatu acidus non eſt ſuccus pancreaticus, facillime tamen acorem contrahit, & quandoque adeo vehementem, ut partes ipſas ſolidas corrodat. Recte quidem. Quid inde fieri putas? Nunquam effervescere poſſe cum bile facit experimentum, quo deprehenſum eſt, bilem inſpiſſatam, in qua videlicet activiora ejuſdem principia unita ſunt, vireſque potentiſſimæ, ne cum acido quidem fortiſſimo effervescere.

VI. *Dolori colico nephriticus maxime affinis eſt. Si tamen dolor in lumbis fixus &c.*) Qui noverit ex Anatome, inteſtinum Colon connecti cum Rene dextro, & ſiniſtro, minus mirabitur, difficillimum eſſe dijudicare, an dolor Renum potius ſit, quam inteſtini Coli. Dolent frequentiſſime Renes a calculis in eorum ſubſtantia genitis, & pelvim ingredientibus, ejuſque membranas majorem in modum diſtendentibus, pungentibus, lacerantibus. Renes in lumbis ſitos eſſe, nec magnum occupare ſpatium manifeſtum eſt. Ubi igitur calculus eoſdem occupaverit, in lumbis percipi dolorem, atque ſolum illud ſpatium occupare, quod Renibus datum eſt, fixum tandiu, quandiu calculus eiſdem inſederit, luce clarius apparet. Ureteres hinc a quovis Rene, ubi infundibuli forma ampliati pelvim faciunt, deſcendunt ad veſicam uſque, in quam anguſtis orificiis terminantur urinam in Renibus ſeparatam deferentes. Qui inſignem hanc connexionem Renum cum ureteribus, & veſica noverit, is facile intelliget, cur dolor ſecundum ureterum tractum ſucceſſive protendi debeat, & continuo adeſſe ad mingendum ſtimulus.

Urina primum aquoſa, & tenuis appareat, deinde arenoſa ſubſideant.) Sed præ cæteris magni facienda eſt tanquam inſeparabile ne-

(1) *Adver.* 3.

phritici doloris ſignum urina primum tenuis, & aquoſa, in qua deindè arenoſa ſubſideant. Galenus ipſe in diagnoſi morborum oculatiſſimus fatetur ſe in dignoſcendo dolore colico a nephritico deceptum fuiſſe: de eodem dubium omne tolli ſi arenæ, aut calculi in urina ſubſideant. Quod Hippocrates ipſe obſervavit: inquit enim (1): *Quibus in urinis arenoſa ſubſident, iis Renes, ac Veſica calculo laborant.*

Ab enematis injectis, ab alvo ſoluta nullum levamen.) Nemo, ignorat, Clyſteres craſſa inteſtina abluere, ipſiſque applicari viribus ſuis integris permanentibus. Horum igitur operationem primario in craſſa inteſtina exerceri, ſecundario autem, & per conſenſum in tenuja, & partes iiſdem inteſtinis adjacentes manifeſta res eſt. Hinc eſt, injecta enemata parum, aut nihil prodeſſe calculo Renum laborantibus, cum per conſenſum tantum, & membranas craſſorum inteſtinorum, & externas Renum cum iiſdem connexas laxando, fovendoque operentur. Cum autem calculus dimoveri nullo pacto queat, fit, ut nullum, vel ferme nullum levamen percipiatur. Quod plane dictum velim de ſubducta alvo. Licet enim alvo ſubducta tollatur preſſio Renum, quam gignunt induratæ fæces, ac mitior reddi poſſit morbus, cum tamen calculus minime dimoveatur, permanere eumdem debere, & tandiu perſiſtere, quandiu vel per ureteres in veſicam delabatur, vel in Renum ſubſtantiam omni fere ſenſu deſtitutam e pelvi cogatur aſcendere, manifeſtum eſt. Plura autem infra dicemus.

VII. *Si dolor ſit vagus, ac totum illum ambitum occupans, qui &c.*) Dolorem colon inteſtinum infeſtantem non uno loco fixum hærere, ſed vagum eſſe facit potiſſimum inteſtini Coli longitudo inſignis, quam interdum vix quinque, ſæpius tamen ſeptem ſpithamas excedere Anatomici tradunt, & quod caput eſt, ejuſdem in variis ſubjectis varia, & mira converſio, flexuſque. Totum enim illum ambitum occupat, qui a dextro inguine aſſurgit ad hepatis regionem, inde ad hypochondrium ſiniſtrum tranſverſim fertur ſub coſtis ſpuriis, ac demum iterum deorſum flectitur ad inguen ſiniſtrum, unde mirum videri non debet, in toto hocce eodem ambitu dolorem manifeſtari.

Ab alvi fluxu, ab enematis injectis levamen aliquod percipiatur.) Quæcumque ſit colicæ affectionis cauſa, ſymptoma, quod omnibus fere commune eſt, ac maxime urget, alvi occluſio tanta eſt, ut neque purgantibus per os aſſumptis, neque clyſteribus injectis ſubduci queat. Si igitur ſubducatur, fluatque alvus, fæceſque induratæ eliminentur, inteſtina a diſtentione liberari contingit, minus diſtenta minorem pati diſtractionem, hinc dolorem imminui. Enemata aut alvum ſolvendo, aut immediate affectæ parti applicita ſpaſmodicas membranarum contractiones laxando, emolliendove dolorem compeſcere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Alimenta ingeſta ventriculi fundum petere perſpicuum eſt: huic ſubjectum cum ſit Colon premi contingit, ac dolorem poſt paſtum exacerbari.

Quamquam hæc non raro imponant.) Hactenus recenſita ſigna & rationi innixa ſunt, & obſervationibus confirmata: ne autem ea ſint, de quibus dubitare non liceat, facit longiſſimus inteſtinorum canalis peritonæo obductus, meſenterio alligatus, mire flexus, & convolutus, unde una pars affecta alterius offenſæ ſpecie facile imponet. Hanc judicii difficultatem novit Fernelius, qui primus omnium obſervavit ſæpenumero in imo ventre excitari dolores, qui præ eorum vehementia, & ſimilitudine colici nuncupantur, quorum tamen non Colon inteſtinum ſedes eſt, ſed vel peritonæum, vel membranæ, quę abdominis, ventriſque imi partibus obtenduntur. Quid quod & meſenterii vaſa ſanguifera eadem cum inteſtinis mirabiles hic arcus, anaſtomoſes, & inſulas conſtituentia acri humore obſtructa humoralis colicæ ſpecie imponant? Neſcit porro laudatus Fernelius, an uberius, quam ab hoc fonte colicæ illæ Pictavienſibus familiares enaſcantur. Sed hac de re infra dicemus.

VIII. *Pituitoſam colicam dolor comitatur gravativus, interdum vomitus tenacis &c.*) Veteribus perſuaſum fuit, morbos a cauſa frigida, ut ajebant, mitiores eſſe: pituitam humorem frigidum appellabant, hinc orta a pituita ſymptomata cæteris leviora. Quæ fere Recentiorum ſententia eſt, dum viſcidos, lentos tenaceſque ſuccos, ac fibrarum deficientem tonum, atoniam accuſant: illi enim vehementer irritando, acriter pungen-

(1) *ſect. 3. aph. 79.*

gendo, violenter convellendo, hæ vero validioribus ſuſcipiendis contractionibus ineptæ ſunt, hinc gravativum eſſe dolorem neceſſe eſt. Eadem de cauſa nec ventriculus, ac reliqua imi ventris viſcera ea ratione afficiuntur, qua opus eſt ad violentam contentorum per ſuperiora excretionem, ac vomitum, vel ſi vomitus ſupervenit, materiem ejici debere ejuſdem plane indolis, ac eſt illa, quæ ſtimulo eſt nerveis fibrillis, craſſa ſcilicet, viſcida, ac lenta, perſpicuum eſt.

Bilioſam vero dolor adeo vehemens, ut loco ſtare neſciant ægri, vomitus &c.) Colica bilioſa quoniam a cauſa calida ſecundum Veteres ortum traducit, ſeu a ſanguine, & humoribus tenuibus, acribus circa inteſtinum Colon, aut meſenterii vaſa dato tempore, & occaſione conſpirantibus congeſtis, a quibus vehementer vellicatæ, atque irritatæ nerveæ fibrillę violentiſſimas contractiones, diſtractioneſque, ac continui ſolutionem patiuntur, hinc dolor ille adeo vehemens, ut loco ſtare neſciant ægri. Inteſtinorum canalis præ ſpaſmo facile minoris ſectionis evadit, contentæque fæces vel inferius propelli non poſſunt, quin immo novo ſtimulo ſunt, ac moleſtiæ, quare inteſtinorum motus facile invertitur, quo acerrima materia ejicitur, vel ſi propellantur, alvi bilioſæ dejectiones ſequuntur. Sulphureis vero, & volatilibus ſanguinis particulis exſolutis, & per univerſam maſſam diffuſis, urina rufa, ſitis, aliaque id genus ſubſequuntur.

Eadem fere etiam hyſtericæ colicæ communia ſunt, hiſce tamen accedunt faucium conſtrictio &c.) Obſervatione Cl. Sydenhami conſtat, eadem fere ſigna adeſſe in colica hyſterica, licet cauſa longe diverſa ſit. Ad vomitum quod ſpectat materiæ viridis, flavæque, animadvertendum eſt, non a corruptione, & acredine humorum in primis viis ſtabulantium pendere, ſed a ſolo ſpirituum animalium perturbato motu, quo fit, ut invertatur periſtalticus inteſtinorum motus, & ſucci bilioſi, pancreatici, & quæ a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillat portio, ciborum reliquiæ ſpecie corrupti, depravatique humoris ejiciantur. Quæ ſibi probanda ſumere debuerat Sydenhamus cauſam affectionis hyſtericæ ad ſpirituum ataxiam revocans, citra humorum in viſceribus imi ventris depravationem, aut vitiatam naturalem ſanguinis, & ſpirituum eorumdem craſim, ſi debiliorem texturam excipias, unde facile in turbas aguntur. Recte ne, an ſecus, infra videbimus de malo hypochondriaco tractaturi. Sufficiat nunc innuiſſe, ex ſymptomatibus hyſtericam affectionem comitantibus, ac præcipue ex faucium conſtrictione, ſenſuque globi ad gulam aſcendentis, urinis copioſiſſimis, tenuibus, & aquoſis, aliiſque ſimilibus certum capi poſſe argumentum, colicam hyſtericam eſſe, quæ quo modo fiant, cit. loco oſtendemus.

Flatulenta tandem dolore diſtenſivo, inflatione totius abdominis &c.) Cum in Colica flatulenta nihil præter aerem inter duas Coli extremitates coercitum accuſandum ſit, liquet, cur diſtentio, & inflatio totius abdominis percipi debeat. Aeris enim particulæ ſeſe facile expandunt, & rarefaciunt, rarefactę autem fieri minus poteſt, quin membranas inteſtinorum diſtendant, atque hac ratione ventrem inflent. Quod ſi diſtentione augeatur ſpaſmus, & magis anguſto ſpatio aer coerceatur, cum experimento ſæpius, & a multis facto compertum ſit, elaſticitatem aeris tanto majorem eſſe, quanto minus eſt ſpatium in quod aer contrahitur, probabile eſt, vim elaſticam acquirere tantam, ut adverſus membranas inteſtinorum nitens eaſdem ſummopere diſtendat, unde totum inflari ventrem contingit, & tympani ad inſtar pulſare. Tamdiu autem aer in ſua actione perſiſtit, quandiu per extremitatem unam aliquam viam ſibi, aditumque patefaciat. Aere autem diſtentæ membranæ ſui elaterii vim exercentes impetu contentum aerem explodunt, hinc murmur, rugitus, flatuum per os proventus. Quoniam vero erumpente aere tunicæ, quibus coercebatur, minus diſtenduntur, diſtrahunturque, hinc levamen ſymptomatum.

IX. *Colicus dolor quandoque in inflammationem inteſtinorum, & ſphacelum &c.*) Licet Colon craſſum ſit inteſtinum conſtans craſſioribus membranis, quam ſint tenuium, & cellulis pinguedinoſis intus obductum, ſenſu nihilominus pollet exquiſito propter ligamentum tendinoſum, quo eædem cellulæ per longitudinem percurrentes donantur. Dolor igitur vehemens eſt, qui ſi diu perſiſtat, fieri minus vix poteſt, quin vaſa inteſtinorum ſubſtantiam perreptantia criſpentur, convellantur, atque ea ratione affician-

afficiantur, qua ſanguis ſubſiſtere, atque hęrere cogatur, unde inflammatio. Cum hæc ex ſolutis jam viribus contingat, facile in ſphacelum terminatur, ut obſervationes quę extant in M. N. C. (1), Blancardi (2), Hildani (3), Kerkringii (4), Williſii, Sylvii, Spigelii, aliorumque teſtantur.

X. *Colica bilioſa in convulſivas affectiones, Epilepſiam, Vertiginem &c.*) Colicam bilioſam in convulſivas affectiones deſinere certa & conſtans virorum præſtantiſſimorum obſervatio eſt. Cujuſce rei cauſa ea fortaſſe eſt, quod feri, lymphæ, aliorumque acrium, ac vellicantium humorum in imo ventre congeſtione reſoluta, ad cerebrum una cum ſanguine metaſtaſis fit, ac circa meninges, & principia nervorum hęrentes nervea filamenta varie, inordinateque concutiunt, unde affectiones convulſivæ. Niſi forte extremitatibus nervorum convulſis, & convulſione ad Cerebrum propagata, & principia nervorum, eadem mala per conſenſum oriri velis, quod ab omni ratione alienum minime judicaverim.

In Paralyſim vero ſicuti Pictavii frequentiſſime &c.) Colica, quæ in Paralyſim terminatur, Colica Pictonum nuncupatur, quia Pictavii incolis morbus familiaris, & apud inſulas Caribum adeo frequens, ut in numero morborum endemicorum jure merito habenda ſit. Veteribus parum notam fuiſſe hanc colicam animadvertit Riverius, ejuſque mentionem facit Paulus Ægineta (5). Rariſſimus certe apud noſtrates populos affectus eſt. Rariſſimum apud ſuos fuiſſe viri præſtantiſſimi Hollerius, Fernelius, Ballonius, aliique tradiderunt. Mirabuntur ii tamen, qui Baglivum adierint, qui haud dubie affirmavit, nil facilius Colicę ſupervenire, quam Paralyſim. Hujuſce morbi vehementia tanta eſt, ut ejus ſymptomata vix explicari dicendo, aut percenſeri numerando poſſint. Uſtionis ſenſus, morſus, punctura, urinæ ſuppreſſio, virium languor, extremorum refrigeratio, ſudores frigidi, præcordiorum anxietates, animi deliquia ea fere ſunt, quæ ad dies plures ægrum exercent, eo uſque dum ceſſante aliquando doloris vehementia æger moleſtam quamdam ſenſationem per ſpinalem medullam percipiat, qua brachiorum, ac crurum nervis propagata, imbecillitate inſigni afficiuntur, quę in Paralyſim tandem terminatur. Qui cum Williſio partem in colica primario affectam meſenterium prætendunt, quod eſt valde ſenſile, & humorum nervoſo generi infenſorum affluxionibus plurimum obnoxium, exiſtimant materiem illam, quæ in meſenterio, aliiſque abdominis flexibus hærens nervorum propagines, fibraſque, quibus meſenterium innumeris ſcatet, vellicando, vehementes, inordinataſque contractiones, ac ſpaſmos excitat, derivatione facta in principia nervorum, eorum prefertim, qui a Spinali Medulla oriuntur, obſtructionem eorumdem efficere, ac Paralyſim excitare. Quidni liceat conjectare, ſolam convulſionem fortem, ac vehementem nervorum a quavis cauſa prodeuntem, nervorum eorumdem ſtructuram pervertentem paralyſi producendę opportuniſſimam exiſtere? Conjecturę anſam prębet experimentum illud, cujus alibi meminimus, Cl. Valſalvæ, & a viro pręſtantiſſimo Morgagnio confirmatum. Si filo ligetur ramus nervi alicujus in canibus prope jugulum conſpicui, qui ad cor, aut pręcordia defertur, mox vinculum ſolvatur, canis poſt aliquot dies, quos ſuſpirioſus agit, tandem moritur. Nullum in nervo ligato vitium deprehendi poteſt, congeſtio nulla. Nulla igitur potior aſſignari poſſe videtur cauſa, quam vitiata, ac labefactata ipſius nervi ſtructura, ita ut ſenſim ſenſimque per eumdem ceſſet influxus ſpirituum animalium eo uſque, dum langueſcente cordis motu, mox plane ceſſante, moriatur animal. Cum igitur in inteſtina confluant inſignes nervorum ramificationes a pari vago, & intercoſtali, veroſimile videtur, a forti, convulſione, qua univerſum fere corpus, viſcera autem imi ventris majorem in modum afficiuntur, nervorum filamenta, maxime illorum, qui extra cerebrum ſiti ſunt, ita contorqueri, vitiari, ac lędi in ſua ſtructura, ut tenuiſſimo liquido nerveo vehendo impares evadant. Si ita res habet, jam ceſſante ſpirituum animalium influxu per nervos, qui motui voluntario, & ſenſibus externis dicati ſunt, Paralyſim ſequi debere manifeſtiſſima res eſt. Vehementis hujuſce convulſionis indicium ſatis manifeſtum eſt copioſus ille ſudor, quem Paralyſim ſequi tradidit Cl. Baglivus. Convulſione enim ad extremi-

(1) *Dec.* 2. *an.* 3. *obſ.* 193. *item obſ.* 55. (2) *Anat. pract. cent.* 5. *obſ.* 2.
(3) *obſ.* 61. *cent.* 2. (4) *obſ.* 42. (5) *lib.* 3.

mitates uſque capillarium vaſculorum, glandulaſque cutis propagata, ſerum, tenujoreſque ſanguinis partes exprimuntur, hinc univerſum corpus ſudore perfunditur. Malum Paralyticum, quod a vehementibus purgantibus enaſcitur, an aliunde aptius repetas, quam ex ſpaſmo in nerveas fibras inducto? Narrat Hoffmannus (1), de femina quadam, quæ reſinam jalappæ ad purgandum aſſumens paulo poſt paralyſi totius dextri lateris corripiebatur cum aphonia, ſtupore mentis, & maximis inteſtinorum torminibus. Alias obſervationes, quarum meminit alibi (2), cum eodem fere recidant, brevitatis gratia prætermitto. Quot morbi Cerebri, & Meningum convulſivi in Apoplexiam tandem, & Paralyſim deſinunt? An humor infarciens, atque obſtruens accuſandus, vel fortis convulſio, qua ſpirituum in partes motui, & ſenſui inſervientes derivatio præpediatur?

XI. *Colica in arthritidem, & iſchiadem frequentiſſime deſinit &c.*) Baglivi obſervatio de inexplicabili illo conſenſu inter morbos cutis, & ventris, & mutatione doloris colici in arthriticum, & arthritici in colicum nova non eſt. Veteres fere omnes poſt Hippocratem, qui hujuſce metaſtaſeos meminit (3), eamdem adnotarunt. Immo Galenus (4) cauſam aſſignat, quam non aliam eſſe putat, quam quod humorum in articulos influentium motus ad Colon inteſtinum eſt converſus, & revocatus. Quam ſententiam confirmans Ballonius (5) ſubdit: *Si id verum eſt, cur non poſt colicos dolores humor in articulos referri poteſt*? Plures hac de re obſer. vid. in Solenandro (6), Rayero, M. N. C. (7), in Drauvizio (8) & Stiffero (9). Quis Baglivi praxim medicam venientem in manus hominum totam perbellis obſervationibus ſuffultam admiratus non eſt? Suſpicio poſtea in pleroſque cecidit, eorum, quæ ſe obſervaſſe teſtatus eſt Baglivus, nihil fere obſervaſſe, a Veteribus deprompſiſſe omnia. Suſpicionem commoverunt Commentarii Ac. Bononien. (10), in quibus plura elegantiſſime de Baglivo, narrantur. Verbo dicam: Et Pachioni ſyſtema de dura meninge, & Malpighii methodum ad curſum ſanguinis in ranis oſtendendum ſua feciſſe declaratur. Qui probe norunt hominis ingenium, qui ſe continere poſſint, quin ad ſuſpicandum vehementer adducantur, ſuas, fuiſſe practicas obſervationes? Cæterum cum dolor Iſchiadicus ab arthritide vaga ſede tantum differat, & intenſione, colicam vero in arthritidem mutari manifeſtum ſit, cur non in Iſchiadem tandem deſinat? Quæ fere Cl. Tozzi obſervatio eſt (11).

XII. *In colica pituitoſa pillulæ Parac. &c. Mercur. &c.*) Plerique minus docti Medentes vix, ac ne vix quidem ad cauſas morbi reſpicientes, ad oleoſa, & opiata ſtatim confugiunt in eam ſpem adducti, ut credant, ubi dolorem ſedaverint, ſe curationem rite abſolviſſe omnem. Quod negant alii, ubi morbum a materia craſſa, viſcida, ac lenta inteſtinorum membranis tenaciter adhærente oriri deprehenderint. Nos ab his ſumus. Atque ut ab oleoſis exordiamur, minime fallit hæc ratio. Olea quæcumque blanda e ſeminibus vegetabilium quorumdam elicita, cujuſmodi ſunt ſemina piſtach. amygd. dulc. recenter expreſſa lubricando, emolliendove operantur: hinc ubi inteſtinorum membranæ corrugatæ, criſpatæ, & ſiccæ fuerint, quoniam applicata criſpaturam ipſam, corrugationem, & ſiccitatem tollunt, alvum leniter ſubducut, acreſque ſi qui fuerint humores ad inferiora protrudunt. Si vero alvi durities adſit, atque inteſtinorum dolor a viſcidis, lentis, ac difficilibus humoribus tenaciter eorumdem fibris adhærentibus exoriatur, ac fibrarum ipſarum tonum labefactantibus, tantum abeſt, ut oleoſa alvum ſubducant, ut eamdem magis, magiſque cohibeant. Cum enim olea ramoſis, ac viſcidis partibus donentur, & viſciditatem humorum augent, & ſolidarum partium motum enervant magis, ac labefactant. Diverſam hanc operandi rationem notantes medici, quid eſt tandem, cur turpiſſimum morem oleoſa in quocum-

(1) *de conſenſ. nervoſ. part. &c.*
(2) *in diſ. de purgant. fortiorib. ex praxi med. merito ejiciendis.*
(3) *lib. 6. Epid. p. 4. tex. 30.* (4) *in com. ad aph. 5. lib. Hippocr.*
(5) *conſ. 8.* (6) *in conſ.*
(7) *Dec. 1. an. 6., & 7. obſ. 208. nec non. Dec. 2. an. 4. obſ. 42.*
(8) *tract. de Scorbuto.* (9) *tract. de podagra.*
(10) *de dura monil. ſec. 15.* (11) *prax. med.*

cumque dolore præſcribendi altiori voce non damnent, & e medio aliquando non tollant? Si de opiatis ſermo ſit, dolorem quidem ſedant, ſed materia craſſa, tenacique tunicis inteſtinorum adhærente, cum atonia fibrarum, verendum eſt, ne eadem magis, magiſque figatur, atque coli infarctus, & obſtructiones augeantur, unde morbus paulo poſt graviſſimis ſtipatus ſymptomatibus recrudeſcat. Jam etiam me tacente facile omnes intelligunt, nihil in hac colicæ ſpecie efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius inveniri poſſe purgante ſimul, & opiato medicamento initio ſtatim propinando. Non autem quæcumque purgantia viſa ſunt convenire, ſed ea ſolum, quorum baſis Aloe eſt balſamicis correcta, inter quę pillulę Paracelſi, ut alias mittam fere innumeras, eminent. Purgantium nempe cum balſamis unione fit, ut inteſtinorum tonus, qui ab illis labefactatur, ab his reſtauretur, unde purgatio commoda, tuta ęque atque efficax habeatur. Purgantium enim vis augetur a balſamis, non augetur tamen ſtimulus, quod mirum fortaſſe iis videatur, qui balſamorum naturam nondum ſunt aſſequuti. Minus tamen mirabuntur, ſi diligenter perpendant, tenuiſſimo, ſubtiliſſimoque ſulphureo principio ſcatere, quę roborare valent bilis actionem, immo illud ipſum prętare, quod bilis, ut ſcilicet aſſumpta facilius ſolvantur, & inteſtina ad contentorum expulſionem ſollicitentur. Celebres ſunt hodie pillulæ illę Beccherianæ, Stahlianæ, Hoffmannianæ ab inventoribus ſuis dictæ, quæ, quantum conjicere poſſum, nihil aliud ſunt, quam purgantia quædam ſuccis aromaticarum plantarum ſoluta, & balſamis unita, quæ eorumdem vim ſtomacho, atque inteſtinis infeſtam corrigunt, unde blandiſſima æque, atque efficaciſſima ad purgandum evadunt. Nos pillulis Paracelſi utimur, & quod in officinis proſtant, & quod alvum purgant commodiſſime; eoque magis ſi ſtimulus addatur, quo purgatio promptior peragatur. Quid porro Mercurii dulcis operatione eſſe poteſt opportunius, qui ſi minus trituratus adhibeatur, in inteſtina ſolum agit viſcidas, mucoſaſque ſordes potentiſſime incidendo, & leniter abſtergendo? Ubi cætera fruſtra adhibita fuerint remedia, Mercurium dulcem ſumme commendavit Riverius. Dici vix poteſt, quam tutum ſit remedium Mercurius, ſi caute, ac provide adhibetur a Medicis. *Caute*, inquam, ac *provide*: *Mercurius enim dulcis*, inquit Cl. Ramazzini (1), *equo indomito perſimilis eſt, quoties in manus imperitas inciderit*: Subdens paulo poſt: *Adeo ſuſpecta ſunt beneficia, quæ ab hoſte tam infido, ac verſipelle proveniunt, ut de Medicorum Mercurio apte dici poſſint, quæ de ſuo commentus eſt poetarum princeps: animas ille evocat orco pallentes, alias ad triſtia tartara mittit, dat ſomnos, adimitque, & lumina nocte reſignat*. Cautionum ſumma in eo ſita eſt, ut juſta quantitate, & in morbis a craſſis, viſcidiſque, lentiſque humoribus ſubortis citra phlogoſim, & inflammationem exhibeatur, ut de colica hactenus dictum eſt.

Laudan. nepenth.) Purgantes pillulas cum laudano commendarunt maxime illuſtres Medici Riverius, Foreſtus, Poterius, aliique. Medicamentum quoddam eſt laudanum nepenthes ex opio compoſitum dolorem majorem in modum ſedans. Verbum enim græcum Νηπένθες eſt compoſitum ex particula privativa νὴ & πένθος, luctus, quoniam ſcilicet triſtitiam diſcutit, & hilaritatem inducit; quippe quod Homero teſte, vino Convivarum Menelai, ad hunc producendum effectum, immixtum fuerit ab Helena, quæ hujuſcemodi pharmacum a Polydamna Ægyptia Thonis Conjuge dono acceperat: hac autem virtute prædituм eſſe nepenthes aſſerit loco citato, ut quicumque deglutierit illud, malorum penitus obliviſcatur, neque tota illa die flere poſſit, etiamſi Pater, & Mater ei mortui fuerint, vel coram ipſo filius trucidaretur, aut frater. Vocem porro iſtam tranſtuliſſe videntur chymici ad compoſitionem opiatam quæ dicitur Nepenthes Aurea Angeli Salæ ab Auctore deſcriptam (2), vel etiam ad laudanum opiatum vulgare, ut liquet ex not. ad Boerhaavium (3).

XIII. *Si obſtructa ſit alvus, fæceſque induratæ, clyſterem purgationi præmittere &c.*) Recte purgatio tunc ſuccedit, cum humor evacuandus rite pręparatus eſt, vięque ad ſui expulſionem ſunt antea expeditę. Excedentis in eo qualitatis mutatione parari humorem manifeſtum eſt, ita quidem, ut ſi acer nimis, ac tenuis fuerit, diluendus ſit, cor-

(1) *de morb. artif.* (2) *in opiolog.*
(3) *de virib. medicam. cap.* 8. *de anodyn.*

corrigenduſque, ſi craſſus, viſciduſque, attenuandus, incidendus. Quæ nonunquam præſtari ſolent ab ipſo pharmaco peccantis humoris conditioni accommodato. Ita acida pharmaca, cujuſmodi ſunt cremor tartari, tamarindi, aliaque id genus, bilioſos, atque alchalicos humores compeſcunt, & corrigunt, & ſimul juſta quantitate educunt: ſalina vero, atque acria apprime conveniunt in iis affectibus, qui a viſcidis, lentiſque humoribus progignuntur. In hunc finem pilulas aloeticas cum Mercurio ad pituitoſam colicam commendavimus. Vix autem, ac ne vix quidem optato fine potiemur, niſi viæ expediantur, clyſterem puta purgationi præmittendo, ſi obſtructa fuerit alvus, fęceſque in craſſis inteſtinis ſint induratæ: Imo verendum eſt, ne dolor moleſtior fiat, & violentæ ſtomachi ſubverſiones ex pharmaci licet mitiſſimi aſſumptione ſubſequantur.

XIV. *Alvo ſubducta olea ſtillata aniſor. cortic. citr. &c. S. Juſtinæ &c.*) Olea per deſtillationem ex plantis ſale volatili oleoſo fœtis elicita adverſus quamplurimos morbos commendantur. Leucophlegmatia laborantibus, hypochondriacis, hyſtericis, apoplecticis, lethargicis prodeſſe communiter reputantur. Nullo tamen in malo majore laude efferuntur, quam in flatulento ventriculo, ut perbelle ait Cl. Boerhaavius (1), torminibus iliacis, colico dolore. Illud tamen diligenter cavendum eſt, ne a bilioſo, acri, tenuique humore, ne a plethora, ac ſimilibus cauſis oriantur. Hiſce enim non ſolum profligandis inepta ſunt, ſed eoſdem augere valent, aut confirmare. Eximiam porro operam præſtant, ſi dolor a mucoſa materia inteſtinorum parietibus adhęrente, ab atonia fibrarum ortum traducet. Tenuiſſimę enim, ac ſubtiliſſimę partes ramoſis partibus involvuntur, quę cum diu in actione perennent, lentis, mucoſiſque quiſquiliis attenuandis, digerendis, laxis inteſtinorum fibris roborandis opportuniſſimę exiſtunt. Idem plane dictum velim de compoſitis multis oleis volatiliſſimis, inter quę eminet celeberrimum illud S. Juſtinę Patavii, cujus accurata deſcriptio extat in lexico pharmaceutico-chymico Jo. Bapt. Capello, quodque ad eoſdem morbos vel externe adhibitum ceu potentiſſimum remedium prędicatur. Quę indicare volui, ne adoleſcentes minus periti ſpecioſo anticolicorum titulo in fraudem inducerentur.

Ex decoct. theiform. fl. Chamomil.) Chamomillę pariter uſus inſignis eſt in quamplurimis ventriculi, & inteſtinorum morbis, ubi diſcutiendum eſt, dolores mitigandi, & nervoſis partibus placida exoptanda tranquillitas concilianda. Quare adverſus cardialgiam, teſtantibus viris Cl. Foreſto, atque Etmullero, adverſus dolores colicos ejus decoctum efficaciſſimum, ſi quod aliud, medicamen eſt. Oleum elegantiſſimum ex hujuſce plantæ floribus arte chymica paratur coloris cœrulei, elegantia, atque amęnitate ipſi ſapphiro non cedens, quod docente Cl. Simon. Paulli eorum dotibus plane inſtructum eſt; atque illis, qui decoctum faſtidiunt, cum tantillo ſacchari in conveniente vehiculo propinari poteſt ad guttas aliquot. Sed hic pariter prudentia opus eſt, ut ejuſdem uſus calidis, ac bilioſis interdicatur. Nempe laudati Paulli poſt Cl. Hoffmannum obſervatio eſt, olea eſſentialia ſtillatitia ventriculo eſſe infeſta, atque adnotante Cl. Geoffroy (2) uſu diuturno, atque intempeſtivo ardorem accendere in ventriculo, & in renibus, ſanguinem inflammare, in quibuſdam ſitim perpetuam excitare, in aliis calidum hydropem inducere. Ecquis igitur ejuſcemodi olea nonniſi in frigidis, & a lenta, viſcidaque materia oriundis morbis pręſcribat?

XV. *Remittente dolore pulv. Stomachi. Quercet. &c.*) Baſis pulverum Stomachic. Quercetani radix Ari eſt, quę, ut alibi oſtendimus, tanta pollet acrimonia, ut verno tempore ſilente caule effoſſa, & guſtata vellicationem per diem integrum in lingua relinquat, particularum valde tenujum, ac volatilium indicio manifeſtiſſimo, quę propterea mucum viſcidum, ac ſpiſſum ventriculi, & inteſtinorum parietibus tenaciter adhęrentem incidere, attenuare, atque reſolvere habent. Ea de cauſa in colicis doloribus a viſcida, & lenta pituita apprime conducit hęc radix. Ex his liquido conſtare arbitror, in quanta obſcuritate verſentur qui ad cauſas iſtiuſmodi affectionum vix ac ne vix quidem reſpicientes pulverem Stomachicum Quercet. veluti ſpecificum omnibus, & ſingulis pręſcribunt. Quę enim detrimenta in ægros emanatura non ſint, ſi morbus a ſuccorum acredine, a fi-

(1) *Chym. tom. 2. proc. 23.* (2) *Mat. Med. p. 2.*

a fibrarum ſpaſmo, ac criſpatura exoriatur?

Quolibet quinto, aut ſexto die rhabarb. &c.) Rite tunc purgationem ſuccedere, cum humor evacuandus rite pręparatus fuerit, ſupra oſtendimus. Id quod inter initia ſtatim obtineri non poteſt, maxime urgente dolore, cui totis viribus occurrendum. Remittente igitur dolore, ac viſcidis mucoſiſque quiſquiliis attenuatis, ſolutiſque, purgantibus locus datur, quibus ſenſim ſenſimque foras eliminentur. Quid autem pręſtantius, aut pro ęgrorum opportunitate valentius rhabarbaro, quod cum peccantes humores educere valet, eoſdem etiam corrigit, & paullo ficciores addendo particulas laxatas inteſtinorum fibras in primum ſui elaterii ſtatum reſtituit?

XVI. *Hiſce ſuccedant opportuno tempore in diuturniore affectu ſucci naſturt. aquatic. &c.*) Dolores colici, qui a partium, & ſuccorum ad chyli elaborationem concurrentium vitio ortum traducunt, contumaciſſimi morbi ſunt. Depravatus enim chylus ubi in ſanguinem pervenerit, nondum ſubactis, edomitiſque vitioſis ſalibus, eumdem inficit, atque inquinat, unde ad glandulas, ac ductus in cavitatem inteſtinorum hiantes reflui morbi recidivam procreant. Tunc vero vix, ac ne vix quidem optato fine potiemur, niſi ad univerſalia remedia, quę labefactatas primas concoctiones reſtaurant, glandularum abdominis fermenta corrigunt, ac viſcerum naturalium tonum firmant, confugiamus. In horum cenſu veniunt prę cęteris ſucci plantarum, quę antiſcorbuticę temperatę dicuntur, quęque ſalibus fœtę ſunt nonnihil acribus, blandis tamen, atque nonnihil ſubtilis olei, mitis tamen continent, unde ſanguinis principia ſolvere habent, & ſi quid lentum, ac viſcidum eſt, abſtergere, & ſtimulando ſolidas partes ad validiores contractiones excitare, unde ſecretiones omnes in viſceribus naturalibus, excretioneſque promoveri contingit, eorumdem fermenta corrigi, ac chylificationis opus in priſtinum ſtatum reſtitui.

Ardente Sirio aquæ thermales acidulæ.) Aquas thermales acidulas neſcio an cęteris omnibus anteponam. Remedium enimvero eſt infinitis propemodum experimentis comprobatum. Ratio autem in hoc potiſſimum ſita eſt, quod ferri divites ſunt, ſpiritumque continent quemdam volatilem, ac ſulphureum, quibus mucoſas ventriculi quiſquilias atteri contingit, tonum ejuſdem confirmari, ac coctiones reſtitui, in inteſtinis vero acidum omne naturæ inimicum deſtrui, & per inſignes excretionum vias facile educi.

XVII. *Equo vehatur æger, aut motum quemvis &c.*) Equitatio prę cęteris teſtante Cl. Sydenhamo ad ejuſcemodi morbos profligandos plurimum valet. Viſcera enim omnia, pręſertim vero imi ventris majorem in modum concutiuntur; hinc quod craſſum eſt, attenuari contingit, quod hęrens, impactumque, dimoveri, fluidorum omnium excurſum promoveri, coctiones reſtitui, ac pravos, vitioſoſque ſuccos per inſignes excretionum vias extra corporis confinia eliminari. Motus quivis, & exercitatio moderata in aere aperto, & frigidiuſculo, quoniam ſolidarum partium tonum confirmare habet, & fluidorum excurſum promovere, nunquam non bono emolumento eſſe poteſt. Hinc Plinius (1) mille paſſus mane ambulabat; movebatur quoque pila vehementer; nam hoc exercitationis genere pugnabat cum ſenectute; unde illi poſt ſeptimum, & ſeptuageſimum annum aurium oculorumque vigor integer, inde agile, & vividum corpus.

Vino maturo abſynthite calido utatur.) In iſtiuſmodi morbis adeſt plerunque inertia bilis, quo fit, ut fęces minus fluidę reddantur, inteſtina minus ſollicitentur ad earumdem expulſionem, hinc alvus dura fiat, craſſę, viſcidęque ſordes eorumdem tunicis adhęreant, hinc dolor. Ea igitur quę bilis actionem augere valent, hic apprime convenire manifeſtum eſt. Virtute hac pręſtat vinum, quod tamen ex uvis maturis factum ſit, & oleoſis partibus conſtet. Quod ſi abſynthio alteretur, quam plantam ſtomachi amicitia claram fecit, & calidum in uſum vocetur, nobiliſſimum ſi quod aliud evadit medicamentum. Spiritu enim volatili oleoſo bilis analogo, quo prędituum eſt, vi ignis in motum adacto non ſolum deficienti bilis actioni occurrit blande ſtimulando, & lubricando, ſed ejuſdem activiora principia ſolvendo efficit, ut craſſorum humorum ſolutio, ac fęcum expulſio facilius habeatur.

XVIII. *In colica bilioſa ſola venæ ſectio, nec*

(1) *lib. 3. epiſt. 1.*

nec non ol. amygd. dul. &c.) Rem ſedulo perpendenti non alię occurrunt indicationes in colica bilioſa, quam fibras ſpaſmo conſtrictas laxandi, emolliendique, humorum acrimoniam, tenuitatem, ac fervorem temperandi, dolorem dire ęgros exercentem ſedandi. Qui morbi cauſam ad examen minus diligenter revocet, dici vix poteſt, quam facile in fraudem inducatur, purgantia, aliaque id genus ſtimulantia medicamenta, quę in pituitoſa eximiam operam pręſtant, ęgris pręſcribens. Nihil porro efficacius in colica bilioſa venę ſectione, qua & copiam acrium, ac vellicantium humorum imminuimus, & fervorem nimium, atque impetum coercemus, & nervoſo generi, ſpiritibuſque animalibus in turbas actis placidam exoptandam tranquillitatem conciliamus. Illud enimvero remedii genus eſt, quo ſolo graviſſimas iſtiuſmodi colicas affectiones debellatas fuiſſe & Riverii, & Sydenhami, & Hoffmanni, aliorumque obſervationibus compertum eſt.

Si de oleo amygd. dulc. ſermo ſit, nonne ramoſis ſuis partibus acria humorum ſpicula invertere habet, impareſque reddere ad mordendum, ac vellicandum, ſpaſmodicas nervearum fibrillarum conſtrictiones laxare, & ſimul lubricando alvum blande ſubducere?

Injectis ter, quater, & ultra in die Clyſteribus ex decoct. radic. alth. tuſſil. &c.) Quoniam vero tanta eſt nervearum partium ſiccitas, ac criſpatura, atque acrium, & vellicantium humorum parietibus inteſtinorum adhęſio, ut impar ſit quandoque oleum amygd. dulc. ad eaſdem ea ratione afficiendas, qua prędictorum humorum per alvum pręcipitatio, ut ajunt, haberi queat, unde verendum eſt, ne oleum diuturna in inteſtinis mora, & loci calore, & viſcerum adjacentium aſſetur, comburaturque, & acrimoniam empireumaticam acquirens vellicando magis magiſque morbum adaugeat, ſalubre eſt accuratiorum practicorum conſilium, Clyſteres emollientes, ſeu ex decoctione plantarum, quæ ſuccum pinguem, tenuem, & blandum continent, cujuſmodi ſunt rad. alth. tuſſilag. malv. lil. albor. fl. malvar. verbaſc. aliaque id genus, paratos adhibere, quæ decocta ſpeciem emulſionis lubricantis conſtituunt (1), qua totus inteſtinorum canalis a pyloro ad anum uſque laxatur, & per mirabilem nervorum ad inteſtina confluentium cum viſceribus fere omnibus humani corporis conſenſum, quies toto nervoſo generi conciliatur, unde & alvum ſubduci contingit, & ſpaſmos, doloreſque remitti.

XIX. *Hiſce fruſtra adhibitis, Man. unc. i. .s. ol. amygdal. dul. &c.*) Clarum hoc medicamenti genus experientia fecit. Narrat Riverius (2), obſervatum fuiſſe ægrotum quemdam, cui triginta Clyſteres ſine fructu injecti fuerunt, hoc remedii genere convaluiſſe. Eſt Manna ſuccus pinguis ex arboribus quibuſdam, Orno, Laryce, in primis vero e Fraxino exſudans, ut teſtimonio, & obſervatione Jo. Raii, cujus meminerunt Sam. Dalè (3), nec non Charas (4), confirmatur, atque in foliis potiſſimum excreſcens, qui ſaponaceo, atque abſterſivo ſapore donatur. Si oleo amygd. dulc., & jure pingui ſolvatur, ſua ſaponacea virtute lubricandi vim intendit, conſtrictas inteſtinorum fibras mulcet, lenit, & laxat, abſterſiva vero nonnihil ſtimulat: unde aptiſſimum ad acres nonnihil tunicis inteſtinorum adhærentes humores educendos evadit medicamen.

XX. *Ad opiata tandem deveniendum.*) Plerique in colica bilioſa, etiamſi dolor ferri vix ullo modo præ vehementia poſſit, ab opiatis cane pejus, & angue abſtinent, verentes, ne Paralyſi, quæ ſolet quandoque morbo ſupervenire, occaſionem præbeant. Anſam dedit ſuſpicioni Baglivus, ubi ait: *Cave ne opiata copioſius exhibeas: ſolet enim poſt opiata magnus ſudor ſupervenire, & exinde paralyſis.* Quod ſic accipias velim, ut intelligas, ab opiatis tandiu abſtinendum eſſe, quandiu eiſdem utendi urgeat neceſſitas. Qui mos præcipue fuit Arabibus Medicis, Methodiciſque. Qua de re inſignis extat locus apud Celſum (5), dum ait: *Anodyna vocant, quæ ſomno dolorem levant. Quibus uti niſi nimia neceſſitas urget, alienum eſt; ſunt enim ex vehementibus medicamentis, & ſtomacho alienis.* Cæterum opiata dato tempore, & occaſione adhibita non ſolum quidquam mali afferre non poſſunt, ſed nullum iiſdem efficacius, aut pro ægro-

(1) *Boerhaav. de virib. medicam.* (2) *prax. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1.
(3) *in pharmacop. p.* 2. *p.* 449. (4) *in pharmac. Reg. p.* 300.
(5) *lib.* 5. *cap.* 25.

rum opportunitate valentius datum eſt Medentibus invenire remedium. Sententiæ favet Tovuneus, qui adverſus opinionem illorum, qui opiata Paralyſim accelerare opinantur, teſtatur ſe indubitata experientia doctum larga manu illa non modo innocue, ſed ſemper cum fauſto ſucceſſu adhibuiſſe. Quid quod diligentiſſimus ille obſervator Sydenhamus cæteris omnibus præſidiis opiata anteponat?

XXI. *Aqua hordei calida copioſe exhibeatur.*) Veteribus Medicis ſolemne fuit colicam bilioſam & calidiorem uſu aquæ frigidæ pertractare. Galeni monitum eſt, urgente ſiti, & calore ad aquam frigidam confugiendum eſſe (1). Hippocrates ipſe (2) aquam frigidam febris ardentis remedium eſſe tradidit. Quem ſequuti Celſus, Riverius, Septalius, aliique ſe fauſto eventu aqua frigida tum copioſe per os aſſumpta, tum ventri applicita uſos fuiſſe teſtati ſunt. Quod etiam confirmat Amatus Luſitanus, qui fatetur ſe colicam bilioſam ſubito incantamenti ad inſtar ſuſtuliſſe. Qui mos apud pleroſque hodie ſic invaluit, ut omni alio cibo, potu, medicamento prohibito, ægris & nive perfrigeratam aquam præbeant, & univerſum corpus nive perfundant. Niſi tamen ſervetur divini Hippocratis monitum, actu frigida nec confeſtim admovenda eſſe, nec multum frigida, vereor ne duræ, rigidæ, atque inextenſiles reddantur vaſorum tunicæ, ut fluidis libera circulatione trajiciendis impares evadant, hinc & ſanguinis, & ſpirituum motus, in quo vita conſiſtit, intercipiatur, atque æger in vitę diſcrimen adducatur (3). Dici vix poteſt, quam infenſum naturę ſit plurimum atque repente refrigerare, ut Hippocrates (4) teſtatus eſt. Quod ſi nimiam fluidorum ebullitionem, fermentationem, calorem compeſcere valeat aquę tepidę uſus, acres, vellicanteſque particulas diſpartiendo, diſſociando, eaſque per inſignes excretionum vias facile eliminando, cur hac potius, quam frigida aqua non utar? Quem non vadem dabimus, nullum ab uſu aquæ calidæ ægro detrimentum creari poſſe? Nemo ignorat, ebulliendo aquam aſperitatem, rigiditatemque amittere, lęvioreſque fieri, ac magis politas ejuſdem particulas, ſeu quod eodem recidit, ad fluendum paratiores, ad diluendum aptiores, ut oſtendit Cl. Boerhaavius (5). Cum ergo aqua calida magis diluat, fervori quoque nimio, atque effervescentiæ compeſcendæ opportuniorem exiſtere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Adeo a veritate alienum eſt, aquæ calidæ uſu flatus elevari, humorumque fermentationem, atque ebullitionem Colicæ cauſam perperam habitam promoveri, qua perterriti plerique a tanto remedio abſtinuerunt.

Semicupium &c.) Semicupium vel ex aqua emollientibus plantis alterata paratur. Alterutro horum totius corporis fibras nimium conſtrictas, tubuloſque omnes clauſos mirum in modum relaxari contingit, acres vellicanteſque humores temperari, dimoveri, & qua data porta extra corporis confinia educi. *Nocent*, inquit Bayerus, *balnea impuris omnibus corporibus, hinc præmitti debet purgatio, vel potus.* Quod indicare volui, ut intelligerent Adoleſcentes, in graviori affectu cæteris fruſtra adhibitis ad Semicupium deveniendum eſſe.

XXII. *In diuturniore affectu, & ſæpe recurrente, ad aquas thermales acidulas &c.*) In delectu aquarum thermalium hærent nonnulli dubii, atque ancipites, verentes, ne ſi ad acidulas deveniant, nimis exagitent, commoveant, unde morbus augeatur, aut confirmetur; ſi ad inſipidas, nulloque activiori principio præditas, congeſtionibus reſolvendis, viſcerum vitiis tollendis impares ſint. Qua in re ſi quid ſentio, utraſque locum habere, ſi diverſa morbi tempora ſpectentur, facile judicaverim.

Enimvero quid mali pertimeſcendum ab uſu acidularum, ſi non in paroxyſmo, & urgente dolore, ac ſpaſmo, ſed extra paroxyſmum, & ad præſervandum in uſum vocentur? Spaſmum, & convulſionem plerunque atonia fibrarum ſequitur. Ad prava igitur viſcerum fermenta corrigenda, acres quoſcumque naturæ inimicos ſuccos deſtruendos, ac per inſignes excretionum vias eliminandos, coctiones reſtituendas, ventriculi, & inteſtinorum tonum confirmandum neſcio an cæteris omnibus anteponam. Acidulas certe Recobarii (cur non aliæ innume-

(1) *lib.* 12. *meth. med. cap.* 7. (2) *lib.* 3. *de morb. n.* 6.
(3) *Vid. com. in aph.* 2. *cap.* 4. (4) *ſect.* 5. *aph.* 24.
(5) *De virib. medic.*

merę?) in colicis inteſtinalibus , cum ita ægri torquentur, ut ſæpe, quemadmodum notat Sennertus, convulſionem reformidemus, efficaciſſimas eſſe, ac plane mirabiles teſtatus eſt Cl. Gratianus (1): *Vix enim* , inquit, *ullus dubito, quin hac de cauſa hujus fontis pretium plurimum augeatur* . Quod ſi quis uti velit inſipidis aquis , nulloque activo principio præditis , cujuſmodi ſunt Nocerianæ, non eſt cur multum pugnemus. Præterquam enim quod acribus , vellicantibuſque humoribus diluendis, & terra calcaria, qua fœtæ ſunt, abſorbendis, ac precipitandis , ſpaſmis præterea ſolidarum partium relaxandis copia , & pondere exiſtunt opportuniſſimæ .

Tandem ad Lac confugiendum .) Pravis, vitioſiſque ſtomachi , & inteſtinorum ſuccis eductis, atque univerſa ſanguinis maſſa temperata, bilioſarum, acriumque particularum in ſanguine abundantium copia imminuta, quid uno lacte præſtantius, aut pro ægrorum opportunitate valentius ? Eodem læves , politaſque particulas in ſanguinem invehi contingit , acres bilioſaſque temperari , ineptaſque reddi ad vellicandum , ac ſtimulandum , conſtrictas fibras emolliri, laxari , atque ab ulteriori vellicatione præſervari . *In doloribus colicis* , inquit Ballonius (2) , *iiſque bilioſis lactis uſum valde contuliſſe vidi . Et tametſi Hippocrates lactis uſum interdicat dum ſunt dejectiones bilioſæ , tamen niſi inſignis aliqua ſit febris quæ corrumpit lac, ab eo abſtinendum non videtur* . Si Sydenhamum audimus, tanti facit lactis uſum, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, id ab uno lacte ſperari jure poſſe confidat : quod obſervationibus confirmavit inquiens : *Mulieres aliquot cum affectibus hyſtericis diu conflictatæ , maximeque ea ſpecie , quam ego colicam hyſtericam appello, tandem ſolo lacte aliquandiu veſcentes convaluere* .

XXIII. *Hyſtericam colicam ſolum laudanum liquidum &c.*) Nonnulli cum animadverterint , in colica bilioſa, & hyſterica varios humores , virides , flavos, aut alterius coloris per vomitum excerni , cathartica medicamenta in uſum eſſe vocanda exiſtimant, ut qua data porta extra corporis confinia protrudantur , ſicque ceſſante irritatione, quam in nerveas fibrillas inducunt, morbus profligetur. Qui in quanta obſcuritate verſentur dici vix poteſt . Vomitus enim a ſucco , qui a ventriculo , & qui a glandulis inteſtinorum Peyeranis extillat, a reliquiis ciborum, a ſucco pancreatico, bilioſo ob inverſum duodeni motum in ventriculum regurgitantibus dependet , quem vomitum patiuntur illi, qui curru vehuntur, qui navim conſcendunt, qui cæteroquin in perfectiſſimo valetudinis ſtatu ſunt conſtituti. Si ullo in caſu verendum eſt, ut purgantia ſęviſſimum dolorem efficiant colicum, ut Foreſtus (3), ac Bartholinus (4) teſtantur , id maxime verendum eſt , ubi ſpirituum perturbatus , atque inconcinnus motus eidem occaſionem dederit . Quod ſedulo perpendens Sydenhamus vel ipſis enematis leniſſimis prorſus abſtinendum eſſe , ac ſtatim ad ſuum illud tantopere pręſtans laudanum confugiendum , & in illius uſu perſiſtendum eſſe haud dubie affirmavit. Et ſane quid ad inordinatos , atque effrænes ſpirituum motus compeſcendos opio , & ex illo paratis medicamentis efficacius?

Præmiſſa venæ ſectione , ubi ſuppreſſio ſit menſium &c.) Non eſt ſilentio prætereundum , nonnullos in ea fuiſſe opinione , ut crederent , ſanguinem , qui per vaſa uteri certo , ſtatoque tempore excerni ſolet , in iiſdem vaſis detentum hyſtericis affectionibus anſam præbere . Impuras autem , ac fæculentas tantum ſanguinis particulas excerni putabant ; idcirco verebantur, ne totam ſanguinis maſſam inficerent , ſpiritus quoque animales conſpurcarent , unde in vehementes turbas abirent . Verum cum hodie ſaniorum Medicorum uno conſenſu ſtatutum ſit , a ſolo ſuperfluo ſanguine cæteroquin optime , & naturaliter conſtituto in uteri vaſa propter peculiarem ejuſdem ſtructuram delato Menſium fluxum pendere ; imo hyſtericæ affectiones & virginibus pueris antequam menſtruas purgationes patiantur familiares ſint, & adultis, & vetulis, & fœcundis mulieribus, & ſterilibus, & in quibus Menſes immodice fluunt , illorum ſententiam corruere manifeſtius quidem eſt , quam ut ullis rationibus poſſit comprobari . Itaque venæ ſectio in hyſtericis mulieribus, quibus menſtruæ purgationes deficiunt, non eo ſane conſilio inſtituitur , ut menſtruus fluxus revocetur,

(1) *Diſ. de font. acid. Recob.* (2) *com. in lib. Epid. p.* 98.
(3) *lib.* 21. *obſ.* 13. (4) *hiſt. anatom. cent.* 4. *obſ.* 23.

(quod difficillimum) ſed ut vaſa a diſtentione liberando, ac materiem proximam ſpirituum educendo ſolidis partibus laxitatem, atque placidam exoptandam tranquillitatem conciliemus, atque hac ratione anodynis, opiatiſque viam aperiamus, ut luculenter tradit laudatus Sydenhamus.

Qui tantum cauſarum varietatem ad examen ſedulo revocaverit, nullus dubito, quin ſpecificis medicamentis plus tribuat quam par eſt. Ut innumera fere mittam, quorum accurata deſcriptio extat apud Cl. Tozzium, alioſque, nolo ſilentio præterire, ſtercoribus quorumdam animalium ſuam laudem non defuiſſe in Etmulleri Schrodologia dilucidata (1). Boerhaavius ipſe experimento didicit, Animalium ſtercora continere ſalem quemdam ad nitri naturam accedentem, qui inteſtinorum ſpaſmis ſedandis, ac nimio humorum fervori compeſcendo exiſtit opportuniſſimus. Apte tamen in hunc locum cadit, quod Cl. Juncherus (2) de iſtius generis medicamentis, ac præſertim de ſtercore equino effatus eſt: *At ubique non modo remedium eſt elogiis impar, ſed & multis nauſeoſum; ideoque talibus relinquendum, qui jucunditatem ex ipſius uſu percipiunt.*

CAPUT VI.

De lumbricis.

I. *VErmes nullibi frequentius, quam in cavo inteſtinorum ſtabulantur.*

II. *Horum tria ſunt genera. Teretes, qui plerunque ileon occupant, lati, qui totum inteſtinorum canalem, aſcarides tandem, qui rectum.*

III. *Animalcula ſunt vermes ex minimis ovis nobis connata, tandiu innocua, nec hominibus infenſa, quandiu*

IV. *Alimenta craſſa, viſcida, ac facile putreſcentia, lactis ingurgitatio, ingluvies pueris familiaris, habitus ſeroſus, humiduſque, bilis inertia, autumnus humidus, & inæqualis inſigni eorumdem proventui occaſionem præbeant, vel dulcia, mellita, ſaccharina, horæi, acidique fructus ingeſti eoſdem irritent, vel pituita inteſtinalis, ſeu gaſtrica, in qua nidulantur, corrumpatur, pravumque halitum mittat.*

V. *Inappetentia, aucta fames, dolores ſtomachi, tormina graviora vacuo ventre, & eorumdem remiſſio ſumpto alimento, ſenſus globi ad gulam aſcendentis, & ſuffocationis, alvus, & urina modo immodice fluens, modo ſuppreſſa, oris fœtor peculiaris ad aciditatem vergens, aphonia, alternus faciei rubor, & pallor, tuſſis ſicca, narium pruritus, dentium ſtridor, pavor in ſomno, delirium, epilepſia, vertigo, convulſiones artuum, cordis palpitationes, extremorum refrigerationes, aliaque id genus vermes in inteſtinis nidulantes plerunque comitari ſolent. At niſi vermes per os, aut alvum dejiciantur, his parum, aut nihil fidendum.*

VI. *Ubi corpuſcula quædam cucurbitæ ſeminibus analoga cum fœcibus exeant, latis vermibus laborare ægrum cenſendum.*

VII. *Aſcarides moleſta titillatione ad anum, pruritusque inſigni, quem Syncope non raro excipit, ac frequenti teneſmo ſe produnt.*

VIII. *Convulſio a verminatione cum halitu ab ore fœtidiſſimo, & mortuorum vermium excretione lethalis.*

IX. *Quam bene cedunt in curatione anthelmintica cum purgantibus conſociata! Æthiope minerali a gr. xii. ad ℈ i., & radic. Mechocan. s. p. a ℈ s. ad ℈ i., ex ſyrup. cortic. citr. vel conſer. flor. perſicor. uti ſoleo. Cæterum ſi alvus ſoluta ſit, ſolus etiam Mercurius a ℈ i. ad ʒ i. ratione ætatis, crudus, vel ex ovo ſorbili, vel ex conſerva aliqua in mortar. vitr. opt. mixt. vel ſaliva, aut acido citri extinctus addit. benzoin. gr. ii., & conſer. flor. perſicor. q. s. optimus: dum interim aqua gramin. aut rut. caprar., in qua Mercurius crudus ebullierit, & ſervetur, pro potu uti commodum, aut ſaltem innocuum.*

X. *Si convulſiones adſint, oleo amygd. dulc. leniendæ.*

XI. *Quibus bis, terque propinato medicamento purgatio non ſuccedit, iis medicamentum purgans dare amplius non oportet.*

XII. *Neque Clyſteres ex dulcibus, ac mellitis tuti ſunt. Ex lacte & butyro, ex ol. amygd. dulc. ex decoct. emollient. magis proficui.*

XIII. *Acida, præſertim vero ſuccus limon. ubi æſtus adſit ſummus, & bilis fervidior*

pec-

(1) *p.* 1. *ſect.* 3. *p.* 223. (2) *conſp. therap. gen. p.* 345. & 46.

peccet, ubi putredo humorum, dejectiones alvinæ enormes eximiam operam præstant.

XIV. Ubi crassities humorum, & bilis inertia adsit, amara, lixiviosa salia, spirituosa, alcalina, potius conveniunt. Semen Santonicum præstat ad ʒ ii. ex potu Caffè. Semen centaur. min. a ʒ i. ad ʒ ii. coralin. pul. ad ʒ i. Sequens quoque mixtura eximia. ℞. Sal. absynt. ʒ i. ol. amygd. dulc. .s. i. r. e. unc. .s. aq. rut. caprar. unc. i. M. coq. in vitreo vase in lactis formam: & ubi vires præ morbi vi valde dejectę sint, spiritus sal. armoniac. a ϑ .s. ad ϑ i. spirit. Cor. Cer. a ϑ i. ad ℨ .s. in aq. suc. melis. acetos. theriacal. eximia: quamvis rhabarbarum in pueris nunquam omittendum.

XV. Aq. pariter Tetutiana efficacissimum si quod aliud medicamen est adversus ejuscemodi morbos.

XVI. In diuturniore affectu ad aquas acidulas Recobarii deveniendum, vel similes.

XVII. Ad hęmorrhoides internas dolentes, venę sectio, fotus emollientes, linimenta anodyna, lubricantia, refrigerantia, aliaque lib. 5. recensita cap. 9. aph. 19. hic quoque locum habent.

CAPUT VI.

De lumbricis.

I. *VErmes nullibi frequentius, quam in cavo intestinorum &c.*) Nulla fere humani corporis pars est, in qua vermes reperti non fuerint. In corde, ejusque pericardio, in cerebro, pulmone, hepate, renibus, vesica, dentibus cavis observatos fuisse tradunt passim Scriptores magni, & docti. Exempla prostant in Act. R. S. A. P. Londin. ephemeridibus Nat. Cur. in Schenkio, Bartholino, Hildano, Foresto, Tulpio, Bonetó, aliisque, qui observationes permultas, atque historias collegere. Maxime illustris est illa Cl. Ruyschii, qui (1) in imis ossium cavitatibus chrysalidum, seu nympharum exuvias detexisse testatus est. Adeo verum est vel in absconditis quibuscumque, atque intimis recessibus stabulari. Ventriculum tamen, & intestina omnium opportunissima esse vermibus asservandis loca facit blandus eorumdem, placidusque vermicularis motus, longissimi canalis anfractus, circumgyrationesque varię, ac miræ circumvolutiones, chyli in iisdem elaboratio, excrementorum separatio, adjacentium viscerum fotus, temperatusque calor. Miti enim calore vivificantur, chyli reliquiis, & excrementis nutriuntur, crescunt, augentur, in flexuris intestinorum sese absondunt, ita ut a placido illo peristaltico motu e sua sede, nidoque dimoveri, atque deturbari minime possint.

II. *Horum tria sunt genera. Teretes, qui &c.*) Vermes in teretes, latos, & ascarides divisere Veteres fere Medici. Teretes frequentissimi omnium sunt, & satis noti. Nisi enim aliquanto albidiores sint, ad terrestres quam maxime accedunt. Illis autem omnino similes extra humanum corpus intueri adhuc datum non est hominibus: (qua de re plura inferius). In tenuibus potissimum intestinis, jejuno nimirum, & ileo latitare, id maxime suadere videtur, quod per os frequentissime, quandoque per nares vomitu ejiciuntur; a tenuibus enim facillime in ventriculum ascendunt, nerveas autem ejusdem fibrillas molestę afficiendo in violentas, & non ordinatas contractiones sollicitant, ac vomitum, quocum ejiciuntur, excitant. Quamquam vero sæpe ac sæpius per alvum dejiciuntur. Ilei membranas, quibus firmiter inhærent, perforasse, & abdominis cavitatem penetrasse ostendit Cl. Hildanus (2). Ex umbilico pueri octennis exulcerato lumbricum teretem sex, vel septem digitos longum evulsum, ex tumore vero aperto in inguine Chirurgi manu duos lumbricos intestinalibus omnino similes rosione facta exeuntes videre est apud Jo. Allem (3).

Lati) Ad latorum vermium historiam quod spectat, scire interest, tænias græce, idest fascias appellari, unde & fasciati quoque vermes appellantur. Fasciolam autem perbelle referunt, si caput, & caudam excipias, quæ in acutum desinunt, quibus tamen non raro carent. Ad insignem longitudinem extendi solent. Observationibus enim Cl. Plateri, Baglivi, aliorumque compertum est, tænias longitudine triginta, & quadraginta pedes æquasse. Cæterum duos, octo, & decem pedes mensura excedere, a plerisque observatum est. De hisce vermibus consulendus præsertim est Cl. Dan. Le Clerc.

(1) *adversf. anat. Dec. 3. p. 18.* (2) *obs. cap. 1. obs. 57.*
(3) *Synopf. univ. Medic. art. 690.*

Clerc. (1). Latum vermem quindecim circiter ulnas longitudine æquantem Bononiæ vidi penes virum præstantissimum, amicissimumque Jo. Montum Instituti S. A. B. Musei præsidem, atque historiæ naturalis professorem solertissimum. Plures in intestinis non adsunt ejusmodi lati vermes, sed unicus ut plurimum, qui propterea solium appellatur, quod Cl. Andrii Med. Parisiensis magni nominis, qui de vermibus in humano corpore genitis egregium tractatum idiomate gallico conscripsit, affirmavit. Ast alii binos quandoque, imo plures hospitari putant. D. Hageunot (2) tæniam in ventriculo felis, aliamque in duodeno se reperisse testatus est. Quæri tamen potest, an hicce distinctus ab altero vermis sit, an potius portio ejusdem. Hinc lis orta inter philosophos. Nonnulli in eam opinionem venerunt, ut crederent, tæniam vermem esse unicum ad eam, quam diximus, longitudinem extensum. Plures vermes latos simul invicem arcte excipi, atque uniri, & fasciam veluti quamdam constituere longissimam judicarunt alii. Fulcit horum opinionem id maxime, quod geniculis transversis per totum divisus conspicitur latus lumbricus, & si forte extremitates duas, quæ prope nodum sunt, disjicias, lumbricum in plures dispartiri lumbricos sine ullius lacerationis indicio haud injucundo spectaculo deprehendes. Quid ipse observaverim paucis habeto. Mulier quædam insignem latorum vermium copiam septem, vel octo circiter digitos transversos longitudine æquantium, & viventium ejecit. Quæ res cum admirationem in adstantibus commoverit, placuit eosdem in apto loco servare, ut intueri illos, ac judicium ferre suum accedens Medicus posset. Mirum dictu paulo post plurimos simul arcte unitos fasciam decem circiter pedes longitudine æquantem, & distinctis geniculis divisam, cum prius non esset, constituisse. Cur ergo idem in intestinorum cavitate plane fieri non dicamus? Quam proni sunt Medici ad hujusmodi conjecturas! Si ita res habeat, jam liquido constare arbitror, qui fieri possit, ut plures, iique satis longi esse possint in intestinis vermes tæniæ. Sufficit, ut in longo intestinorum tractu, quæcumque demum causa fuerit, disjungantur. Fasciam, quæ unica intestinorum canalem occupabat, in plures dispartiri manifestissima res est. Quidni liceat conjectare, cucurbitinos, quos a fascia distinctos esse vermes suspicati sunt nonnulli, distinctum genus non constituere, sed eorumdem minimas portiones esse?

Ascarides tandem &c.) Ascaridibus nomen dedit Galenus. Sunt autem tenues, breves, minuti, ac numerosissimi vermiculi magnitudine, crassitie, & tota fere figura acubus similes in intestino recto, & juxta sphincterem musculum nidulantes. Fibras ejusdem molestissime vellicant, mordent, ac corrodunt, hinc tenesmo insigni laborantes ægri insignem eorumdem numerum cum excrementis ex ano ejiciunt.

III. *Animalcula sunt vermes ex minimis ovis nobis connata &c.*) Quo modo in humano corpore generentur vermes, quæstio est inter philosophos maxime illustris. Sunt enim, qui volunt, vermes in humano corpore ex ovulis insectorum gigni, atque opinionem hanc suam plurimis, ac satis firmis rationum momentis fulciunt. Innumera fere sunt insecta, quæ post fecundum inter se coitum ovula sua in herbas, flores, fructus, aliaque esculenta, ac potulenta deponunt. Hæc sive ab hominibus immediate ingerantur, sive a brutis in escam hominum cedentibus devorentur, in humanum corpus transmittuntur, unde blando ventriculi, intestinorum, aliarumque partium fotu, ac calore vivificata in reptilia animalia convertuntur. Præterquamquod aerem ipsum, quem inspiramus, & deglutimus, innumeris ovulis refertum esse experimentis nobilium physicorum compertum est. Huc accedit, in esculentis quamplurimis, in ipso aere vermiculos vivos existere, ingestos porro, ac deglutitos pro varia minimarum eorumdem partium expansione, variam quoque formam, non secus ac in terrenis contingit, induere. Cum vero deprehendant in pueris solo lacte vescentibus nulla adesse vermium indicia, atque eadem non prius apparere, quam si alia edulia verminoso seminio fœta assumant, non solum ad suspicandum, sed ad vehementer credendum adducuntur, humanos vermes ab insectorum ovulis exoriri. Infinitus enimvero sim, si singula percensere numerando velim, aut explicare dicendo, quæ a D. Nicolao Andrii (3) aliisque pro

(1) *hist. lator. lumbric.* (2) *Memoir de l' Acad. Vol.* 17. *p.* 484. (3) *tract. cit.*

pro hac ſententia afferri ſolent, ut qui aliter ſentiat, garrire, & ſomnia narrare videatur. Verum non defuerunt, qui eamdem altiori voce damnarunt, & e medio tollere, quantum illis fas fuit, conati ſunt. Qui fere ſunt, qui lumbricos ingenita nobis eſſe animalcula cum Cl. Valliſnerio autumarunt, qui cum naturalem omnem hiſtoriam luculenter pertractaverit, de vermium in humano corpore generatione egit luculentiſſime. Dici vix poteſt quam apte præclarus Auctor argumentis a Cl. Andrii, aliiſque allatis ſatisfaciat omnibus.

Et primo quidem quod attinet ad vermes, quos oriri ajunt ex ovis inſectorum cum herbis, floribus, ac fructibus, & ipſo aere ingeſtis, ac deglutitis, diverſæ omnino ſpeciei ſunt, propterea ne humani quidem: hinc ſi naſcuntur, quod credi vix poteſt, ſimul ac nati ſunt pereunt defectu vel alimenti, vel congrui, atque ipſis opportuni nidi, vel aeris liberi, & aperti, aut a calore nobis inſito, & fermentis inſignis efficacię, atque activitatis perirent. Præterea humani vermes nunquam in chryſalides, aurælias, & nymphas convertuntur. Deeſt enim placidus, quietuſque locus, atque eorum naturę accommodatus nidus, ut fiant illæ mutationes, quæ ad novum omnino animalis genus conſtituendum neceſſarię ſunt. Itaque ſimiles non eſſe perſpicuum eſt. Apte cadit in hunc locum animadverſio illa Cl. Ruyſchii (1), *quod in humano corpore generentur vermes, tam diverſa forma diſcrepantes inter ſe, ita tamen differentes ab omnibus aliis in natura rerum unquam repertis, ut nuſquam iis ſimilem ullum homini datum ſit intueri extra humanum corpus*. Quid quod obſervatio illa in pueris ſolo lacte veſcentibus nulla adeſſe vermium indicia, nec prius eadem apparere, quam edulia verminoſo ſeminio fœta aſſumant, falſa eſt? Non ſolum enim in pueris, ſed vel in fœtibus adeſſe vermes evincit Hippocratis obſervatio (2) Cuinam magis ſubcenſeam? *At nunc*, inquit, *de lumbricis latis dicendum. Eos enim in puero dum adhuc in utero eſt gigni aſſero: Teretes lumbrici iſthic eodem modo naſcuntur*: atque obſervationem probat ſubdens: *Ubi pueri in lucem ſunt editi, iis mulieres hæc medicamenta cibo in os indito afferunt, ut ſtercus ex inteſtino exeat, & minime aduratur, ſimulque ut inteſtinum dilatetur. Quo cibo in os indito multi ſane pueri tum rotundos, tum latos lumbricos una cum primo ſtercore per alvum dimiſerunt. Multi ſane pueri &c.* An deceptum fuiſſe Hippocratem fas ſit ſuſpicari? Nemo dixerit, qui hominis ingenium, mentis perſpicuitatem, dexteritatem in obſervando, & accurationem noverit. Quamquam ne lippos quidem, ac tonſores multis, ac frequentibus obſervationibus decipi cenſendum eſt, nedum Hippocratem. At obſcurum eſt, inquies, qua via ovula hęc in inteſtina deferantur, quam difficultatem effugiunt, qui vermes in humano corpore ex ovulis inſectorum naſci exiſtimant, eaque cum herbis, floribus, fructibus, pultibus, juſculis, carnibus, aliiſque in eſcam hominum cedentibus ingeri, ac deglutiri. Rem facillime expediunt, qui fingunt ſibi, aut imaginantur, ovula hæc copioſiſſima eſſe, duriſſima, ſolidiſſima, minutiſſima, quam maxime tenuia, ideoque in lactearum venarum poros commodiſſime ſeſe inſinuare, ſanguini immiſceri, & ad fœtus per venam umbilicalem tranſmitti. Quamquam ubi in ſanguinem matris irrepſerint, una cum lacte in ſtomachum, atque inteſtina deferri rationi conſonum eſt. Quid vetat, quominus philoſophus id ſibi pro neceſſitate fingat, aut imaginetur? Jam vero habet, quo innumera fere phænomena explicet commodiſſime; primum cur verminatio hæreditarius ſit morbus. Cum enim in ſanguine minutiſſima illa ovula contineantur, eodem vero nutriatur fętus, parem ovulorum numerum recipiendo aptum eſſe manifeſta res eſt, iiſdemque de cauſis vivificari, augeri, creſcere. Patet etiam, cur illi, qui duram alvum habent, minus obnoxii ſint verminationi, magis vero qui ſolutam. Alvo enim libere fluente ova inter rugas inteſtinorum recondita, eiſdemque firmiter adhęrentia difficillime avelluntur, atque una cum fæcibus per alvum demittuntur. Contrarium ſuccedit in alvi duritie, fæcibuſque induratis.

IV. Alimenta craſſa, viſcida &c. lactis ingurgitatio &c.) Vermes hominibus infeſtos evadere, cum copioſior habetur eorumdem numerus, quam omnes in inteſtinis contineri poſſint manifeſta res eſt. Omnia igitur, quæ aptum vivificandis ovulis nidum, vi-

(1) *adver. anat. Dec.* 1. *p.* 18. (2) *lib.* 4. *de morb.*

vivificatis nutrimentum, ac pabulum præbent, quo augeantur, crescant, verminationi tribuere luce clarius apparet. Huc spectant alimenta crassa, ac viscida, quæ difficillime a stomacho solvuntur, minus soluta diuturna in ventriculo mora corrumpuntur, ac putrescunt, huc lactis ingurgitatio, quod facillime acorem contrahit, ac corrumpitur, unde aptus vermibus nidus, ac nutrimentum.

Ingluvies &c.) Invaluit vulgo, puerum fame non laborantem ægrotare. Mirum autem quantum a continuo, & nunquam intermisso alimentorum cujusvis generis usu turbetur illa placida quies tantopere necessaria ad chylosim rite perficiendam. Huc accedit, varia, ac diversa alimenta difficillime attenuari, ac subigi, & si quæ prava sint, cæteros bonos, laudabilesque succos corrumpere, unde aptus vermibus nidus, ac nutrimentum, hinc eorumdem insignis numerus.

Habitus serosus, humidusque.) Habitum serosum, humidumque conferre ad copiosiorem vermium proventum facit potissimum observatio, infantes, qui tali habitu donantur, vermibus maxime obnoxios esse, & Hollandis, qui laxiori fibrarum textura sunt prediti, lumbricorum Epidemicas constitutiones familiares esse. Neque hujusce rei ratio in arduo posita. Siquidem in his organa chylificationi dicata atonia peccare contingit, succos autem gastricos crassitie, visciditate, & lentore, unde cruditates in stomacho, & intestinis generari contingit, quibus ovula vivificantur, crescunt vermes, multiplicantur.

Bilis inertia &c.) Dum chylus per pylorum in intestina descendit, veluti caseosus, & crassis, viscidis, impurisque particulis onustus bili miscetur. Hunc sale suo volatili oleoso, ac saponacea virtute intime penetrat, scindit, attenuat, aquea oleosis miscet; (oleosum enim corpus sine salis interventu commixtionem aquæ non patitur, hinc saponarius liquor jure optimo dicitur bilis) lævem, mobiliorem, & fluidiorem reddit, partium fæculentarum separationem promovet, ut purus per lactea in sanguinis massam propellatur. Si bilis inertia adsit, corrumpi eumdem contingit, & aptum vermibus nidum, ac pabulum præberi, unde copiosus eorumdem proventus. Apte hinc Helmontius: *Ubi deficit bilis, ibi lumbricorum patria.* Liquet ex his, cur juvenes, in quibus bilis vividior adest, verminationi minus obnoxii sint, quam pueri.

Autumus humidus, & inæqualis.) Non alia de causa certa anni tempora, autumnus præsertim humidus copioso vermium proventui ansam præbet, quam quod solidas partes majorem in modum relaxat, ita ut ineptę evadant ad munia chylificationis rite obeunda, unde chyli corruptio, quo vermes tantopere delectantur. Epidemicam ab hac causa vermium constitutionem repetendam esse censuit Frid. Hoffmannus (1). Quod antea adnotarunt Hippocrates & Galenus in com. Hippocratis (2): *In Autumno*, inquit, *ferini fiunt stomachi dolores, & vermes Ascarides nuncupati vespere infestant.* Autumnum quoque ferinum appellavit Hippocrates; Galenus autem non aliam hujusce rationem assignavit, quam quod in autumno gignuntur Ascarides, & Lumbrici. Cum vero Hippocrates (3) genus istud Animalculorum θηρία appellaverit, quod latinis audit fera, non defuere, qui ferinos illos stomachi dolores pro doloribus a vermibus oriundos habuerunt.

Vel dulcia, mellita, saccharina &c.) Cum nonnulli vidissent, a dulcibus, & mellitis rebus, a fructibus horæis, acidisque ingestis symptomata verminationis propria se prodere, in eam opinionem venerunt ut crederent, ova in istis condi, quæ in stomachum, & intestina delata vermes progignerent. Verum crediderim cum Cl. Vallisnerio propter experimenta a viro diligentissimo Francisco Redio instituta (4), a fructuum, aliarumque similium rerum abusu excitari dolores intestinales propter vermes jam existentes prius, irritatos a succo male digesto, acido, crudoque chylo tenerrimæ eorumdem, atque mollissimę structuræ infesto, quo fit, ut fugam quęrentes in intestinorum parietes quaquaversum impingant, ac stimulo eisdem sint, & molestię. Succo uvæ diu appensæ, quæ saporis amœnitate præstat, vermibus affuso, paulo post eosdem obrigescere, atque exsiccari vidit laudatus Redius: Succo vero mali persici, & pyri adhuc viventes mire contorqueri, atque agitari

(1) *de verm. sect. 9.* (2) *de morb. pop. in princip.* (3) *coac. lib. 6. Epid. p. 7. & lib. 4. de affect.* (4) *osserv. degli anim. c. 119.*

tari deprehendit. Ecquis igitur ad credendum adducatur, ejuſcemodi fructus copioſiori vermium proventui occaſionem prębere? Niſi forte id ex eo fieri dicamus, quod dulces, atque horæi fructus in ſtomacho facile corrumpantur, corrupti vero cęteros bonos, ac laudabiles ſuccos inficiant, ac depravent, cruditateſque gignant, in quibus vermes nidulentur, creſcant, augeantur. Quare ſalubre eſt Celſi monitum (1), fructus dulces primo cibo comedendos eſſe, ut ſcilicet adventu melioris eſcæ illorum malitia obtundatur, ut de Melonibus (quorum eſu quatuor Cæſares periiſſe tradit Cuſpinianus in vita Frider. 3.) aliiſque dulcibus fructibus oſtendit Nonnius (2).

Vel pituita inteſtinalis &c.) Haud infrequens eſt, vel diuturna mora, vel bilis defectu, quę ſale ſuo volatili oleoſo alimenta in ventriculo attenuata condit, aquea oleis immiſcet, a corruptione præſervat, pituitam inteſtinalem, ſeu gaſtricam, in qua vermes nidum habent, corrumpi, unde pravum halitum mittat, qui vermibus infeſtus ad fugam excitet, vel eoſdem enecet, unde moleſtię ſint, ac ſtimulo nerveis inteſtinorum fibris, hinc ſymptomata verminationis ſe prodant.

V. *Inappetentia, aucta fames &c.*) Inappetentiam tunc fieri in iis, qui vermibus laborant, cum a pravis humoribus in ventriculo, & inteſtinis exiſtentibus, qui vermibus pabulo ſunt, eorumdem tonus infirmatur, ſucci gaſtrici titillationem, & moleſtam quamdam vellicationem in nerveas fibrillas inducentes obruuntur, manifeſta res eſt. Augetur tunc fames, cum vermes moleſta roſione, & morſu nerveas fibras afficiunt. Mirum autem auctam famem maciem plerunque ſequi, quod non aliunde repetendum eſt, quam ex eo quod chylum continuo ſugendo vermes impedimento ſunt, quominus idem in ſanguinem per lactea ferri poſſit, quo opus eſt ad humores deperditos reſtituendos.

Dolores ſtomachi, tormina graviora vacuo ventre.) Ab hoc eodem fonte & ſtomachi dolores, & tormina graviora vacuo ventre repetenda ſunt. Deficiente enim alimento vermes in membranas vehementius adiguntur, fortius mordent, & interdum erodunt; aſſumpto eodem pabulum habent, quo veſcantur, membranæ lacteo ſucco obliniuntur, ac mulcentur, hinc ſtimulo, atque irritatione ceſſante, ſymptomata quoque verminationis miteſcant neceſſe eſt. Memorabile eſt, quod narrat Trallianus (3), vermes tunicas ſtomachi erodentes *cardiacos affectus, & animi affectiones excitare, ut nonnulli ſtatim intereant, unde mors infantum inopinata ab eroſo fit ventriculo.* Quod ipſe in viro cardialgia a vermibus divexato poſt mortem deprehendiſſe bona fide teſtor.

Senſus globi ad gulam aſcendentis, & ſuffocationis.) In globum pręſertim rotundi vermes coacervantur, inteſtina mire diſtendunt, ad ventriculum, & œſophagum uſque aſcendunt, arctant eumdem, occludunt, ſubjectam tracheam comprimunt, aeris in pulmones ingreſſum prohibent, hinc ſenſus globi ad gulam aſcendentis, hinc ſuffocationis ſenſus. Cujus memorabile exemplum extat in Gregorio Horſtio (4), ubi tradit, filiam quatuordecim annorum a vermibus tantam colli conſtrictionem paſſam fuiſſe, ut quaſi laqueo injecto ejus fauces pręcludi, & in imminente ſuffocationis periculo prope certiſſimo verſari videretur.

Alvus, & urina modo immodice fluens, modo ſuppreſſa.) Alvus plus ęquo fluit, & urina copioſius emittitur, ſi in crebriores contractiones a morſu, & eroſione ſollicitentur inteſtinorum, & cum his mire conſentientes veſicę fibræ. Si vero pręter modum criſpentur, convellanturque, occluduntur ductus, unde fæces, & urina excernuntur, hinc alvi conſtrictio, urinæ retentio. Puerum ſeptem annorum magna urinę incontinentia divexatum, & ſæpius veluti fulmine ictum violentis convulſionibus cum ingenti ſimul fame juncta laborantem, quæ omnia dejectis vermibus binis longis, & teretibus conquieverunt, memorat Pechlinus (5).

Oris fœtor peculiaris ad aciditatem vergens.) Oris fœtor peculiaris ad aciditatem vergens pathognomonicum ſignum paſſim habetur. Fieri enim minus vix poſſe credunt, quin fæces, quas continuo emittunt vermes, eorumque cadavera, pituitam inteſtinalem gaſtricam, in qua nidum habent, corrumpant, unde fœtor. Quid tamen

(1) *lib.* 1. (2) *de re cibar. lib.* 1. *cap.* 4. (3) *lib.* 7. *cap.* 9.
(4) *Epiſt. medic. ſect.* 7. (5) *lib.* 1. *obſ.* 65.

men vetat, adnotante Cl. Harriſio, quominius oris ille fœtor a corruptelis humorum, & impuritatibus in primis viis exiſtentibus, etiamſi vermes non adſint, exoriatur? Quo apparet, inſeparabile, & maxime proprium ſignum perperam conſtitui

Aphonia, alternus faciei rubor, & pallor, tuſſis ſicca &c.) Aphoniam in verminatione adnotarunt Cl. Fullerus, Baglivus, aliique. Contingit autem, quod irritatis, & convulſis imi ventris nervoſis partibus minoris ſectionis evadunt vaſcula ſanguifera eaſdem perreptantia, ideo minori ſanguinis quantitati vehendæ paria; reliquum eſt igitur, ut ad ſuperiora, laryngem ſcilicet, pharyngem majori copia feratur, ut ex hydroſtaticis legibus conſtat. Itaque vaſa laryngis, pharyngis ſic turgere poſſunt, ut premantur nervi linguę motores, quo facto aphonia contingit. Ab hoc eodem fonte ſubita illa mutatio coloris faciei pallidi in elegantem ruborem, & contra repetenda. Conſtrictis ſiquidem imi ventris vaſis ſanguis ad ſuperiora cogitur, vaſa diſtendit, atque ibidem ſubſiſtens ruborem faciei conciliat: ceſſante ſtimulo, atque irritatione, ac vaſculis relaxatis, æquabili circulo ſanguis reſtituitur, & pallor ſubſequitur. Undenam tuſſim ſiccam, narium pruritum, dentium ſtridorem, pavorem in ſomno, deliria, epilepſias aptius repetas, quam a moleſta vellicatione, irritatione totius nervoſi generis, quam vermes excitant, atque abhinc prodeunte nerveorum filamentorum cum cerebri, tum reliquarum partium varia, atque inordinata concuſſione? Teſtes locupletiſſimos habemus Pechlinum (1), qui refert, puerum vermibus divexatum in Epilepſiam poſt dolores lumborum, ventris, & penis, ut in ſuſpicionem calculorum ventum fuerit, incidiſſe, quę cum coli doloribus ceſſavit, vermibus alvo emiſſis. Memorabilis quoque eſt obſervatio Cl. Thomaſii in M. C. (2) de juvencula horrendis epilepticis inſultibus preſſa cum apparitione ſimul ſpectrorum, quæ omnia ſtatim ceſſarunt vermibus per ſuperiora, & inferiora eductis. Ut mittam obſervationem in M. N. C. de filiola octo annorum vermibus laborante, quę tantis convulſionibus correpta eſt, ut caput, brachia, & crura perennibus, inordinatiſque motibus concuterentur, caput a dextro in ſiniſtrum, brachia, & crura ſurſum deorſum agitarentur (3).

At niſi vermes per os, aut alvum dejiciantur &c.) Ne ſupra recenſitis ſymptomatibus plus tribuendum ſit, quam par eſt, facit potiſſimum ea ratio, quod eadem fere a pravis, vitioſiſque humoribus in primis viis certo, ſtatoque tempore collectis, atque extremitates nervorum proritantibus oriri poſſint. Minus dubitandum eſt in pueris. His enim maxime familiares ſunt vermes; ideoque in omnibus fere hujuſce ætatis morbis ſi non certo ſtatuere, at ad ſuſpicandum vehementer adduci poſſunt Medentes, ubi prædicta ſymptomata apparuerint, vermes adeſſe, etiamſi nondum per os, aut alvum dejecti fuerint.

VI. *Ubi corpuſcula quædam cucurbitæ ſeminibus analoga &c.*) Cucurbitinos vermes, quos a faſcia diſtinctos eſſe ſuſpicati ſunt nonnulli, diſtinctum genus non conſtituere, ſed eorumdem minimas portiones eſſe ſupra oſtendimus. Optimum proinde practicorum conſilium poſt Hippocratem fere omnium, corpuſcula illa, quę ſimul cum alvinis fęcibus exeunt, cucurbitę ſeminibus analoga pro genuinis latorum vermium indiciis habere. Nihil enim interpretante Spigelio, cujus meminit Hoffmannus, aliud ſunt, quam nodus lumbricorum medius, craſſus a lateralibus & ſuis membranaceis appendicibus putredine jam abſumtis ſuperſtes.

VII. *Aſcarides moleſta titillatione ad anum, prurituque &c.*) De Aſcaridibus vermibus nihil attinet dicere. Cum enim inteſtinum rectum occupent, manifeſtum eſt, eorundem motu, ac roſione nerveas ejuſdem fibras moleſtia inſigni affici, varie inordinateque concuti, unde moleſta ad anum titillatio, pruritus, atque frequens alvi dejectio. Morſus irritatio tanta quandoque eſt, ut convulſio per mirabilem nervorum conſenſum ad cor uſque propagetur, unde ſanguinis motum intercipi contingit, atque animi deliquia ſupervenire.

VIII. *Convulſio a verminatione cum halitu ab ore fœtidiſſimo &c.*) Duplici modo convulſio illis accidere poteſt, qui vermibus premuntur, morſu ſcilicet, & eroſione in nervearum fibrillarum extremitates inducta, & halitibus, qui a vermibus mortuis, & cadaveribus factis exhalant, qui chy-

(1) *loc. cit.* (2) *Dec.* 3. *an.* 3. (3) *Dec.* 1. *an.* 6. *obſ.* 187.

chylum primo, deinde ſanguinem inficiant, tandem ſpiritus animales, qui propterea ſeſe in nerveas cerebri fibras hiſque appenſos nervos irruentes cæco impetu, atque eoſdem varie, inordinateque concutientes, viſcerum fere omnium, ac totius corporis convulſiones excitent. Hujuſce porro convulſionis indicio eſt halitus fœtidiſſimus, ac cadaver olens, & mortuorum vermium excretio. Putredine illa in inteſtinis exiſtente, facile ſpirituum, & liquidi arteriosi influxu eadem deſtituuntur, hinc ſphacelatio, quę plerunque ad lethum ducit, ut ex Actis Hafnienſibus (1) & Lentilio apparet (2).

IX. *Quam bene cedunt in curatione anthelmintica &c. Æthiope minerali &c.*) Quæ cum ita ſint, ſuppetit jam quid in curatione præſtandum ſit: non ſolum enim enecandi ſunt vermes, ſed expellendi etiam, ne in iiſdem detenti corrumpantur, putreſcant, & lethali convulſioni, aut ſphacelationi inteſtinorum occaſionem prębeant. Hinc anthelmintica cum purgantibus exhibenda. Anthelmintica enim medicamenta, quæ enecandi vermes vim habent, intelligimus Ἐλμίνθας, ſiquidem verbum græcum eſt, quod latinis audit vermis. Anthelmintica igitur medicamenta, quæ vermibus ſunt infeſtiſſima, eoſque enecandi vim habent. Inter anthelmintica Mercurius principem obtinet locum. Veriti ſunt nonnulli, ne ex mechanicis Mercurii affectionibus ejuſdem operandi ratio ſatis concinne peti poſſet. Itaque occultam quamdam qualitatem in ſcenam nunc denuo invexerunt. Quid enim tandem ſibi vult peculiaris proprietas, facultas, qua voce ipſe Hoffmannus (3) uſus eſt, quam occultam qualitatem? Hac occulta qualitate cum venena agere potiſſimum viderentur, Mercurium ipſum inter venena vermibus dicata recenſere minime dubitarunt. Quamquam vero ſi per occultam qualitatem eam operandi rationem intelligant, quæ explicari nullo modo poteſt, verendum eſt, ne minus placeant mechanicis quibuſdam, qui tantam induſtriam pollicentur, ut ſe commode explicare eamdem valere haud dubie affirment. Quid enim quod Mercurius infeſtus ſit hiſce animalculis, quod conſtet partibus ſolidiſſimis, minutiſſimis, ad fluendum paratiſſimis, ideo vermium corpuſcula penetrare, & teneram eorumdem ſtructuram deſtruere valeat? Non unus autem eſt modus exhibendi Mercurium. Alii Mercurio crudo vel ex ovo ſorbili, vel ex conſerva aliqua, vel ſaccharo cantho in mortario vitreo exacte mixto, duce Cl. Hoffmanno, qui mira ſe eodem præſtitiſſe teſtatus eſt, uti ſolent; alii cum Cl. Harriſio Æthiope Minerali, qui ſcilicet ex mixtione ſulphuris, & Mercurii elicitur; alii cum Helmontio, & Meibomo ſeniori Mercurio aqua, vel vino decocto. Si quęras quanam Mercurii pręparatione uti magis expediat ad enecandos vermes, anceps animo hęrere cogor, & liberum cuique ſuum, ut mihi meum judicium relinquere. Sunt omnibus ęquales vires, æqualeſque facultates, ſi famoſam illam aquam cum Helmontio, ac Meibono, tum Hoffmanno, Baglivo, aliiſque commendatiſſimam excipias, quę ne probari, atque accepta eſſe poſſit, facit experimentum, nullam nec coctione, nec quaſſatione, nec alia quavis arte Mercurii particulam aquę particulis uniri, atque ſociari poſſe. At vero an nobiliſſimum remedium, longoque uſu probatum rejiciendum? Profecto cum nulla ratio ſuppetat, propter quam vermibus infeſta ſit, de eadem ſaltem dubitandum. Ratio deſumi videretur ex Mercurii particulis, quę ſolæ vermibus enecandis aptę natę ſunt. Cum vero eiſdem nihil omnino ſcateat, quem tandem habere poteſt uſum? Quidni liceat affirmare cum Cl. Monto (de quo Franciſcus Maria Zanottus eleganter in com. A. B. (4) ſuas eſſe, ut in cęteris diſciplinis, ſic etiam in medicina anticipationes communes, & falſas, quę Medicis vel κλινικοπάτοις aliquando nonnihil imponant? Si ulla pro ejuſmodi remedio ratio ſuppetit, cur adhibendum, eadem ipſa videtur, propter quam nullas habere vires reputatur. Ob id enim potiſſimum, quod nulla Mercurii particula eidem uniatur, atque ſocietur, id laudis acquirit, ut nocere, quod ſummum eſt, nulla ratione queat. Cæterum aliis Mercurii pręparationibus ſuas eſſe æque validas vires facit potiſſimum ea ratio, quod Mercurius quocumque tandem modo præparetur, varie quidem aliis corporibus unitur, & ſub diverſa forma ſe prodit, ita tamen,

(1) *tom.* 2. *p.* 88. (2) *Miſcel. Medic. p.* 365. (3) *de vermib. ſect.* 7. (4) *p.* 91.

ut ſi addatur corpus, quod majorem habeat cognationem, ac congruentiam, huic libentiſſime, priore dimiſſo, uniatur, nullo ſui ponderis, ac fluiditatis detrimento. Celebre eſt experimentum, & phyſicorum conſideratione haud indignum, quod ſumitur ex ſublimato Mercurio corroſivo ſuper lamina ferrea, vel cuprea extenſo. Liqueſcunt enim ſalinę partes, acidæ vitriolicæ intimam ferri, & cupri ſubſtantiam penetrant, ac corrodunt, & Mercurius ſub forma globulorum, qui vel nudis oculis conſpicui fiunt, currentium adhuc, & fluidiſſimorum ſe prodit. Si Cinnaberi factitiæ, quę habetur ex Æthiopis Mineralis ſublimatione, affundatur limatura ferri, Mercurius liber dimittitur nullo ſui ponderis, ac fluiditatis detrimento. Alia prope innumerabilia experimenta paſſim ſumunt Chymici. Ea nimirum eſt cognatio, & congruentia ſalinarum particularum, & acidi vitriolici, ſulphuris cum ferro, cupro, & aliis metallis, ut libentiſſime ſimul arcte uniantur, Mercurius vero, qui nullam habet, dimittatur. Hęc attigiſſe neque inutile prorſus, neque injucundum duxerim. Habet enim phyſicus, quo infinita fere phænomena cognatione hac, & congruentia explicet commodiſſime. Habent Medentes, quo jure meritoque affirmare poſſint, nullum fere intereſſe diſcrimen inter Mercurium dulcem, Æthiopem Mineralem, & Hydrargyrum ad enecandos vermes. Si Mercurius dulcis minus tritus exhibeatur, prętерquamquod vermes enecare valet, in inteſtina etiam agit, & ſalivales glandulas ſtimulando diarrhœam benignam excitat, ac pituitam, in qua vermes nidulantur, blande detergit, expellitque. Si Æthiops Mineralis, prætерquamquod Cl. Harriſii, aliorumque obſervationibus compertum eſt, enecandis vermibus opportuniſſimum exiſtere, illud prętерea commodi ex illius uſu percipitur, ut nunquam ſanguinem ingrediatur, ſicque ſalivatio, aliaque ſymptomata præcaveantur; quibus ductus rationibus cęteris ipſe antepono, ac valde miror de ejuſdem inefficacia a nonnullis cum Boerhaavio blaterari. Si ad hydrargyrum, ubi res & occaſio tulerit, confugias, non ſolum inſignem chymicis laborem detraxeris, ſed etiam illud periculi effugeris, ne minus recte pręparatum ſit, vel ejuſdem alteratione varia, atque unione aliis corporibus humano corpori infeſtum evadat, ut plerique jure optimo affirmarunt. Solum illud curæ eſſe debet, ut nunquam Mercurius in forma liquida, vel pulvere exhibeatur, ut prę cæteris ſapienter monuit Cl. Lemeryus (1), quod & de aliis metallicis, & draſticis intelligendum, eſt. Dum enim deſcendunt in ventriculum ex ejus plicis ob gravitatem non facile deterguntur, ſed firmius adhęrent, & corroſiva fiunt, unde inſignes ſpaſmi, & inflammationes ſubſequuntur. Quod affirmari nullo modo poteſt, ſi forma ſolida exhibeantur. Senſim enim ſenſimque in ſtomacho ſolvuntur, unde activitatem remedii dividi contingit, diſpergi, ac mitiorem fieri.

Radic. Mechoac. &c.) Quamplurima ſunt purgantia, quę paſſim adhiberi ſolent cum anthelminticis in verminatione, ſcamonium fumo ſulphuris correctum, ideoque ſulphuratum dictum, vel cydonys, quod diagrydium appellatur. Utrumque enim purgandis pueris, educendiſque vermibus opportunum reputatur. Expurgandis tamen iis, qui vermibus laborant, & quorum ventriculus, atque inteſtina mucoſis quiſquiliis, in quibus nidulantur, ſunt maxime obducta, Mechocan. radix cęteris anteponenda eſt, utpote quę tenellæ puerorum ſtructurę eſt maxime accommodata. Adeo mitis eſt, ut vel infantibus innoxie detur, ac ſeroſa, quibus eorum corpora abundant, ſine moleſtia educat. Salinis, & reſinoſis principiis ſcatere experimentis Cl. Boulducii, Geoffroy, aliorumque compertum eſt. Atque hi quidem extractum parant ſalinum, & reſinoſum, iiſque qua data occaſione utuntur. Verum cum ejuſdem ſubſtantia utroque ſimul principio operetur, ac ſalina pars reſinoſam corrigat, fit, ut mitiſſimum ęque, atque efficaciſſimum evadat medicamentum, ideoque extractis anteponendum.

X. *Si convulſiones adſint, prius oleo amygdul. &c.*) Conſiderandum eſt diligenter, quocum res ſit, & quæ potiſſimum ſymptomata cum verminatione conjungantur. Frequentiſſime motus convulſivi ſuperveniunt, quibus ut plurimum vermium morſus, & vellicatio in extremitates nervorum inducta anſam prębet. Tunc vero oleoſa ſunt in uſum vocanda, quæ prætерquamquod lumbricis applicata omnes eorum tra-

cheas

(1) *curſ. Chym.*

cheas obſtruendo enecare valent, ut experimentis Franciſci Redi, & Baglivi (1) compertum eſt; accedit prætera, convulſas inteſtinorum fibras, & membranas ſpaſmo conſtrictas laxare, mulcere, eaſque a morſu vermium, & eroſione tueri; demum efficere, ne ab acribus purgantium particulis poſtea labefactentur inteſtinorum fibræ, unde vermes ſine noxa, & moleſtia expellantur. Quæ fere methodus eſt Cl. Hoffmanni, quæ cum tutiſſima omnium viſa ſemper mihi ſit, eamdem cæteris omnibus anteponendam cenſui.

XI. *Quibus bis, terque propinato medicamento purgante purgatio non ſuccedit &c.*) Animadvertendum eſt, quandoque nullam ſequi purgationem, ac vermium excretionem, etiamſi ter, & ultra propinatum fuerit purgans remedium. Tunc vel faſciati ſunt vermes, qui cum totum inteſtinorum canalem occupent, difficillime propter miros inteſtinorum anfractus, ac circumgyrationes, circumvolutioneſque ejiciuntur, vel rotundi, & teretes ſunt in globum coerciti, & canalem obſtruendo purgantis actioni reſiſtunt, vel in cæco inteſtino, appendice vermiformi repoſiti purgantis vim eludunt, ideoque ſi purgantia continuo adhibeantur, periculum eſt, ne ſenſim ſenſimque auctis eorumdem viribus adeo irritentur nerveę inteſtinorum fibræ, ut in inſignes ſpaſmos, & convulſiones agantur magno ægrotantium damno.

XII. *Neque Clyſteres ex dulcibus, mellitis &c.*) Plerique in eam opinionem adducti, ut crederent dulcibus, ac mellitis vermes delectari, Clyſteres ex iiſdem rebus paratos injiciendos curant, rati futurum, ut iſtorum jucunditate illecti ad inferiora, inteſtina ſcilicet craſſa invitentur, & per alvum commode dejiciantur. Verum cum experimentis Cl. Redi compertum ſit, dulcibus, ac mellitis irritari magis, magiſque vermes, verendum eſt, ne ejuſcemodi Clyſterum uſu in vehementiores turbas agantur, ſicque morbus augeatur potius, aut confirmetur. Tutiſſimos porro ex lacte, butyro &c. quis non eſſe judicet?

XIII. *Acida &c. ubi æſtus adſit ſummus, & bilis fervidior peccet &c.*) Sennerti monitum eſt, præſente febre, & alvi fluxu, ab acribus medicamentis, a purgantibus in verminatione eſſe abſtinendum. Nihil poro ad ęſtum compeſcendum, ad bilis fervorem temperandum, humorum putredinem corrigendam, alvi fluxus ſiſtendos acidis efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius. In conſtitutione quadam Epidemica febrium malignarum inſignem vermium proventum obſervare mihi contigit. Sitis autem urgebat, calor intenſiſſimus erat, copioſus ſudor, diarrhœæ, vomitus immoderati, fœtidiſſimus ab ore halitus, aliaque hujuſmodi. Mirum pleroſque ſubacidis remediis, præſertim vero ſucco limonum, inſigni facta vermium dejectione, ſiti, immoderatis evacuationibus ceſſantibus, perfectiſſime convaluiſſe. Ecquis ad credendum vehementer non adducatur cum Ballonio, gaſtricas fuiſſe febres iſtiuſmodi malignas ab inſigni ſuccorum gaſtricorum corruptela, bilis præſertim, tenujorum, volatiliorumque humorum fuſione, exſolutione? Acida porro acre fluidorum invertendo, ſales volatiles corroſivos figendo, ac diſſolutionem prohibendo eximiam præſtiterunt operam. Ea ratio eſt, cur acida refrigerandi vi polleant, & catharticorum vim infringant; eorum enim ſulphur exaltatum cogunt, & figunt. Vires acidorum egregiæ innotuere Veteribus fere Hippocrati, Galeno, Dioſcoridi, aliiſque, iiſque potiſſimum in pleriſque morbis malignis, contagioſis ſumma cum felicitate uſi ſunt. Quid quod Medici in India plus præſidii in limonibus ponunt, quam in famoſo illo lapide bezoartico, aut theriaca ad malignos morbos, & peſtilentiales præcavendos (2)?

XIV. *Ubi craſſities humorum, & bilis inertia adſit, amara &c.*) Non defuere, qui inter ſpecifica ad enecandos vermes amara quoque recenſenda eſſe contenderunt. Wepfferi enim obſervationibus compertum eſt, plurima inſecta ab amaris devoratis ſpaſmis affici, & convulſa plerunque mori. Celebre eſt Semen Santonici, centaur. minor. coralin., nec non abſynt. tanecet. & ex iis ſalia elicita lixivioſa dicta, quibus addenda acria ſpirituoſa alcalina, acria, ut ſpirit. cor. cer. ſal. armoniac. aliaque odore ſulphureo graveolente prędita aſ. fœtid. ſagapen. myrrha, & ſimilia, quę non ſolum amaritie ſua, atque odore vermibus infeſto operantur, ſed etiam ſalibus volatilibus, oleoſis, & ſiccioribus particulis, quę ſo-

(1) *Epiſt. de lumbric. lat. ad Nicol. Andrii.* (2) *Vid. com. in aph.* 12. *cap.* 9.

ſolidas partes laxatas jam corroborare habent, ac mucilagineas ſordes, in quibus eorum ovula retinentur, foventurque, reſolvere. Rhabarbarum hiſce præſtare facit potiſſimum, quod purgante ſimul facultate donatur, & bilis actionem adeo juvat, ut in bilioſis adhibitum icterum quandoque progignat.

XV. *Aqua pariter Tetutiana &c.*) Aqua Tetutiana vermibus infeſta eſt, tum quod ſalinis ſpiculis, ac mordacitate ſua periſtalticum inteſtinorum motum ſollicitat, ſordeſque omnes, & mucoſas quiſquilias, in quibus vermes nidulantur, abſtergit, atque ſuo pondere ad alvum præcipitat, tum quod tenerrimam eorumdem ſtructuram lædit. Aſclepiades ipſe ad enecandos vermes ſalitam aquam commendabat; atque illi, qui prope mare degunt, marinam aquam ſummo cum emolumento adverſus vermes aſſumunt. Hoffmannus pariter mentionem facit quorumdam fontium mineralium medicorum, qui examine inſtituto ſalis communis divites erant, atque aliud ſalſum inſtar arcani duplicati continebant, qui præ cęteris habebant peculiarem virtutem anthelminticam, dum epoti omnis generis lumbricos, inque primis aſcarides magna in copia cum fæcibus ejiciebant (1).

De uſu aquæ Tetutianæ Vid. Cap. 3. lib. 3. aph. 13.

XVI. *In diuturniore affectu ad aquas acidulas Recobarii &c.*) Non alia ratione metalla quædam anthelmintica vi donari reputantur, quam quod ſpiculis ſuis pungunt, lacerant tenellam vermium ſtructuram, eoſque occidunt. Huc ſpectant, præter Mercurium, Mars, ejuſque vitriolum, & ex his compoſita medicamenta. Cæteris omnibus præſtant aquæ acidulæ hodie maxime celebres in agro Vicentino Recobarii. Vitriolum enim martis continere certis experimentis Cl. Jo. Gratiani compertum eſt. Anthelminticam eiſdem ineſſe facultatem ſi quis ſentiat, quod vitrioli martis divites ſunt tenerrimæ vermium ſtructurę infeſti, garrire omnino, & falſa ſentire non videatur; at ad veritatem propius accedere, qui ex eo repetat anthelminticam earumdem virtutem, quod craſſas, ac mucilagineas ſordes in primis viis hærentes abſtergere, infarctus reſerare, coctiones reſtituere, viſcerum naturalium fermenta corrigere, tonum confirmare habent, vermium nidum deſtruere, ac minutiſſima ovula per inſignes excretionum vias eliminare, atque hac ratione verminationis fundamenta ab imo convellere. Religioſum quemdam Aſcaridibus laborantem, clyſteribus, fotubus, ſuppoſitoriis, atque aliis internis medicamentis prope innumeris fruſtra tentatis, non ſolum uſu aquarum Recobarii ea ratione liberatum fuiſſe, ut moleſtiam ex illorum morſu, ac roſione poſtea nunquam perceperit, ſed decurſu temporis nunquam iiſdem obnoxius fuerit, bona fide teſtor. Quid plura? An de ejus remedii efficacia dubitandum eſt, quam cum ratio eximiam eſſe evincit, obſervationes eamdem confirmant?

CAPUT VII.

De immodico hæmorrhoidum fluxu, earumque tumore.

I. *Sanguis in hæmorrhoidalibus vaſis internis ſtagnans, tumoremque elevans hęmorrhoides cæcas internas dictas progignit, in externis externas.*

II. *Quotieſcumque diſrumpantur, aut corrodantur, ita ut ſanguis extra modum ex ipſis effundatur ſumma cum virium jactura, coporis pallore inſigni, inappetentia, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus, immodicus hæmorrhoidum fluxus exoritur.*

III. *Sanguis etiam in ſtatu naturali per vaſa imi ventris tarde movetur; multo magis ſi copia peccet, vel non rite fermentatus, ac volatilizatus fuerit. Hæ nimirum conjunctæ morbi cauſæ ſunt.*

IV. *Qui lauto utuntur cibo, qui otioſam, & ſedentariam agunt vitam, qui alimentis craſſis, viſcidiſque utuntur, animi pathematibus, mœrore præſertim, ac triſtia tenentur, qui temperamento donantur melancholico, qui hypochondriaci, ad hujuſmodi morbos proni ſunt.*

V. *His accedunt laborioſi partus, irrita fęcum expulſio, purgantia validiora, aloetica in primis iis exhibita, qui iſtiuſmodi affectionibus obnoxii ſunt.*

VI.

(1) *Op. med. pract. diſſert. Dec. 2. Diſſ. 1. de ſalium mediorum excellente virtute ſect. 21.*

VI. Immodicum hæmorrhoidum fluxum ſanguinis ad inſtar loturæ carnium excretio ſequitur, hunc pedum ædema, tandem hydrops.

VII. Cave a ſanguinem ſupprimentibus in ejuſmodi morbis, niſi forte propter enormem hæmorrhagiam periculum ſit, ne in ſyncopem æger labatur graviſſimam.

VIII. Si plethora adſit, venæ ſectio in brachio celebranda: in virium collapſu inſigni cucurbitulæ ſiccæ mammis, aut hypochondriis applicandæ.

IX. Interea Spongiæ ſucco hypociſtidis aqua plantaginis ſoluto, decocto Myrt. balauſtior. cortic. granatorum imbutæ apertis venis, ſi externæ fuerint, admovendæ, ſi internæ, ope parvæ ſyringæ eadem injicienda.

X. Ad vitriolata tamquam ad ſacram anchoram confugiendum. Colcothar vitrioli, aquæ multæ ſtipticæ, Lemerii, Robelii & h. m. huc ſpectant.

XI. Pro uſu interno ſolo fungo melitenſi contentus ſum, vel ſimili.

XII. Si vero lentus ſit ſanguinis fluxus, res autem cum ægris boni, ac laudabilis habitus, præmiſſo ſero lactis tamarindato, vel caſſia cum pulpa tamarindorum, ſucci optime depurati urtic. heder. terreſtr. plantagin. ad unc. iii. quotidie exhibendi.

XIII. Æſtivo tempore Aquæ Brandulenſes per XV. dies, quæ libræ quatuor non excedant cum tinctura Mart. ſuc. cydon., aut acido vitrioli, aut ſulphuris extracta ad gur. xx. vel xxx. eximiam operam præſtant.

XIV. Autumno tandem lac primum aſininum, tum vaccinum aqua plantaginis coctum cum corallorum præparatorum ℥ .ſ. cæteris palmam præripiunt.

XV. Juſcula extremitatum pedum vituli, gelatinæ ejuſdem, gum. arabic. ac tragacant. a ℈ .ſ. cum alimentis aſſumpta apprime viſa ſunt convenire.

XVI. Si obſtructionibus imi ventris laboret æger, cachecticus ſit, pedum ædemate laboret, rhabarbaro a gr. xv. ad xx. quolibet tertio, vel quarto die uti expedit.

XVII. Horum dierum intervallo tartarus vitriolatus in parca doſi locum habet.

XVIII. Succi plantaginis, urticæ, hederæ terreſtris hic quoque viſi ſunt convenire.

XIX. Quid mali verendum ex uſu aquarum acidularum, ſi in parca doſi exhibeantur?

XX. Reſeratis obſtructionibus ad Lac ut ſupra deveniendum.

CAPUT VII.

De immodico hæmorrhoidum fluxu, &c.

I. *Sanguis in hæmorrhoidalibus vaſis internis ſtagnans &c.*) Nemo ignorat, hęmorrhoidales venas non alias eſſe Anatomicis, quam quę ultimę inteſtini recti orę conſitę ſunt. Alias porro internas eſſe, externas alias manifeſta res eſt. Hę nimirum inferiores ſunt, & in ramum hypogaſtricum venę cavę influunt, illę ſuperiores, & in ramum meſentericum, & inde in venam portę abeunt.

Quotieſcumque autem in his ſubſiſtit ſanguis, aut ejus motus maxime retardatur, neceſſe eſt, ut a novo continuo affluente ſanguine in ea quantitate in prędictis vaſis cumuletur, quę eorumdem diametro minime reſpondeat. Ea igitur diſtendat neceſſe eſt, eo uſque dum tumor inſignis fiat, qui & nerveas fibrillas, quibus contexta ſunt, & membranas, ac partes, quibus interjecta, moleſte afficiens in vehementiores, & non ordinatas contractiones agens dolorem inſignem excitet. Tumorem, doloremque vaſorum, hęmorrhoidum cęcarum titulo inſigniverunt Veteres fere Medici. Ex diviſione venarum hęmorrhoidalium in internas, & externas liquet, cur in internas pariter, & externas hęmorrhoides cęcę jure optimo diviſę ſint. Cęteras diviſiones deſumptas ex magnitudine, ex figura, unde ob ſimilitudinem aliqualem ficus, cryſta galli, condylomata dicuntur, tamquam inutiles medicinam facientibus prętermiſimus.

II. *Quotieſcumque diſrumpantur, aut corrodantur, ita ut ſanguis &c.*) Non poteſt ſanguis in vaſis hęmorrhoidalibus diutius ſubſiſtere, atque eadem prętернaturaliter diſtendere, quin vel diſrumpantur tunicę, vel acrimonia corrodantur, unde ſanguis in inteſtinum rectum effundatur. Quod ubi contigerit, fluxus hęmorrhoidalis dictus exoritur, qui quandoque mitis adeo ac placidus eſt, & per intervalla recurrens, ut ſuperfluo evacuato ſanguine quamplurimi, iique graviſſimi morbi pręcaveantur. Talis fluxus familiaris eſt iis, qui calidiores incolunt regiones, & mulieribus, quibus menſtruę purgationes deficiunt, vel plurimum imminutę ſunt. Quandoque modum

dum excedit, ita ut vires paulatim deficiant, corpus universum pallore perfundatur, inappetentia, tumores ędematoſi ſuperveniant, aliaque ejuſmodi, quę in ſummum diſcrimen ęgrum adducunt. Talis porro fluxus immodicus cenſendus eſt, & medicam opem expoſcens. Quod monere volui, ne in fraudem inducerentur adoleſcentes exiſtimantes, quamcumque ſanguinis evacuationem copioſam immodicam eſſe. Non enim copia, & quantitate æſtimandæ ſunt ſanguinis, cæterorumque humorum evacuationes, ſed naturæ tolerantia, vel labore inſigni, ac gravamine. Poteſt enim in Socrate ea copia effundi ſanguinis citra ullam noxiam, quæ cæteroquin in Thalia maxima ſit. Id quod a varia Socratis, & Thaliæ conſtitutione tum quoad ſolidas, tum quoad fluidas partes repetendum. Idem plane & de Diarrhœa, & Vomitu, & Cholera morbo dictum velim.

III. *Sanguis etiam in ſtatu naturali per vaſa imi ventris tarde movetur &c.*) Per ea vaſa celer eſt ſanguinis motus, quæ inſigni elatere, ſeu vi naturalis ſuæ contractionis valida, ac firma donantur. Hæc enim validius, & fortius ſeſe contrahentia fluenti ſanguini calcar addunt, unde ejus velocitas. Atqui venæ meſaraicæ imbecilles a natura ſunt conſtitutæ, neque elatere illo, ac vi donantur, qua fluentem ſanguinem impellere valeant; ergo tardus per eaſdem motus eſt. Huc accedit, in innumerabiles ſurculos, ac ramos elegantiſſimos arcus deſcribentes dividi. Retardari autem debere majorem in modum ſanguinis motum tot reſiſtentias offendentis in tortuoſo illo inceſſu, luce clarius apparet. Sed quod magis mirari ſubeſt, venam portę, licet ea tunicarum ſoliditate, quę arteriis propria eſt, minime donetur, ſanguinem valido impetu a corde projectum immediate non recipiat, & minime ab extraneis comprimatur, arterię tamen ſanguinem vehendo vices agere. Nil mirum igitur ſi lentior ſit per eamdem motus, eo magis cum ſanguis contra propriam gravitatem aſcendat. Quamquam ſi conſideremus vaſorum hęmorrhoidalium conſtitutionem, conſtat, ea partibus muſculoſis, & ſolidis, quę continuo motu propulſos humores exprimant, deſtitui; hinc fit, ut iidem non eadem felicitate, & rhythmo revehantur mediis venis, unde eorumdem ſtagnatio. Ultraquamquod fieri minus vix poteſt, quin a fęcibus preſertim duris hęrentibus in inteſtinis venę illorum ſubſtantiam perreptantes valde premantur, quapropter intercipiatur, vel ſaltem langueſcat ſanguinis aſcenſus; hinc in vaſis, ubi minima datur reſiſtentia, nimirum circa podicem, tarda circuitio. Adde, a continuo fęcum, atque excrementorum tranſitu vaſorum eorumdem tonum ita infirmari, ut nullam fere vim, ac niſum faciant in affluentes humores; quare ex gravitate contenti, & ex enervato continentis vaſis motu congeſtiones humorum ſuccedant neceſſe eſt, quas interdum immodicę evacuationes excipiunt. Qui plura cupit, adeat Cl. Stahlii diſſ. (1), qua morbos omnes, qui a difficili per venam portę, & hepar curſu proficiſcuntur, diligenter exaravit.

Multo magis ſi copia peccet, vel non rite fermentatus &c.) Immodicę autem evacuationes facillime excipiunt, cum prę copia ſanguinis vaſa ita diſtenduntur, ac turgent, ut inepta fere trajiciendo eidem evadant. Inepta porro evadunt ex eo potiſſimum, quod plenitudine ſanguinis, ac plethora ad vaſa vera peccante, ſuperatur eorumdem reſiſtentia, præſertim illorum, quę minimo donantur elatere, cujuſmodi ſunt ſedales venæ. Hinc cum imminuatur ſanguinis motus, reſiſtentię autem eędem ſint, congeſtiones in iiſdem fieri debere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quid ſi rite fermentatus, ac volatilizatus non fuerit, craſſitie, viſciditate, ac lentore peccet? Segnius quidem moveri, & quemcumque obicem offendat ſubſiſtere, atque hęrere lippis ęque, ac tonſoribus notum eſt plus, quam ipſorum digiti, atque ungues. Eſt ne cur ad tartaream indolem eo loci collectam, aut ad humorem melancholicum, quem a Liene excipere, & interdum expurgare hęmorrhoidoles venas arbitrabantur, confugias? Vetant ſanguinis circulationis leges, & vaſorum oſcula ubique ſimilia, quominus illę fiant depoſitiones. Quominus Lienem inculpes vetat Anatomicorum obſervatio nullam Lienis cum vaſis hęmorrhoidalibus connexionem, communicationem immediatam nullam adeſſe. Quo magis patet vel a ſanguinis copia, vel ab eodem non rite

(1) *de ven. port. morb.*

te fermentato, ac volatilizato hęmorrhoidalium vaſorum tumorem, doloremque, diſruptis vero, aut eroſis eorundem tunicis, hęmorrhoidalem fluxum ſubſequi.

IV. *Qui lauto utuntur cibo, qui otioſam, ac ſedentariam agunt vitam &c.*) Qui lauto utuntur cibo plus boni ſucci in ſanguinem invehunt, quam nutriendis, augendiſque partibus faciat. Neceſſe eſt igitur, ut ſanguinis maſſa majorem in ſe materiem contineat, atque hac ratione plethora ad vaſa vera excitetur. Quemadmodum nihil ad attenuandum ſanguinem, ac fluida noſtri corporis moderata exercitatione aptius, ita nihil ad craſſitiem, viſciditatem, ac lentorem eorumdem progignendum vita otioſa, & ſedentaria opportunius. Exercitatione enim ſolidę partes vim, robur, atque elaterium acquirunt, ideoque exagitando, & commovendo ſanguini pares fiunt, quod dici vix poteſt, quantum ad eumdem attenuandum faciat. In otioſa e contra, & ſedentaria vita ceſſante muſculorum, ſolidarumque partium actione, humores craſſos, viſcidos, ac lentos cumulari, qui congeſtionibus pręſertim viſcerum imi ventris anſam prębent, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Qui alimentis craſſis, viſcidiſque utuntur, animi pathematibus &c.) Alimenta craſſa, ac viſcida difficillime a ſtomacho ſolvuntur; chylus propterea crudus, aciduſque generatur, qui ubi in ſanguinem pervenerit, eumdem ſimili vitio inquinat, unde in vaſis imi ventris congeſtiones facile contingunt hęmorrhoidibus impetum daturę. Sed a nulla re magis, quam ab animi pathematibus, angore pręſertim, ac triſtitia hęmorrhoidum vitia proficiſcuntur. Tonum enim, ac robur partium labefactari contingit, primas coctiones turbari, congruam ſanguinis mixturam tolli, viſcidum, lentum evadere, retardari ejuſdem motum ea ratione, qua opus eſt ad viſcerum imi ventris infarctus, atque obſtructiones immodicis evacuationibus occaſionem daturas.

Qui temperamento donantur melancholico, qui hypochondriaci &c.) Temperamento melancholico ii donantur, qui cor, & vaſa anguſtiora habent, qui fibras duras, craſſas, ac denſas. Hinc ſanguinis, & humorum motus tardus, lentuſque, craſſitudo autem inſignis iis eſt. Sanguine terreſtribus, & ſalinis fixioribus particulis onuſto ſunt prędiți, unde tarditas eorum, & ſegnities in actionibus exoritur, aſſidua meditatio, & gravitas. Ecquis autem non videat, quam facile congeſtiones in ſedalibus venis, & aliis imi ventris vaſis in ejuſcemodi temperamentis ſubſequi valeant? In iis, qui hypochondriacis affectionibus laborant, inſigne chylificationis opus labefactatur, unde chylus acidus, crudus generatur, qui ſanguinem ingreſſus eumdem craſſum, viſcidum, & ad motum minus expeditum reddit, unde in viſceribus imi ventris facile ſubſiſtit, atque hęmorrhoides progignit.

V. *Laborioſi partus, irrita fæcum expulſio &c.*) In laborioſo partu fieri minus vix poteſt, quin ob validum muſculorum abdominis niſum, & compreſſionem in vaſis meſaraicis factam intercipiatur liber ſanguinis motus; cumque a venis hæmorrhoidalibus ferri non poſſit ea celeritate, qua per arterias advehitur, neceſſe eſt, ut ſubſiſtens, atque hærens congeſtiones, tumoreſque excitet, quos fluxus interdum ſanguinis excipere ſolet. Idem fere niſus, ac conatus ad induratas expellendas fæces neceſſarius eſt. Imo ab induratis, vique expulſis fæcibus valide premi, & anguſtari ſedales venas contingit, earumdem tonum labefactari, aut alia ratione affici, qua opus eſt ad congeſtiones humorum, & abhinc prodeuntes hæmorrhoidum tumores, doloreſque procreandos.

Purgantia validiora, aloetica in primis iis exhibita, qui &c.) Aloes quoniam conſtat ſulphure quodam tenuiſſimo, & inſignis efficaciæ, & ſale pariter quodam ſumme ſubtili, atque acri, ea præ cæteris acrimonia pollet, qua intus aſſumpta, prędicto hæmorrhoidum fluxui producendo opportuniſſima exiſtit. Infeſtam hujuſce medicamenti vim noverunt Veteres fere Medici, ac propterea niſi correcta prius fuerit, eadem utendum eſſe exiſtimabant. Hinc Aloem vel ſuccis plantarum amaricantium uniebant, aut ſucco roſarum diſſolvebant. Utroque autem modo principium illud ſumme activum infringi, ac mite fieri curabant. Quos ſequuti Recentiores medicamenta ex Aloe mitiſſima confecerunt. Celebre eſt illud Pechlini, quod ex Aloe ſuccis plantarum amaricantium mixta, ac ſoluta per repetitas vices, atque inſpiſſata

conficitur, quod mitiſſimum æque, atque efficaciſſimum ad purgandum exiſtere teſtatus eſt. Quocumque tamen modo præparetur Aloes, prudentis eſſe facile judicaverim in iis, qui iſtiuſmodi affectionibus obnoxii, prorſus abſtinere, docente Fonſeca (1): *Caveat quiſque omnino a pillulis de Aloe; aloe enim aperit ora venarum, & hæmorrhoides adeo inducit, ut ex centenis his pillulis utentibus nonaginta hæmorrhoidibus laborent.*

VI. *Immodicum hæmorrhoidum fluxum ſanguinis ad inſtar loturæ carnium &c.*) In immodicis ſanguinis evacuationibus ſummum fieri ſpirituum diſpendium perſpicuum eſt: hinc langueſcere cordis, & arteriarum motum neceſſe eſt, ventriculi, pancreatis, hepatis, meſenterii, aliarumque partium, quæ chylo aut elaborando, aut perficiendo dicatæ ſunt, tonum imminui, chylum crudum aqueum generari, qui ſanguinis maſſam ingreſſus, cum eidem intime miſceri nequeat, dilutum nimis, atque aqueum reddit, unde ex apertis hæmorrhoidalibus vaſis effuſus loturam carnium emulatur. Veteres Medici fluxum huncce hepaticum dixerunt, putantes a frigida, & humida hepatis intemperie non rite ſanguificantis produci. Verum poſt inventam ſanguinis circulationem, cum organa ſanguificationi dicata longe diverſa ſint ab hepate, corruere illorum ſententiam luce clarius apparet. Imo dubitant plerique, an revera detur fluxus hepaticus, qualis a Veteribus cum Galeno deſcribitur. Quidquid tamen hac ſuper re ſentiant Medici, illud citra erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, diuturnos hæmorrhoidum fluxus loturę carnium ſimiles fluxus ſequi, quos an aliunde, quam ab recenſitis cauſis aptius repetas?

Hunc pedum ædema, tandem hydrops &c.) Sanguis ſpirituoſis, volatilibus, ac balſamicis partibus deſtitutus, aqueis, crudiſque plurimum refertus fieri minus poteſt, quin iners ad motum, lentus, ac ſegnis reddatur; quapropter per minima capillaria vaſa, præſertim illa, quæ longe a corde ſunt diſſita, in quibus minima eſt vis, atque impulſus, facile ſubſiſtens tumorem pedum ædematoſum progignat. Quid quod, ſi diuturna ſit nimia ſanguinis evacuatio, optima ſanguinis mixtura perverti debet, atque ejus compages ita ſolvi, ut ferosa pars a reliquarum nexu ſecedens facile e glandularum poris elabatur, atque inde vel in cavitates tranſudet, vel intra partium laxam ſtructuram ſubſiſtat, ut hydrops?

VII. *Cave a ſanguinem ſupprimentibus in ejuſmodi morbis, niſi &c.*) Quamvis omnes evacuationes præternaturales morboſæ cenſendæ ſint, nihilominus tamen illæ præ temporis diuturnitate neceſſariæ quaſi fiunt. Hinc eſt, eos, quibus ſupprimuntur, in graviſſimos morbos incidere. Ita Hippocrates (2): *Diuturnas curanti hæmorrhoides, niſi una quæpiam ſervetur aperta, periculum aquæ inter cutem, aut tabis impendet*; atque Celſus (3): *In quibuſdam hæmorrhoidum fluxus parum tuto ſupprimitur, qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt: habent enim purgationem hanc non morbum; ideoque curati quidem, cum ſanguis exitum non haberet, inclinata in præcordia materia ſubitis, & graviſſimis morbis correpti ſunt.* Plures hiſtor. vid. in Galeno (4), Hildano (5), Heurnio (6). Quid quod natura in primis ſuppreſſis menſibus per hæmorrhoidalia loca abundantem ſanguinem ſępiſſime emittat? Quod jam obſervavit Hippocrates (7), & exemplo confirmat, dum ait: *Filia Ædilis menſibus non prodeuntibus per duos annos hieme habuit hæmorrhoides*: & Heurnius (8) inquiens: *Novi mulieres, quæ menſium vice hæmorrhoides fundebant*. Cum vero ex ſuppreſſis menſibus quamplurimi graviſſimique morbi ortum traducant, ut obſervationibus ipſiuſmet Hippocratis (9), Hildani (10), quæque extant in M. N. C. (11), & Actis Hafnienſ. (12) compertum eſt, ecquis temeritatis notam effugere poterit, qui ejuſcemodi evacuationes uſu adſtringentium cohibeat? De adſtringentium noxa memorabilis eſt locus in Aetio (13): *Communis error*

&

(1) *tom.* 1. *conſ.* 57. (2) 6. *aph.* 12. (3) *lib.* 6. *cap.* 18.
(4) *lib.* 6. *can.* 29. & *lib.* 3. *de humor. com.* 26. (5) *Cent.* 2. *obſ.* 11.
(6) *com. in aph.* 46. (7) *in coac.* & *lib.* 4 *epid. cap.* 20.
(8) *com. in aph.* 10. *lib.* 6. (9) *lib. de virgin. morb.* 1. 120. & *lib.* 1. *de morb. mul.* 5 (10) *cent.* 5. *obſ.* 41. (11) *Dec.* 1. *an.* 1. *obſ.* 85.
(12) *Vol.* 2. *obſ.* 78. (13) *lib.* 1. *cap.* 16.

& mulierculorum, & barbitonſorum eſt, qui & Medicis fugiendus, exhibentium adſtringentia, quæ nullo tempore, nullaque occaſione unquam in uſum venire poſſunt. Adſtrictis enim locis aut nobiliora membra invadent moleſta illa excrementa, aut retenta in malum habitum, aut hydropem laborantes ducent (1).

VIII. *Si plethora adſit, venæ ſectio &c.*) Ubi plethora morbo occaſionem præbet, quam tuto venæ ſectio celebratur! Imminuta ſanguinis copia vaſa hæmorrhoidalia nimis diſtenta, ac relaxata in priſtinum ſui elaterii, ac toni ſtatum reſtitui contingit, quæ propterea ſeſe validius, & fortius contrahentia ſanguinem dimovere habent, ac circulo reddere, unde immodica evacuatio cohibetur. Quod non ſine admiratione accipi ſolet ab iis, qui vires ab evacuatione ſanguinis debilitatas per venæ ſectionem magis magiſque infirmari, ac fere collabi putant magno ægrotantium damno. Qui dici vix poteſt in quanta obſcuritate verſentur. Ex corporibus enim pleni habitus ſæpiſſime incredibilis ſanguinis copia ſine noxa effunditur. Apte in rem cadit elegans locus apud Jo. Heurnium (2), dum ait: *Illuſtriſſimus Aurantiæ Princeps Vvilhelmus Naſſovius Antvverpiæ a latrone læſus ſclopeto in collo, ita ut jugularis magna illa vena maximam ſanguinis funderet copiam per plurimos dies, cum quotidie plures ſanguinis libras emitteret, fluxione tandem colcothare cohibita, ſalvis viribus evaſit.*

In virium collapſu inſigni cucurbitulæ ſiccæ mammis &c.) Quamquam revera ſi tanta ſit ſanguinis evacuatio, ut vires majorem in modum langueſcant, haud inficias ire auſim, imminuendi ſanguinis copiam indicationem nullam adeſſe, ſolum revellendi. Salubre propterea practicorum conſilium, cucurbitulas ſiccas mammis applicandas, Hippocratis præunte exemplo, qui (3) mulieri ad cohibendum menſtruum fluxum cucurbitam mammis apponit. Rarefacto nimirum inſigniter intra cucurbitulę ventrem aere per ignem ibi accenſum, vis ejus elaſtica imminuitur. Eadem imminuta fit, ut tota atmoſphæra aeris externi, cum ferme nullam reſiſtentiam habeat, vehementer cucurbitulam premat adverſus cutem, ſic ut interni aeris cum externo communicatio auferatur. Quare partes cucurbitulæ ſubjectas minorem preſſionem ab aere intra cucurbitulam contento pati, neceſſe eſt. Particulæ autem, quæ intra ſanguinem, intra muſculorum interſtitia, & alias ſubjectas partes continentur, ſeſe vi ſua elaſtica expandunt, tumoremque elevant. Ad tumentem locum ſanguis quoque cogitur. Motu autem ad mammas excitato fit, ut ab hæmorrhoidalibus vaſis revellatur, hinc fluxus facilius cohibeatur.

IX. *Interea ſpongiæ ſucco hypociſtidis aq. plantag. ſoluto, decocto myrti &c.*) Succus hypociſtidis ex planta ejuſdem nominis recenti fructu contuſo exprimitur, & ad ſolis radios ad extracti ſolidi conſiſtentiam denſatus ad neceſſarios uſus aſſervatur. Potens adſtringens eſt, ut ſapore ejuſdem evincitur; nulla ſiquidem meliori ratione cognoſci poteſt adſtringens vis plantæ cujuſdam, quam ex ſapore auſtero, & adſtrictionis ſenſum relinquente. Summitates myrti ore exceptæ linguæ fibras adeo potenter adſtringunt, ut moveri eadem vix amplius poſſe videatur. Eodem ſapore cortex mali granati, & flores mali Punic. balauſtia dicti donantur. Hiſce propterea qua data occaſione uti poſſumus ad nimias ſanguinis evacuationes ſiſtendas apertis vaſis applicando, ut viribus ſuis integris operentur.

X. *Ad vitriolata tamquam ad ſacram anchoram confugiendum. Colcothar vitrioli.*) Quamvis hactenus recenſita medicamenta potenter adſtringant, nulla tamen ratione æquiparanda ſunt vitriolo, & ex hoc deſumptis medicamentis. Calcinatio vitrioli, quę colcothar dicitur, cęteris pręſtat vitrioli præparationibus. Celebre hac ſuper re experimentum inſtituit Cl. Lemeryus, quod philoſophorum etiam conſideratione haud indignum videtur. Sumit nimirum æqualem portionem limaturæ ferri, & ſulphuris, & cum aqua ſimplici maſſam quandam in congruo vaſe ſatis mollem conficit. Obſervat non plures elabi horas, quin efferveſcentia ſuſcitetur, quæ calorem vaſi inſignem conciliat: fumi denſiſſimi exhalant, qui non raro inflammantur: ceſſante fermentatione remanet materia quædam, quæ vitriolum martis dicitur. Hæc ſi ve-

(1) *Vid. Septhal. in animad. lib.* 7.
(2) *in com. lib.* 1. *aph.* 3.
(3) 5. *aph.* 5.

hementiſſimo igne tractetur, calcinatur, privaturque omnibus partibus phlogiſticis, & in calcem quamdam mutatur acidiſſimis, & terreis partibus prægnatam, quæ colcothar appellatur. Ratione acidarum partium, & terræ potentiſſime adſtringit, & in uſum tantum externum excipitur. Efferveſcentiæ ratio non aliunde petenda eſt, quam ab admixtione ſulphuris, quod cum vitriolis conſtet partibus, & pinguedinoſis inflammabilibus, fit, ut vitriolicæ particulæ ſecedentes ab inflammabilibus ferro, quocum majorem habent cognationem, intime uniantur, ejuſque poros ſubeant. Dum hęc fiunt, efferveſcentia excitatur tanta, ut vaſa ipſa non raro diſrumpat; avolantibus interim ſubtilioribus particulis, vitriolum ferro unitur, & vitriolum martis habetur, ex hoc colcothar dictum. Experimentum hoc effecit, ut Lemeryus plura corollaria efficeret, quibus ſe quam plurima phænomena phyſicis clare explicare poſſe exiſtimavit. Cum enim ſulphur, & ferrum in terraqueo globo ubique inveniantur, ſi forte contingat, ut ſulphur ferro occurrat, fermentatione hac ſuſcitata intelligi facile poteſt, qui terrę motus, quaſſationes, rupturæ contingant, qui meteora quædam fiant, pręcipue vero fulmina, flammarum diſperſio per aerem, aliaque id genus.

Aquæ multæ ſtipticæ Lemerii &c. huc ſpectant.) Colcothar Vitrioli baſis eſt illius aquæ ſtipticæ Lemerii dictæ. Oleum vitrioli famoſę illius Robelii. Aqua lapidis medicamentoſi Crollii vim adſtringendi a vitriolo maximam partem agnoſcit. Hęc quidem omnia in uſum vocari poſſunt, ubi colcothare vitrioli uti minus placeat. Cavendum tamen quam diligentiſſime, ne vel gutta quidem adſtringentium ejuſcemodi aquarum per os ingeratur. Si quam enim mutationem, & alterationem in ſanguine e vena recens extracto vitriolata efficiunt, ſimilem in ſanguine per venas excurrente, ſi intus ſumantur, faciunt, cum experimentis Cl. Stancarii (1) compertum ſit, concreſcere ſanguinem, colorem obſcurum induere, atque in grumos cogi, verendum eſt, ne in viſcus aliquod coactus ſanguis inflammationi, aut aliis morbis anſam prębeat.

XI. *Pro uſu interno ſolo fungo melitenſi &c.*) Miſſis igitur vitriolatis ad ea confugiendum eſſe ratio ſuadet, quæ præterquamquod nullam, aut ferme nullam in extracto ſanguine alterationem efficiunt, tutiſſima porro, atque efficaciſſima eſſe ad ſanguinem ſupprimendum obſervationes cum certæ, ac conſtantes, tum multæ, ac frequentes evincunt. Hujuſmodi ſunt fungus melitenſis, atque alia de hæmoptoe (2) recenſita.

XII. *Si vero lentus ſit ſanguinis fluxus, res autem cum ægro boni, ac laudabilis habitus, præmiſſo ſero lactis tamarindato.*) Jam ad chronicam, & lentam hæmorrhagiam ſanguinis ventum eſt, quam leviſſimis, ac mitiſſimis medicamentis pertractandam eſſe ex ſuperius allatis perſpicuum eſt. Poteſt eadem ortum traducere a ſanguine non rite fermentato, ac volatilizato citra ullum in viſceribus imi ventris, hepate præſertim, vitium, quod impedimento ſit, ne ſanguis libera, atque æquabili circulatione trajiciatur, atque congeſtionibus in ſedalibus venis occaſionem præbeat, vel vero cum eiſdem coniungi. Si primum contigerit, id quod bonus, ac laudabilis ægri habitus, obſtructiones nullæ in viſceribus imi ventris conſpicuæ manifeſtum reddent, nihil aliud præſtandum eſſe videtur, quam ut ſanguis in priſtinum ſuæ fluiditatis ſtatum reſtituatur, atque labefactatis partibus debitus tonus concilietur. Priuſquam vero ad ullum remedii genus confugias, animadvertas velim, alvum lubricam facere in hoc morbo valde proficuum eſſe. Induratæ enim fæces nonniſi conatu ſummo expelli queunt, quo fit, ut ſanguis e diſruptis vaſis copioſius effundatur. Id autem præſtare per purgantia ſtricte dicta periculoſum duxerim. Cum enim ſtimulando operentur, morbum augere poſſe manifeſtum eſt. Lenientia igitur tantum locum habere videntur, ac lubricantia, quorum tamen delectus habendus eſt. Ea enim ſolum in uſum vocanda, quæ cum alvum blande ſolvere, tum vaſis hæmorrhoidalibus apertis levem adſtrictionem conciliare valent. Inter hęc eminet Serum lactis tamarindatum, pulpa tamarindorum, quorum eximius eſt uſus in quibuſcumque ſanguinis evacuationibus, ſpeciatim vero in hæmorrhoidibus, ut prę cęteris Cl. Mercurialis teſtatus eſt.

Succi

(1) *in com. A. Bonon. p.* 159.

(2) *cap.* 2. *lib.* 2. *aph.* 11.

Succi optime depurati urtic. heder. terreſtr. plantag. &c.) Urticam ſale nitroſo , aut ſaltem ſale quodam armoniacali , quod nitrum inchoatum dici poteſt , fętam eſſe alibi oſtendimus . Ratione hujuſce ſalis virtus eidem jure optimo tribuitur blandiſſime attenuandi, & ſimul fervorem nimium, motumque compeſcendi, atque hac ratione ſanguinem ſupprimendi . Si eadem planta ore detineatur , dentibuſque trituretur, levis cujuſdam adſtrictionis ſenſum linguæ conciliat , blandę cujuſdam adſtringentis facultatis indicio manfeſtiſſimo . Idem plane dictum velim de hedera terreſtri , utcumque nonnulli affirment cum Cl. Tournefortio , prętер ſalinas partes ſulphureas eidem arcte commixtas ineſſe . Mitiſſima enim planta eſt , ac balſamica vi , eaque blandiſſima , & non admodum calefaciente pollet . Quapropter ad ſanguinis craſim corrigendam , ad debitum vaſis tonum conciliandum , atque hac ratione ſanguinem ſupprimendum plurimum valet .

XIII. *Æſtivo tempore Aquæ Brandulenſes &c.*) Nihil ad immodicum hęmorrhoidum fluxum cohibendum aquis Brandulenſibus efficacius , aut pro ægrorum opportunitate valentius . Sale enim quodam nitroſo abundare creduntur , non modo ab incongruis ſuccis , & ſuperfluis , & vitioſis ſalibus inquinati ſanguinis craſim emendandam aptiſſimo, quo fit, ut remiſſo ſanguinis motu , qui prius in ſedales venas impetum dederat, cruentæ excretionis occaſio deficiat ; verum etiam laxatis præter morem vaſculis inteſtina, conterminaſque partes percurrentibus prompte ſubveniendum . Solent in parca doſi exhiberi , ne præ copia , & pondere prædicta vaſcula nimis diſtendendo, ac relaxando morbum augeant , aut confirment .

Cum tinctura Mart. ſuc. cydon. aut acido vitrioli &c.) Sunt qui crocum Martis adſtringentem dictum adhibent in ejuſcemodi morbis . Verum cum nihil ſit aliud quam ferri limatura violentiſſimo igne pertracta , ita ut avolantibus ſulphureis , ſubtilioribuſque particulis remaneat terrea pars acidis particulis fęta , ſi quid ſentio , ab eodem abſtinendum traderem . Verendum enim eſt , ne plus æquo adſtringendo hæmorrhoidalem fluxum intempeſtive cohibeat , quod periculoſum eſt , ut ex ſupra allatis apparet . Satius porro duxerim uti tincturis aliquo ſucco acido elicitis , quæ cum blande adſtringendi , ſeu corroborandi virtute donentur , dici vix poteſt , quam tuto , feliciterque morbum depellere habeant .

XIV. *Autumno tandem lac primum aſininum , tum vaccinum , aqua plantag. &c.*) Lac aſininum , utpote tenuius , & ad diluendum , ſaleſque acres , atque erodentes diſpartiendos , ineptoſque actioni ſuæ conſtituendos aptius , quo fit , ut cruentæ excretionis occaſio deficiat , ſolet primum adhiberi in hæmorrhagiis , mox vaccinum , utpote craſſius , & ad debitam ſanguini conſiſtentiam conciliandam , ad vaſa diſrupta , aut alio quovis modo aperta conglutinanda opportunum . Quod eo magis evenire cenſendum eſt, ſi aqua plantaginis coctum exhibeatur , quæ planta vulnerariam habet virtutem , cujus propterea eximius uſus eſt , ubi immodicę ſanguinis evacuationes ſiſtendę ſunt, vel ſi contuſa affectis, apertiſque vaſis applicetur. Quid quod illud etiam commodi ſequitur ex lactis uſu aqua plantaginis cocti, ut difficilius in ſtomacho aceſcat , & corrumpatur , ideoque exhiberi poſſit ad menſes citra ullius noxę periculum ?

Cum corallorum præparat. &c.) Sed nihil efficacius ad lactis corruptionem in ſtomacho pręcavendam terreſtribus corporibus, quęque abſorbentium titulo paſſim inſigniuntur. Ejuſmodi ſunt oculi cancrorum , teſtę calcinatę , margaritę omnes , matres perlarum , coralla . Coralla ut cęteris omnibus anteponam , facit potiſſimum ea ratio , quod pręter terram copioſam oleo bituminoſo , & balſamico cum eadem arcte conjuncto fęta ſunt , ut teſtatus eſt Cl. Geoffroy (1) . Hinc corpus ingreſſa qua occaſio fert non modo reſtituere tonum viſcerum valent , ſed & acres ſuccos , unde crebro ſanguinis craſim vitiari contingit , ebibere , ac fluxum ſanguinis cohibere .

Plures autem corallorum pręparationes recenſentur ab Auctoribus : magiſterium , ſyrupus , ſal , tinctura . Quibus tamen prępara-tionibus corallum adeo mutatur , ut novam omnino , ac diverſam a naturali indolem acquirat . Quam non mutationem ſubierit corallum , ſi acidis liquoribus ſolvatur , &

(1) *tom.* 1. *mat. medic. &c.*

& alchalinis prȩcipitetur, quȩ prȩparatio magiſterium corallorum appellatur? Si de ſale corallorum ſermo ſit, nihil eſt aliud, quam cryſtalli oriundæ ex acido ſale cum corallo per diſſolutionem, & evaporationem conjuncto: tantum abeſt, ut vere ſit ſal ex corallis extractus. Quænam corallorum tinctura, ſi & tartarus, & vitriolum album, aliaque ejuſmodi ad eamdem extrahendam exhibeantur? Imo ſpiritus vini commune menſtruum in uſum vocatur. Qui experimenta hæc ſumunt, colore corallorum eleganter purpureſcente delectantur, eumque a corallo repetendum eſſe exiſtimant. Verum quid quod non tam a corallo colorem, & vim obtinet, quam a menſtruo, aut aliis rebus, quæ corallo conſociantur? Sed video jam quam varius futurus ſit ſermo illorum, qui tincturam anodynȩ corallorum Helvetii titulo inſignitam adhibent, quæ fit additione ſal. volatil. tartar. flor. benz. camphor. croc. præſertim vero Opii ea ratione, qua baſis ejuſdem dici poſſit, unde ad fluidorum, ſolidorumque motum nimium compeſcendum, ac ſanguinis immodicas evacuationes cohibendas valere plurimum reputatur. Licet haud inficias ire auſim, præſtari id poſſe a tanto medicamento, præſtari tamen propter opium facile judicaverim. Quod ſi ita res habeat, auctor eſſem, ut vel vini ſpiritu tinctura ex opio eliceretur, vel per ſimpliciſſimam aquam (quo pariter menſtruo extrahi patitur) ſicque labor omnis in tincturis corallorum obtinendis chymicis ſubtraheretur. Quid non præſtitit Laudano illo ſuo liquido in hiſce morbis Sydenhamus? Quid non præſtat opium crudum, torrefactum, aut alio quovis modo præparatum?

Ne autem medicamentis ex opio deſumptis ad ſanguinem ſupprimendum utamur, facit experimentum Cl. Stancarii (1), quo compertum eſt, magnam cum ex vitriolo, tum ex opiatis ſanguini e vena extracto affuſis mutationem ſequi, quam ſi afferant ubi per os aſſumantur, periculum eſt, ne graviſſima detrimenta in ægrum emanatura ſint. Sola porro coralla tenuiſſime trita, & ſuper porphyriten in alcohol redacta, quæ coralla præparata dicuntur, tutiſſima ſunt, æque atque efficaciſſima, ut Cl. Geoffroy (2) luculenter oſtendit.

XV. *Juſcula extremitatum pedum vituli, gelatinæ ejuſdem, gum. arab. &c.*) Quid non fecere ſola victus ratione Hippocrates, Celſus, Mercurialis, aliique in curatione morborum? Ecquis eſt qui non videat, gelatinoſa debitam ſanguini conſiſtentiam tribuere, tenues humores incraſſare, atque edulcorare, vaſa aperta conglutinare, atque hac ratione immodicos hæmorrhoidum fluxus certo, feliciterque debellare? Gum. Arabicum, Tragacant. & ſimilia præterquamquod ſtomacho, qui plerunque in hiſce morbis labefactatur, amica ſunt, eumdem majorem in modum corroborando, ac confirmando, præterea partibus ſuis mucaginoſis acres nimis, mordaceſque humores demulcere valent, tenujores inſpiſſare, vehementiorem motum compeſcere, vaſa diſrupta, atque exeſa eadem ipſa mucagine obducere, & humorum acrimonia rodente præſervare.

XVI. *Si obſtructionibus imi ventris laboret æger &c. rhabarbaro &c.*) Tres indicationes potiſſimum occurrunt Medentibus hoc caſu, ſanguinem ſupprimendi, obſtructiones in imo ventre reſerandi, ſerum ſuperfluum in lymphaticis vaſis ſubſiſtens, vel ex iiſdem in cavitates effuſum extra corporis confinia educendi. Quȩ ſanguinem ſupprimunt contraria iis ſunt, quȩ obſtructiones reſerant, ac ſerum educunt. Quid ergo agendum in hac rerum anguſtia? Nempe ſedulo perpendendum, quȩ cauſȩ morbi fuerint, qui effectus. Ab immodico e. g. hȩmorrhoidum fluxu hydrops ortum traduxit, immodicus hȩmorrhoidum fluxus ab obſtruſtionibus viſcerum imi ventris. Si obſtructiones tollantur, quȩ impedimento ſunt, quominus ſauguis libera circulatione per vaſa meſaraica, ac venam portȩ trajici poſſit, unde ad ſedales venas ferri neceſſum eſt, eaſdem diſtendere plus ȩquo, diſrumpere, aut alio quovis modo aperire, nonne ſperandum eſt, immodicum hȩmorrhoidum fluxum atque abhinc prodeuntem hydropem profligatum iri? Ad obſtructiones porro reſerandas cathartica, & emetica medicamenta paſſim commendantur. Hippocratis obſervatio eſt, cathartica turbationem, & dolorem circa hypochondria excita-

(1) *loc. cit.* (2) *loc. cit.*

tare . Quare eorum loco (1) vomitum ſingulis ſeptimanis conſulit , ut humores in primis viis hęrentes per ſuperiora expurgentur . Ex hoc corpus peroptime habere ſubdit . Verum quidquid aliis hac ſuper re videatur , ſolo rhabarbaro , ſi quid ſentio , utendum traderem . Cum enim agatur de morbo , in quo non ſolum primę vię , hiſque adjacentes partes , & viſcera a viſcidis , lentis , mucoſiſque quiſquiliis expurgandę ſunt , ſed etiam urinę promovendę , & ſolidę partes roborandę , & leniter adſtringendę , nihil eodem efficacius , aut pro ęgrorum opportunitate valentius. Nam pręter purgantem , diureticam quoque , & leniter adſtringentem virtutem eidem ineſſe accuratiorum practicorum obſervationibus compertum eſt , utcumque affirmet egregius chymicus , & Academicus Pariſienſis Boulducius , ne in rhabarbaro quidem toſto , atque in materia tincturę per communem aquam extractione remanente certum ullum virtutis hujuſce adſtringentis indicium per ſæpe repetita experimenta habere potuiſſe .

XVII. *Horum dierum intervallo tartarus vitriolatus &c.*) Tartarus vitriolatus ſal quidam ſalſus eſt ex ſale tartari , & ſpiritus vitrioli portione emergens , qui leniter incidendo , & aperiendo operatur : propterea eximius illius uſus eſt , ubi humores craſſi , viſcidique ſic alterandi ſunt , ut per vaſa libere moveri queant , ac circulo reſtitui , & ſuperfluum ſerum per urinę vias educendum . At , inquies , aperientia medicamenta quantumvis mitiſſima immodicas quaſcumque evacuationes augere valent : ergo ab aperientibus abſtinendum eſt . Recte quidem , niſi emolumenta , quę ex uſu aperientium medicamentorum percipiuntur , majora ſint damnis , quæ ab iiſdem afferri queunt . Si majora ſint , quid ſit tandem , cur abſtineas omnino non video. Dum mucoſas ſordes abſtergis , obſtructiones reſeras , nonne morbi cauſam removes? Remota morbi cauſa , morbus tandem corruat neceſſe eſt .

XVIII. *Succi plantaginis , urticæ &c.*) Plantago , hedera terreſtris , & ſimiles plantæ præter vulnerariam , ac balſamicam , eamque mitem , ac blandiſſimam , virtutem diureticam etiam ſortitæ ſunt : hinc in immodico hæmorrhoidum ſtuxu , cui pedum ædematoſi tumores ſupervenere , nobiliſſima ſi quę alia medicamina exiſtunt . Non ſolum enim ſanguinem ſupprimere valent , ſed blandiſſime attenuando , ſeroſaſque partes per urinę vias educendo obſtructionibus , ſi quę ſunt in imo ventre , atque hydropi opitulari . Diureticam prę cęteris plantis plantaginis facultatem novere Cl. Majierne , & Williſius , propterea ejuſdem ſuccum concretum , & inſpiſſatum in hydrope ſummis laudibus extulerunt . Quid opus eſt pluribus ? Cum ſale quodam ad nitrum accedente experimentis Cl. Boerhaavii (2) fętam eſſe compertum ſit , ſatis habes , quo ſtatuere poſſis , prædictis muneribus obeundis oppotuniſſimam exiſtere .

XIX. *Quid mali verendum ex uſu aquarum acidularum &c.*) Fortaſſe vix alio ordine fluxum hęmorrhoidum nimium ab obſtructionibus imi ventris pendentem cohiberi melius deprehendes . Acidulę enim dum ſanguineam maſſam lentis , viſcidiſque humoribus inquinatam , atque impeditam attenuant , atque expediunt vaſa ad hepar , & meſenterium pertingentia , vaſorum prętetea eorumdem , atque ſanguinis texturam eo redigunt , ut illa ad numerum pateant , hic vero per deſtinatos a natura meatus , ac ductus ubique , & ęquabiliter fluat , ex quo tandem fit , ut remiſſo ſanguinis motu , qui prius in ſedales venas impetum dederat , cruentę excretionis occaſio deficiat . Adde , ipſas venas laxatas jam vi mineralium partium corroborare , & fibris qua fieri poteſt tonum reſtituere ; hinc ſanguinem in iiſdem hærentem validius , & fortius ſe ſe contrahentibus dimoveri contingit , circulo reſtitui , atque hac ratione morbi recidivam præcaveri .

XX. *Reſeratis obſtructionibus ad lac &c.*) Lac ubi cachecticus ſit ęger , obſtructionibus laboret , ac ſanguis nimis aquoſus peccet , ſolutaque ſit ejuſdem compages , ferri minus ſolet . A ſtomacho enim vel congrue , ac rite ſolvi nequit , ac digeri , vel libere in ſanguinis maſſam invehi , unde diuturna in ventriculo , atque inteſtinis mora facile aceſcit , ac corrumpitur , vel ubi in maſſam ſanguinis pervenerit , ſolidas

(1) 4. *de vict. rat.* (2) *Chym. t. 2. p. 22.*

das partes magis magisque relaxat, sanguinem humoresque inertes ad motum reddit, quo fit, ut morbus augeatur, aut confirmetur. Quare salubre practicorum consilium, obstructiones prius removere, ut optato fine potiri valeamus. Conf. com. in aphor. 16. cap. 8.

CAPUT VIII.

De affectione Hypochondriaca.

I. *Affectionis Hypochondriacæ duo sunt gradus: alter convulsionem in extremitates nervorum, qui viscera in Hypochondriis sita perreptant, alter vero circa principia eorumdem inductam pro causa agnoscit.*

II. *Illi ansam præbet chyli aciditas, viscidoacres irritantes sordes in primis viis, inque proximis visceribus hærentes propter salivæ, succi pancreatici, bilioſi, & qui a ventriculi, & intestinorum glandulis extillant, solidarumque partium ad chyli elaborationem concurentium vitia; huic vero sanguinis, ac spirituum vitiata diathesis, ac valde sensilis nervosi generis constitutio propter vitia primarum concoctionum sanguini communicata.*

III. *Vitiatam sanguinis, ac spirituum diathesim succorum, & partium ad chyli elaborationem concurrentium vitium perpetuo sequitur, hinc morbus intenditur.*

IV. *Causæ antecedentes, & externæ sunt prava victus ratio, ciborum scilicet crudorum, fumo induratorum, leguminum, lacticiniorum abusus, vel etiam bonorum, ac laudabilium, præsertim si dentibus non triturentur, diuturnæ quævis animi, mentisque curæ, studia intensa, hæmorrhoidum suppressio, aliaque hujusmodi.*

V. *Prodit se primum malum hypochondriacum ciborum fastidio, inappetentia, aucta quandoque fame, rerum insuetarum, & incongruarum appetitu, ructibus copiosis acidis, austeris, amaricantibus, flatibus, borborygmis, stomachi, & intestinorum inflationibus, tensionibus, doloribus, cardialgiis, colicis, tumoribus sub costis spuriis, in sinistri hypochondrii regione conspicuis, vomendi conatibus, quos vomitus ipse viscidarum sordium non raro excipit, gravioribus jejuno stomacho, & a pastu, alvi duritie, interdum alvi fluxu, copiosa salivæ excretione.*

VI. *Accedunt mox capitis dolores, tremores, anxia deliria, animi angores, cogitandi, reminiscendique impotentia, somni perturbati, tetra insomnia, vertigines, membrorum tremores, ac subsultus, cordis palpitationes, deliquia, dolor regionem renum quandoque occupans, ac calculum mentiens, urinæ tenuis limpidæ copiosa excretio, improvisa ejusdem suppressio, tussis sicca, pectoris angustia, spirandi difficultas, quam globi ad fauces ascendentis, & strangulationis sensus quandoque excipit, quibusdam suffumigiis mitescens, animi vero commotionibus gravioribus recrudescens.*

VII. *An spirituum ataxia a debiliori eorumdem crasi hypochondriacæ affectionis unica, & constans causa?*

VIII. *Si res mihi sit cum ægro laxioris habitus, temperamenti, ut ajunt, frigidi, innappetentia insigni laborante sine febre, atque hypochondriorum æstu, contentus sum salibus lixiviosis absynthii, centaur. minor. agrimon., vel tartar. solub. terra fol. tartar. tart. vitriol. a ℈ ii. ad ʒ i. ex jusculo junioris pulli propinandis ad multos dies.*

IX. *Si præpollentis acidi indicia se prodant (sunt autem aucta fames, ventriculi morsus, rerum insuetarum, & incongruarum appetitus, ructus acidum spirantes) pulvere Wedelii absorbente, dempto eidem vitriolo, ad ʒ .s. uti expedit.*

X. *Alterutrum horum adhibeam, levem infusionem rhabarbari quolibet tertio, vel quarto die exhibeo in hunc fere modum paratam. ℞. Rhabarb. elect. in taleol. incis. ʒ ii. tartar. vitriolat. vel solubil. ʒ i. M. infund. per xxiv. horas super cineres calid. in aq. font. unc. vi. Coletur postea, & leniter exprimatur liquor. Colaturæ addatur syrup. flor. persicor. unc. i. pro una, & sic pro aliis.*

XI. *Primo vere suc. optim. depur. Fumar. Sonch. Agrim. Tarax. Melis. ad unc. iiii. ex jusculo tenerioris pulli uti præstat, vel extra veris tempus suc. condensat. ad ʒ ii., superbibendo levem decoctionem earumdem plantarum; vel sero Caprino depurato, ac macerato cum herbis supradictis ab unc. x. ad lib. i. diu repetito.*

XII.

XII. Hiſce Martialia ſuccedant. Si acidum mucoſis quiſquiliis prævaleat limatura martis .ſ. ſuper lapide porphyr. lævig. a gr. x. ad xv. ex ſuc. concret. abſynt. aut ejuſdem conſerva, ſuperbibendo ſerum depuratum, vel deſtillatum cum iiſdem plantis.

XIII. Si mucus iners prædominetur, ſyrup. Kalybeatus Williſii ab unc. .ſ. ad unc. i. .ſ. vel tinctur. mart. acido extract. aut tartarizata a ℥ i. ad ℥ ii. cum ſero lactis depurato, vel deſtill. ut ſupra, per xxv. circiter dies.

XIV. Uti ſalium digeſtivorum, ſic ſuccorum, & martialium uſui rhabarbari uſus intermiſcendus. Validior purgatio mala.

XV. Prævalente muco inerti, & alvi ſtipticitate urgente, ut ſummum pillul. tartar. Bont. a ℥ .ſ. ad ℥ i. viſæ ſunt convenire, dummodo ad hæmorrhoidum fluxum proclives non ſint ægri.

XVI. Opportuno tempore ad aquas acidulas deveniendum, tandem ad lac aſininum.

XVII. Cibi ſimplices ſint, ab acidis, a vino æger abſtineat, præſertim dum lacte utitur. Tincturam abſynt. calamint. menth. elix. propriet. Paracel. vitriol. Minſicht. aliaque in vomitu ad ſtomachum corroborandum adhibeat, vel ex decocto Caffè mane in deliciis habito, eaque frequenter anni decurſu.

XVIII. Si æger ſiccioris, & calidioris ſit habitus cum hypochondriorum æſtu, tenſione, pulſus duritie, febre ſolo ol. amygd. dulc. vel pulp. Caſſ. ejuſque conſerv., vel ut ſummum ſero lactis caprino depurat. ad Lib. i. cum magneſ. aut tartar. ſolub. ℥ ii., nec non Clyſteribus ex decoct. hord. ex lact. & butyro, aut decoctione emol. & ol. Amygd. dulc. lilior., & ſimilibus contentus ſum.

XIX. Primo vere ſuc. optime depurati Portulac. Cichor. Endiv. Fum. Acetoſ. Acetoſel. Borrag., vel ſerum lactis cum iiſdem ſuc. deſtillat. vel leves decoction. plantarum addi. ad grat. ſapor. ſyrup. acetoſ. ſimplic. vel Oxymel. ab unc. .ſ. ad unc. i. viſa ſunt convenire.

XX. Æſtuoſa tempeſtate ad balnea aquæ dulc. ad aquas Willenſes, Nocerian. vel Acidul. longe a fontibus, vel aq. dulci temperatas deveniendum.

XXI. Tandem ad lac aſininum ab unc. vi. ad x. una cum ſequenti pulv. ℞. Ocul. cancror. præp. matr. perlar. ebor. margarit. præp. ſpecier. diamargar. frig. a p. æ. f. pul. a ℥ .ſ. ad ℥ i. exhibend. nec non omni finita medicatione ad ſequens electuarium loco tincturæ abſynthii aliorumque calidorum, quæ in prima hypochondriacæ ſpecie locum habent. Sit autem. ℞. Confect. alcherm. unc. i. pulv. e chel. cancror. raſ. cor. cer. Ebor. margarit. præp. ſpecier. lætificant. Galen. a ℥. ii. M. cum ſyrup. de cortic. citr. q. .ſ. f. electuar. ad ℥ ii. propinandum, ſuperbibendo aquam ſuc. bugloſ. borrag. meliſ. flor. tunic. q. .ſ.

XXII. In quacumque mali hypochondriaci ſpecie motus corporis moderatus, equitatio præſertim, peregrinationes, venationes inſtituantur. A quibuſcumque mentis laboribus a paſtu præſertim abſtineat æger, hilaris vivat, & ſi fieri poteſt ſola victus ratione gubernetur.

CAPUT VIII.

De affectione Hypochondriaca.

I. *Affectionis Hypochondriacæ duo ſunt gradus: alter convulſionem in extremitates nervorum &c.*) Mali hypochondriaci, aut huic perſimilis meminiſſe videtur Hippocrates ſub nomine morbi ſiccatorii, & ructuoſi (1). Idem poſtea a Diocle Caryſtio apud Galenum (2) paulo accuratius deſcriptus invenitur. Viſcera autem, quæ in hypochondriis ſita ſunt, nomen eidem dederunt, quod ab hiſce potiſſimum læſis, ac labefactatis oriri reputaretur. In proximis vero læſionis cauſis aſſignandis orta litigia. Mitto Veterum quorumdam opinionem, qui eamdem a jecoris intemperie calida, ventriculi vero frigida commenti ſunt, atque illorum, qui Lienem tartareos, atros, melancholicos, atque atrabilarios ſuccos generantem accuſabant, ceu quę Recentiorum Medicorum ſtudio jamdudum exploſæ, atque e ſcholis ejectę fuerunt. Recentiores nonnulli Graafium, & Sylvium ſequuti, progreſſi longius acidum pancreatis nimis auſterum vitioſe in inteſtinis cum bile effervescentem cauſam voluerunt. Fieri enim id minus poſſe, quin flatus, & vapores eleventur, qui cum ſint valde acres, abdominis, & hypochondriorum dolores excitent. A vitio primarum viarum decurſu temporis ſanguini communicato ipſius ſan-

(1) 2. *de morb.* (2) 3. *de loc. affect.* 7.

guinis craſim vitiari, hinc alia, atque alia deinceps ſymptomata graviſſima exoriri. Cui quidem opinioni quantum adſtipulandum ſit, liquet ex ſupra allatis de inteſtinorum dolore (1), ubi ſuccum pancreaticum cum bile effervescere nullo modo poſſe oſtendimus. Longe maxime diſſentire ab omnibus viſus eſt Williſius affectum huncce ad motus convulſivos revocans, atque aſſeverans ejus cauſam eſſe inordinatum, ac confuſum ſpirituum animalium motum circa nervorum principia exiſtentem, propter admixtionem particularum heterogenearum, quæ particulę heterogeneę ſpiritus una ſecum in canales nerveos deducunt, & in viſcera imi ventris, atque in univerſum corpus cęco impetu irruentes ſymptomata, quę affectionem hypochondriacam conſtituunt, procreare valent. Firmis adeo, validiſque rationum momentis ſententiam hanc confirmavit, illuſtravitque, ut pleroſque medicorum ad eamdem cęteris omnibus anteponendam excitaverit (2). Et ſane quin proxima, & immediata cauſa affectionis hypochondriacę a convulſione repetenda ſit, nemini dubitandum eſt. Convulſionem tamen excitari perpetuo propter vitia ſanguinis, ac ſpirituum tantum abeſt, ut credam, ut in contrariam ſententiam facile inclinem. Cum enim ſaltem inter morbi initia ſymptomata ſe prodant, quę viſcerum tantum in hypochondriis contentorum, pręſertim illorum, quę ad chyloſim ſunt comparata, offenſas manifeſtant, ad credendum vehementer adducor, affectionem hypochondriacam quandoque a convulſione in extremitates nervorum viſcera in hypochondriis ſita perreptantium inducta pendere, eamque primum affectionis hypochondriacę gradum conſtituere; decurſu vero a convulſione circa principia nervorum excitata, quæ alterum quaſi gradum conſtituit. Hac de re plura infra dicemus.

II. *Illi anſam præbet chyli aciditas &c. propter ſalivæ, ſucci pancreatici &c.*) Quo modo in extremitates nervorum viſcera in hypochondriis ſita perreptantium convulſio excitetur, facilius innoteſcet, ſi modum, quo naturalis chylificatio peragitur, prius expoſuero. Duo autem conſpirare videntur, ſalivæ, ſucci eidem analogi a glandulis ventriculi extillantis, bilioſi, pancreatici, aliorumque in inteſtina confluentium debita copia, vis, energia, nec non ventriculi, & adjacentium partium maxime reſpirationi inſervientium motus, elaſticitas, robur. Ut appareat totum concoctionis ciborum negotium hiſce duobus potiſſimum peragi, ſilentio prætereundum non eſt, ſingulari providentia factum fuiſſe, ut alimenta (ſupponimus jam apta eſſe ad mutationem illam ſubeundam, quæ chyloſis dicitur) quæ nutritioni Animantium inſervire debent, artis primo adminiculo varie præpararentur, hinc diverſa attritione, coctura, mixtura cum aliis fluidis aptiora redderentur ad eamdem mutationem, quę in humano corpore fieri debet, ſubeundam. Cibi vero ſic mutati alias in ore mutationes ſubeunt, maſticatione primum, qua conſcinduntur, deinde morſu atteruntur, & adjuvante præcipue motu linguę muſculi in omnia volubilis, atque ad omne punctum oris applicabilis ſic triturati cibi ſalivę, liquidis aliis, humoribuſque illuc confluentibus permiſcentur, a quibus majorem attritionem, & ſolutionem nacti verſus fauces protruduntur, occluſaque laryngis rimula, & pharynge dilatata deorſum pelluntur in œſophagum juvante motu periſtaltico fibrarum miro quodam modo œſophagi tunicas inveſtientium. A glandulis ventriculi, ſive, ut aliis placet, ab arteriolis, a nervis ſecernitur humor quidam, quem non acidum, ſed leniter ſalſum cum Boerhaavio plerique faciunt. Huic humori denuo affuſi cibi, aquea ejuſdem parte lęvigantur, in fluorem ſolvuntur, ſalina vero penetrantur, ſcinduntur, uſque dum reliquiis ciborum, & calore loci conſpirantibus nova ſemper ſaliva ex ore, œſophago, atque ex ventriculi tunica affluente perpetuo agitentur, macerentur, attenuentur, diluantur. Jam membranam ventriculi carnoſam, ſeu muſculoſam fibrarum vario ordine, & quaſi inextricabili donari, ut quędam quaſi circulares a parte ſuperiori ad inferiora deſcendant, alię in ſuperiori ventriculi parte inter utrumque orificium, alię a ſiniſtro latere ad dexterum oblique excurrant, quędam orificia ambiant, perſpicuum eſt. Huic vim, & robur ineſſe ſummum ad alimenta intus contenta valide premenda, terenda magis, magiſque attenuanda nemo unus dubi-

(1) *com. in aph.* 5. (2) *cap.* 11. *de morb. convulſ.*

dubitaverit, qui certis obſervationibus edoctus compertum habuerit, quędam animalia maſticatione carentia ventriculos habere, qui muſculis firmis adeo, denſiſque donantur, ut aliquibus in locis plures uncias craſſitudine ſua exęquent, ut propterea eoſdem in Gallo Indico Cl. Borellus (1) cum potentia librarum 1350. comparaverit. Huc accedit compreſſio aſſidua, & alterni diaphragmatis muſculi firmi, ac robuſti, nec non muſculorum omnium abdominalium ictus. Huc vibrationes violentę Aortę ſuppoſitę, huc preſſiones innumerę tot arteriarum ventriculi, omenti, pancreatis, lienis, & aliorum viſcerum. Hiſce enimvero Archibaldus Pitcarnius, & Dominicus Hecquetus ejuſdem diſcipulus tantam ſolvendi cibos ineſſe efficaciam exiſtimarunt, ut fluida humoreſque in ventriculum confluentes vix in laboris partem vocaverint, qua in re tamen multis minus placuere. Quid de aere dicam? Aerem in ventriculo rarefactum ſolvendis alimentis quammaxime tribuere liquet ex conſideratione machinę D. Boylei pro digeſtione a Papino deſcriptę, qua ſola vi aeris rarefacti parvi liquidi interventu oſſa ipſa duriſſima paſtę ad inſtar molleſcunt. Quibus omnibus materia ſemper evadit mollior, lęvigatur, in fluorem ſolvitur, cinericium colorem inducit, & per pylorum in inteſtina protruditur, donec tenaciora a priore opera reſidua continuatis diu, agentibuſque iiſdem cauſis, tenuiorem ſemper ſui partem dimittant, & duriſſima tandem exſucca omnino reddita forma adhuc fere priſtina cohęrente fere integra expellantur. Accurrens bilis, & ſuccus pancreaticus in duodenum chyloſę maſſę admiſcentur, & aquea oleoſis immiſcendo, penetrando, ſcindendo, ulterius diluendo, fluidiorem, mobiliorem, lęvem reddendo partium fęculentarum ſeparationem promovent, ut purus chylus per lactea in maſſam ſanguinis propellatur. Quę fere Boerhaavii, Cyrilli, aliorumque ſententia fuit, quam ſaniores Medici, Chymicorum opinione relicta, utcumque Vieuſſenius, Aſtrucius, Andryus, Mangetus, Valliſnerius, aliique ſtrenue illam defendant, ſunt amplexati. Et ſane qui ſibi libentiſſime blandiri velit, vix in eamdem ire poterit, ſi illud vel leviter tantum mente volutaverit, ſuceum illum acidum, quem ſecerni putant in corporibus animalium analogum liquoribus acidis, a quibus corpora duriſſima facillime diſſolvuntur, qui ſuccus aculeis ciborum meatus, ac poros penetrando, ſcindendoque ciborum coctionem perficiat, multis quidem corporibus diſſolvendis parem eſſe, non omnibus, & ſingulis. Videmus enim acida ſanguinem, lac, alioſque cibos coagulare. Deinceps ſi ſuccus ille acidus alimenta intus contenta penetrando, ſcindendo diſſolvit, quid eſt cur ventriculi fibrę exquiſito ſenſu prędităę nullam offenſam patiantur, & in omni chyloſi ſtomachi ſubverſiones, doloreſque non ſubſequantur? Rationem experientia confirmat. Ventriculi enim Animalium ab aliis Animalibus ingeſti egregie concoquuntur, & digeruntur. Quænam autem ratio, propter quam liquores illi acidi in membranoſas partes extrinſecus advenientes agere debeant nullam ventriculi fibris noxam inferentes? Argumentum, quod neſcio an cæteris omnibus anteponam paucis habeto. Volunt Chymici in ventriculo adeſſe ſuccum acidum volatilem, alchalicum vero ab alimentis aſſumptis intus ferri; cum vero acida volatilia cum volatilibus alchalicis permixta fermentationem ineant, ut ex chymicis obſervationibus conſtat, colligunt, acidum ventriculi in alchalicum agere. Verum ſi quid ſentio, difficultatem offendunt, quam declinare ſi velint, non facile poſſint.

Videmus enim alimenta, in quibus acidum abundat, egregie concoqui, optime diſſolvi. Ab acido ne diſſolvuntur? Nemo illorum id facile conceſſerit. Acidum enim, ſi eoſdem audimus, in alchalicum, non in acidum agit. Quæ ſane omnia effecerunt, ut chymicorum de ciborum coctione doctrina tamquam commentitia a pleriſque damnata ſit, atque omnino rejecta. Archibaldi Pitcarnii, & Dominici Hecqueti de ciborum tritu ſententiam mancam eſſe ex ſupra allatis etiam me tacente facile omnes intelligunt. Cum igitur & ſalivæ, & ſucci pancreatici, & bilioſi, & qui a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillat debita copia, vis, energia, ſolidarumque partium debitus tonus ad chyli elaborationem, perfectionemque neceſſario concurrant, fit ut quotieſcum-

(1) *de mot. Anim.* 2. *propoſ.* 191.

cumque illorum defectus adsit, vel inertia, istarum vero atonia peccet, alimenta quantum opus est non terantur, eorum sulphur ramosum soluto sale non dissolvatur, & chylus acidus, & crudus conficiatur, qui nervearum fibrillarum, quibus totus ventriculi, & intestinorum canalis contextus est, convulsioni, spasmo, atque malo hypochondriaco ansam præbet. Præcipuam causam, & efficientem acidi esse salem, qui terrestribus, sulphureisque partibus magna ex parte secretus valde acutus est, & sal primigenius a chymicis vocatur, experientia demonstratum est. Liquor enim acidus ex vegetabilibus non fermentatis per destillationem educitur non ob aliam causam, nisi quod sal eorum primigenius magna ex parte a terrestribus partibus, & a sulphure per destillationem secernitur; terrestres enim partes cum graviſſimæ sint, nunquam attolluntur in alembico, sulphur vero cum ramosum, & valde implexum sit corpus, difficile a mixtorum vinculo expeditur. Quo patet, alimenta male trita soluto sale, non sulphure, chylum acidum prębere.

Huic vero sanguinis, ac spirituum vitiata diathesis &c. propter vitia primarum concoctionum &c.) Jam vero ubi chylus male elaboratus, crudus, viscidusque, atque abhinc prodeuntes viscido-acres irritantes sordes per venas lacteas in sanguinem propellantur, eumdem pariter vitiari debere manifestius quidem est, quam ut ullis rationibus possit comprobari. Nimirum acidum non generant quidem vasa (quo loco quæstio occurrit inter chymicos, & mechanicos longe graviſſima) sed a stomacho generatum, aut ab acido factas concretiones conservant, præsertim si & ipsa atonia laborent, quo fit ut sanguis segniter moveatur, concretioneſque ab acido factæ difficulter solvantur; hinc dissolutio illius nexus, ac vinculi, quo pro optima valetudine constituenda alligari mutuo, & firmiter conjungi debent varia illa genera partium, quibus cum fluida nostri corporis, tum solida componuntur.; hinc oleosarum, ac balsamicarum depressio, acidarum exaltatio, solidarum vero ea constitutio, qua liquidorum per easdem excurrentium impressiones vel leviſſimas quasque recipere valeant; hinc totius nervosi generis convulsivæ contractiones, hinc malum hypochondriacum ex totius corporis intemperie. Quo magis patet, unam esse affectionis hypochondriacæ causam, locum tamen primario affectum differentiam facere. Quod & de plerisque aliis morbis dicendum, ut Hippocrates (1) testatus est, inquiens: *Morborum omnium unus, & idem modus est; locus vero ipse eorum differentiam facit; quare videntur quidem morbi inter se nihil simile habere, propter diversitatem scilicet locorum, cum sit tamen una morborum omnium & species, & causa quoque eadem.*

III. *Vitiatam sanguinis, ac spirituum diathesim, succorum, & partium &c.*) Quoniam sanguis proxima est liquorum omnium materia, spiritus vero per nervos ad organa eorumdem secretionibus dicata transmittuntur, cum a naturali crasi, & temperie recesserint, succos pariter ad chyli elaborationem concurrentes, salivam scilicet, succum pancreaticum, biliosum, & qui a glandulis extillat, a naturali constitutione aberrare debere, pravos, vitiososque separari, solidas vero partes prædicto muneri obeundo dicatas debito, æquabili, & ordinato spirituum influxu destitutas atonia corripi, inæqualiter tendi, aut alia ratione affici, qua optima alimentorum solutio, maceratio, perfecta chyli elaboratio pervertatur, unde chyli ipsius, & sanguinis, & spirituum vitia augeri, & morbus intendi debet, adeo manifesta res est, ut manifestior fit nulla.

IV. *Causæ antecedentes, & externæ sunt prava victus ratio, ciborum scilicet crudorum &c.*) Quæcumque vel solidarum partium tonum, vel succorum ad chyli elaborationem concurrentium crasim vitiare valent, atque hinc insigne chylificationis opus evertere, ea affectioni hypochondriacæ producendæ opportuniſſima exiſtunt. Huc spectat ciborum crudorum, acidorum, fumo induratorum, & similium abusus, qui solutioni majorem in modum resistentes, membranarum ventriculi tonum labefactare valent, succorum vero vim infringere, atque ineptos suis muneribus humores constituere, unde chylosim facile depravari contingit, viscido-acres irritantes sordes generari, quæ extremitates nervorum viscerum in hypochondriis contentorum irritando

(1) *lib. de flatib.*

tando innumeras fere læsiones pariunt. Quo loco minus mirari subit, Blanchardum (1) affectionem hypochondriacam morbum Frisiis familiarem pronuntiasse, quod pisis, lacticiniis, & acetariis abutuntur. Quidni liceat conjectare, longe graviorem, frequentioremque esse morbum, quam antea unquam fuerit, ut liquet ex Veterum Scriptorum monumentis, præsertim Dioclis Caryssii (2), ac vix ullos hodie reperiri homines, qui eodem se immunes esse gloriari possint ob id potissimum, quod voluptatem in vitium gulę vertunt? Quem pessimum morem altiori voce damnavit, & e medio quantum illi fas fuit tollere conatus est Cl. Tozzi in praxi, quo loco, *Idque fortasse*, inquit, *ab intemperantia in victus ratione a tot, tantisque gulæ libidinibus, itemque ex acidis, gelidissimisque potionibus iteratis, atque præposterе, importuneque sumptis jejuno stomacho, a pastu, æstate, hyeme, etiamsi nulla sitis urgeat, aliaque necessitas cogat citra quascumque corporis exercitationes.*

Vel etiam bonorum, ac laudabilium, præsertim si dentibus non triturentur &c.) Cibi quicunque sint, si nimia quantitate ingerantur, stomachum nimis gravant, atque molestiæ eidem sunt, unde nauseæ, irriti vomendi conatus, aliaque ejusmodi subsequuntur. Quod quidem duplici ratione contingit, vel quod corrumpuntur, & stimuli vim acquirunt, vel quod inconcocta remanent, & moleste pariter ventriculum afficiunt. Utrumque, aut alterutrum contingat, manifestum est, cum solidas partes, tum fluidas ad chyli elaborationem concurrentes facile vitiari, chylificationis opus everti, sordes acres, vellicantesque generari, quæ extremitates nervorum vellicando hypochondriaca pathemata progignere valent. Quid si dentibus non triturentur alimenta? Primam digestionem fieri in ore vel lippis, ac tonsoribus notum est. Hinc peti potest ratio, propter quam senes edentuli, quibus alimenta non satis ore triturantur, difficiliorem habeant concoctionem, atque affectioni hypochondriacæ sint plurimum obnoxii.

Diuturnæ quævis animi, mentisque curæ.) Nihil frequentius medentibus occurrit, quam graviores stomachi, & intestinorum subversiones a diuturnis assiduisque animi curis. Spiritus animales in cerebro detenti minore vi, ac copia per nervos ad partes transmittuntur, unde solidarum partium, fluidarumque ad chyli elaborationem concurrentium texturam eo redigi contingit, ut impar omnino sit ad optimam ciborum coctionem, ac laudabilem chylosim perficiendam, illarum quidem propter defectum pristini elaterii, istarum vero ob visciditatem, inertiam. Cum enim viscera fere omnia in imo ventre sita, vel insigni glandularum aggregatu componantur, cujusmodi sunt Hepar, Pancreas, ac Mesenterium, vel tunicis, in quibus pariter glandulæ copiosissimæ inseruntur, uti sunt ventriculus, intestina, quæ glandulæ juxta diversam structuram, situm, magnitudinem, motum tum naturalem, tum extrinsecus advenientem, a pressione scilicet externarum partium, musculorum, & adjacentium viscerum diversos succos, humoresque ad chyli elaborationem concurrentes separant, fit ut debilius sese contrahentibus fibris, quibus eadem viscera contexta sunt, liquorum, seu fermentorum eorumdem secretiones non solum imminuantur, sed ejusdem activitatis non sint, unde chylum male elaborari contingit, nec ab excrementitiis sordibus optime depurari, acres, vellicantesque sordes in primis viis colligi, atque hinc prodeuntes nervearum fibrarum spasmos, atque hypochondriaca pathemata excitari. Apte cadit in hunc locum, quod tradidit Baglivus, dum ait: *Qui laborant animi pathemate, potissimum corripi solent morbis ventriculi, ut inter cæteros observavi in mœrentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox inappetentia, oris amaritie, siti circa horas matutinas, cruditatibus, flatibus, & tensionibus hypochondriorum.* Cæteras affectiones, quæ ex assiduis animi, mentisque curis exoriuntur, descriptas videsis in Fernelio, Salomone (3).

Studia intensa.) Ea est inter viscera imi ventris, ventriculum præsertim, intestinorumque canalem, & Cerebrum connexio, ut una parte affecta altera quoque afficiatur, atque omnes simul, & perpetuo malorum, bonorumque participes sint, ut docet Hippocrates: *Stomachi subversio cerebri consumptio.* Quæ res Helmontium ad credendum vehementer adduxit, sentien-

tem

(1) *p. 2. prax. cap. 6.* (2) *loc. cit.* (3) *proverb. 17. & c. 15.*

tem animam non in cerebro, ſed in ventriculo, præcipue ſuperiore ejuſdem orificio, quod innumeris nervorum propaginibus donatur, collocandam eſſe. Id quod contingit non tantum ob mirabilem nervorum conſenſum, ſed etiam propter inſigne digeſtionis ciborum negotium, cui ſane cerebrum ipſum ſpiritus per nervos ad ventriculum, & huic inhærentes partes, ac viſcera tranſmittens inſervire certo certius habendum. Hinc ſapienter admodum, prudenterque Cornelius Celſus loquens de iis, quibus caput debile, atque infirmum eſt, parum alimenti, idque facilis concoctionis exibendum eſſe præcepit, atque omnium quemcumque vel leviſſimum etiam imaginandi mentis laborem prohibendum. Tenuiſſima enim nervea filamenta, quibus cerebrum contextum eſt, tenſa eſſe non poſſunt, quin uberiori ſpirituum influxu vigorentur, quod ſine aliarum partium nervoſarum, maxime chylificationi inſervientium laxitate inſigni fieri non poſſe adeo manifeſtum eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere putem. Quid quod anxia, ac moroſa ſtudia ſpiritus ipſos conſumant, ut Voſſius (1), & Vedelius (2) teſtati ſunt? Quo loco minus mirari ſubit, Ciceronem ſumma fuiſſe corporis gracilitate, & infirmitate ob aſſiduas meditationes, & lucubrationes, quas in vita tantopere amavit, ut liquet ex ipſius operibus, in quibus eorumdem ſæpiſſime mentionem facit; & Baronium, ut refert Janus Nicius Erytrhæus (3) ob aſſiduum ſtudiorum laborem tabe preſſum obiiſſe, qua cibos omnes utcumque nitidos, delicatos, ſuaveſque ita faſtidiebat, ut quotieſcumque ad prandium, vel cœnam vocaretur, tamquam ad ſupplicium ſe rapi diceret. Si addas, litteratos homines curvo, inflexoque corpore cartis quaſi incumbentes abdominis contenta multum ſibi comprimere, ut egregie notat Ramazzinus (4), ac deſidem, & ſedentariam vitam agere, quo nihil potentius ad virium robur infirmandum, habes, quo ad credendum vehementer adduci poſſis, a ſtudiis intenſis ventriculi, & viſcerum chylificationi inſervientium tonum labefactari, atque hinc malum hypochondriacum exoriri.

Hæmorrhoidum ſuppreſſio.) Inter multos graveſque morbos, qui ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus ortum traducunt, frequentiſſime occurrunt affectiones hypochondriacæ, quæ res anſam pleriſque dedit ad credendum, inſignem illum vaſorum numerum a natura ita eſſe comparatum, ut materiæ unius alicujus, quæ ſanguinem, ac cæteros humores inficere, atque inquinare poſſet, excretio haberetur. Et ſane tot arteriolæ, ac venulæ mirum in modum circumvolutæ, in varios flexus actæ glandulam quaſi alteram conſtituere videntur, cujus ope una cum ſanguine fæculentæ materiæ ſecretio peragatur. Hinc nil mirum videri debet, Cl. Fernelium affirmaſſe, in aliquibus non raro e vaſis hæmorrhoidalibus excerni materiem quamdam aqueam, viſcidam, ab imperitis purulentam falſo habitam, cum nihil ſit aliud, quam fæculenta, atque impura materia, cujus excretione tota ſanguinis maſſa depuratur, unde innumeri fere morbi præcaventur. Si forte contingat, ut in ſanguine eadem retineatur, ejuſdem craſim, ac naturalem temperiem everti eo prorſus modo exiſtimant, quo vinum perfectiſſimum quorumdam corporum admixtione in acetum mutatur. Hinc acribus, vellicantibuſque ſordibus in cerebro congeſtis, atque in tenuiſſima nervea filamenta ſe ſe inſinuantibus, altiuſque penetrantibus convulſiones, affectionem hypochondriacam excitari. Quæ fere illorum ſententia eſt, qui affectionem hypochondriacam a convulſione in principia nervorum inducta ex totius corporis intemperie repetendam eſſe pugnaciſſime ſuſtinent. Quæ tamen minus probatur, commendaturque iis, qui hæmorrhoidalem fluxum aliunde, quam ab hoc fonte altius, ac ſubtilius commenti ſunt. Non enim ſanguinem fæculentum, aut materiem aliquam corruptam per hæmorrhoidalia vaſa ejici exiſtimant, ſed bonum, ac laudabilem, cum videlicet copia peccans, vel craſſus, viſcidus, ac lentus non ea celeritate, qua per arterias advehitur, ab hæmorrhoidalibus revehitur; (quod quidem facile contingit ob meſeraicarum venarum compreſſionem, debilitatem, tortuoſum inceſſum, peculiarem venarum hæmorrhoidalium conſtitutionem, aliaſque id genus alibi recenſitas cauſas) unde in iiſdem ſubſiſtens eadem

(1) *Idolatria Gentil.* (2) *tract. de ſtudior. intemperie.* (3) *Pinacoth.*
(4) *de morb. artifi. de litter. morbis.*

dem majorem in modum diſtendit, diſrumpit, vel acrimoniam nactus diuturna mora exedit, corroditque. Non alia porro meliori ratione affectiones hypochondriacæ explicari poſſe videntur a ſuppreſſis hæmorrhoidibus, quam quod ſanguinis circulatio cum per hæmorrhoidalia vaſa, tum meſaraica, venam portæ, & reliqua viſcerum imi ventris perturbatur, ſtagnationes, infarctus, obſtructioneſque ſubſequuntur, unde ſucci bilioſi in hepate, pancreatici in pancreate, ſalivalis in glandulis ventriculi, & inteſtinorum ſecretio inhibetur, vel plurimum ſaltem langueſcit, chyloſis propterea pervertitur, acres vellicanteſque ſordes in primis viis colliguntur, quæ hypochondriaca pathemata excitare valent. Quamquam vero non hiſce finibus tantum coerceri affectionem hypochondriacam facile conceſſerim, ſed ex viſceribus in hypochondriis fitis vitium poſtea ſanguini communicari, ejuſdem, & ſpirituum craſim vitiari, atque alterari ea ratione, qua opus eſt ad univerſum nervorum genus mire percellendum. Quem ſtatum alterum affectionis hypochondriacæ gradum appellare cur dubitemus?

V. *Prodit ſe primum malum hypochondriacum per ciborum faſtidium.*) Rem ita ſe habere clarius apparebit, ſi ſingula ſymptomata, quæ inter initia primum, & in primo affectionis hypochondriacæ gradu, mox illa, quæ decurſu temporis, & in altero gradu obſervari ſolent, juxta allatam hypotheſim explicemus commodiſſime. Manifeſtum eſt omnium Medicorum conſenſu, præcipuam famis ſedem, & fundamentum ſtomachum eſſe: Imminuta igitur eadem erit, id vel vitio membranarum ventriculi contingat, quæ propter atoniam impares ſunt ad triſtem illam ſenſationem, quæ ad famem naturalem facit, percipiendam, vel ſuccorum gaſtricorum, qui propter defectum, vel inertiam ad eaſdem vellicandas inepti exiſtunt.

Aucta quandoque fame.) Depravata chyloſi fieri minus poteſt, quin cruditates generentur, quę diuturna in ventriculo mora facta eam acrimoniam nanciſcantur, qua membranæ ventriculi irritentur, vellicenturque, unde ad appetendum cibum Animal excitetur. Auctæ hujuſce vellicationis cauſam ab acerrimo acido plerique repetendam eſſe contendunt. Verum ad levem ſuccorum gaſtricorum alterationem, mutationemve augeri poſſe famem facit potiſſimum exquiſitus ventriculi ſenſus, unde levem quamcumque impreſſionem recipiendo opportunus exiſtit.

Rerum inſuetarum, & incongruarum appetitum.) Viri niſi hypochondriaci ſint, nunquam depravato illo appetitu, quo abſurdas res, & a natura alienas, cujuſmodi ſunt gypſum, vitrum, calx, ſtercus, & alia id genus avidiſſime, & cum voluptate ingerunt, corripiuntur. Pica audit morbus iſte. Tanta autem eſt rerum, quas appetunt, aviditas, ut niſi illis frui poſſint, langueſcant, & animo interdum delinquant. Mirum autem ingeſta, licet omnino abſurda, ne vel minimum quidem incommodi afferre. Quę res anſam dedit nonnullis ad credendum, a cerebro potiſſimum cauſam depravati hujuſce appetitus repetendam eſſe. Cum enim viderint quantus eſſet in cibos vel abſurdos aſſumendos impetus, phantaſiam corruptam, & depravatam eſſe putarunt, ſeu certas quaſdam motiones in cerebrum, & appenſos nervos induci, quę certas rerum imaginationes in animum inducant, unde animal ad eaſdem aſſumendas determinetur. Recte hi quidem. Pro varietate enim harum motionum varius, ac diverſus oritur rerum appetitus. Verum adverſus hos pugnant alii, ac depravatum ventriculi fermentum depravati appetitus cauſam ſtatuendum eſſe pugnaciſſime ſuſtinent, citra quod mira illa phænomena, quæ paſſim in Pica laborantibus obſervantur, explicari nulla ratione poſſe. Celebris eſt hiſtoria apud Sennertum de muliere quadam cretam, & molares lapides contritos ad librarum pondus deglutiente, ne vel minimæ quidem læſionis notis apparentibus. Qui autem fieri poteſt, ut membranę ventriculi cretas, & lapides diu ſine noxa ferre poſſint, niſi depravatum ſit ventriculi fermentum ea ratione, qua opus eſt ad res adeo pravas edomandas, ut qualitatibus ſuis non noceant? Nomine fermenti jam ſalivę, ſucci a glandulis ęſophagi, & ventriculi extillantis affluxum illi intelligunt, quod figuram immutare, vel texturam diſſolvere, vimque eorum corporum infringere valeat, quę cęteroquin exquiſitiſſimas ventriculi fibras ſcinderent, dilacerarent, aut ſimili modo moleſtiſſime afficerent. His ducti ratio-

tionibus depravatum ventriculi fermentum depravati appetitus cauſam conſtituunt. Quid ipſe in re ardua, ac perdifficili ſentiam paucis habeto. Non ſolum ventriculi fermentum, ſed & phantaſia, & organa guſtui, & odoratui dicata male affecta depravati appetitus cauſa proxima ſunt, ita tamen ut ſtomachus primum, deinde medullares cerebri fibrę, poſtremo narium, & linguę papillę afficiantur. Ad hujuſce rei ſtatum melius intelligendum ſciendum eſt, ab externis objectis ſenſibilibus aliquam in nervorum extremitates ſenſorium conſtituentium mutationem induci, quę mutatio nihil aliud eſſe videtur, quam motio quędam, quę ad cerebrum uſque, & medullares ipſius fibras per continuatos nervos delata, peculiarem illis tremorem communicat reſpondentem objecto, & modo, quo exteriori organo applicatur; pro varia autem motione varias ideas, & perceptiones in animum ſuſcitari. Quibus ſic conſtitutis licet colligere, a depravato ventriculi fermento motiones quaſdam in ipſius membranas, & nervos excitari; quę cum ad cerebrum uſque perveniant, certas ciborum imaginationes in animum inducant, unde animal ad appetendum excitetur. Quoniam vero cibi abſurdi ſunt, & a natura alieni, neceſſe eſt, ut eę motiones in ventriculum primum, mox in medullares cerebri fibras inductę organis guſtus, & odoratus communicentur, & cum papillę linguę, tum membranę pituitariæ talem tonum, & tenſionem habeant, ut motus qui inducitur a rebus abſurdis ſit illis conſentaneus, ideoque jucundus, & ſuavis; e contra qui a rebus ſuavibus fit, diſſentaneus ſit, aſper, & a ſenſibus alienus. Hinc nil mirum videri debet, ſi tam avide cibos appetant quoſdam, quoſdam vero faſtidiant, ab illis voluptate afficiantur, ab aliis lędantur.

Ructibus copioſis, acidis, auſteris &c.) Ructus duplici modo fieri plerique opinati ſunt, cum videlicet alimenta putreſcunt, & nidorem contrahunt, & odorem fętidum, qualis ovorum corruptorum, vel ſapore amaro inficiuntur, qualis eſt axungię rancidę, olei amygdalar. dulcium, & nucum, deinde cum tota ciborum maſſa acidum ſaporem contrahit, nec rite fermentata volatilizatur. Hanc acidam, nidoroſam illam appellant. Nidoroſam quidem a nimia ſulphurearum, & oleoſarum particularum quibus ſcatent alimenta, ſolutione, & exaltatione repetunt, hanc autem exſolutionem a bile acriori, ac nimis volatili ad ventriculum delata fieri arbitrantur. Acidę cruditatis cauſam acidum digeſtivum totam chyli maſſam inficiens accuſant. Verum cum coctio ciborum, ut ſupra oſtendimus, non ab acido, vel quocumque alio humore tantum dependeat, corruere hancce opinionem perſpicuum eſt. Satis porro ſuperque eſſe duxerim, ut naturali everſa chyloſi, diutius quam par eſt in ventriculo detineantur cibi, ac corrumpantur; corrupti enim, & putreſcentes ructus acidos, acorem, vel quid ſimile ſpirantes progignere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Flatibus, borborygmis, ſtomachi, & inteſtinorum inflationibus, tenſionibus &c.) Corrupti ſic, ac putreſcentes cibi ſuccos reliquos in ventriculo, inque proximis viſceribus inhęrentes inquinant, qui propterea nerveas fibrillas mordent, irritant, in ſpaſmos agunt, canalem inteſtinorum prędertim in flexuris coarctant, ita ut ne aer quidem libere fluere poſſit, imo coercitus idem quaquaverſum ſeſe expandens, atque exitum quærens ſtrepitus, ac ſonitus adeo inſignes in abdomine excitet, ut Æolus in Neptunum ſævire videatur. Cum vero exire, & fluere libere nequeat, aer calore loci, & adiacentium viſcerum ſic rarefit, expanditur, ut membranas majorem in modum diſtendat, in tumorem elevet, ac nerveas fibras moleſtiſſime afficiat, unde abdominis tenſiones, inflationes, dolores, aliaque ejuſmodi graviſſima ſymptomata ſubſequuntur.

Colicis tumoribus ſub coſtis ſpuriis in ſiniſtri hypochondrii regione &c.) Colon ob inſignes flexuras, quas in utroque hypochondrio ſub coſtis ſpuriis format, aere exitum nitente, vel mucilaginibus viſcido-acribus infarcitur, diſtenditur, in tumorem elevatur. En tumores ſub coſtis ſpuriis in ſiniſtro hypochondrio conſpicuos, doloreſque ægros dire exercentes, quos multi minus docti affecto lieni tribuere non dubitarunt.

Vomendi conatibus, quos vomitus ipſe viſcidarum ſordium.) Si acres, vellicanteſque ſordes in primis viis ſtabulantes ner-

veam

veam ventriculi, & inteſtinorum tunicam proritent, atque in ſpaſmos agant, inverti facile eorumdem motum contingit, hinc vomendi conatus, ac vomitum ipſum ſupervenire. Quod adnotavit Arabum Medicorum facile princeps Avicennas, qui (1) hujuſce morbi effectus deſcribens, *quoſdam eſſe*, ait, *quibus accedit dolor in fine ſpatii comprehenſionis cibi in ſtomacho, & horum quibuſdam dolorem non ſedari donec evomuerint.*

Graviores jejuno ſtomacho, & a paſtu.) Dum ſtomachus cibis vacuus eſt, acres, vellicanteſque ſordes in ipſius membranas tantum, ac parietes vim exſerunt, hinc aucto ſolidarum partium ſpaſmo augeri morbum neceſſe eſt. Ingeſtis cibis, digeſtione eorumdem incipiente, turbas facile excitari perſpicuum eſt, laxatas membranas moleſte affici, atque omnia ſymotomata a paſtu exacerbari. Quod præ cæteris indicaſſe videtur Hippocrates, quo loco hypochondriam (venit eidem morbi nigri nomine) deſcribens (2): *Fauces*, inquit, *& os ex vomitu incenduntur, dentes obſtupeſcunt, & quod vomitione rejectum eſt terram attollit, cumque vomuerit, paulo melius habere videtur, neque ſine cibo eſſe, neque copioſiorem cibum ingeſtum ferre.*

Alvi duritie, interdum alvi fluxu, copioſa ſalivæ excretione.) Nullum fere ſymptoma, quod affectioni hypochondriacæ magis commune ſit, quam alvi durities. Quę quidem duplici modo contingere poteſt. Vel enim pendet a viſcidis, craſſis, lentiſque humoribus, ac mucilagineis ſordibus inteſtinorum tonum enervantibus, atque eorumdem canalem obſtruentibus, vel a tali ſpaſmodica conſtrictione, ut inepta ſint ad fæces motu ſuo blando vermiculari expellendas. Si nerveæ fibræ vellicentur, proritentur, aut alia ſimili ratione afficiantur, qua eſt opus ad copioſiorem bilis, ſucci pancreatici, & qui a glandulis pejeranis extillat effuſionem, alvi fluxum ſupervenire debere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla: ſordes porro iſtæ in primis viis, inque proximis viſceribus inhærentes Meſenterii, Hepatis, Lienis, Pancreatis obſtructionem gignunt, qua lymphæ ſecretio in iis locis impeditur, quapropter per vaſa in os derivatur, os, & fauces inundantur, unde copioſa ſalivæ excretio.

VI. *Accedunt mox capitis dolores, tremores &c.*) Ubi morbus altas in hypochondriis radices egerit, ac vitia in iiſdem genita ſanguini communicentur, ſpirituſque animales incongruarum particularum admixtione coinquinentur, manifeſtum eſt, nervea filamenta cerebrum, ejuſque membranas, & appenſos nervos conſtituentia in vehementiores, & non ordinatas contractiones agi, varie inordinateque concuti, unde dolores capitis, tremores, aliæque fere innumeræ phantaſiæ, motuum, & ſenſuum leſiones.

Dolor regionem renum quandoque occupans &c. urinæ tenuis &c.) Nonniſi ab inordinato, perturbatoque ſpirituum animalium motu, ac vehementi nervoſi generis convulſione oritur dolor ille renum regionem occupans, ac nephritidem mentiens, cujus quidem ſpaſmi indicio eſt urinæ tenuis, ac limpidæ copioſa excretio. *Inter omnia vero*, inquit Sydenhamus, *quæ in hoc morbo comparent phænomena, illud maxime proprium, atque adeo fere inſeparabile, quod ſcilicet ægræ* (nempe hyſtericæ mulieres) *urinam ſubinde reddant plane limpidam, & inſtar aquæ e rupibus ſcaturientis, idque ſatis copioſe.* Dum enim univerſum fere nervorum genus diris convulſionibus premitur, tubulorum renalium diameter ita anguſtatur, ut ſeroſo tantum, & aqueo latici aditus præbeatur. En tenuitatem. Comprimuntur porro cum a cæteris adjacentibus partibus convulſis jam, tum a ſuis membranis Renes; hinc totum in ipſis contentum ſerum exprimitur; præterea ſic anguſtantur vaſa omnia, ut quæ rubicundæ ſanguinis parti vehendæ apta erant, lymphaticæ ſolum ferendæ paria evadant, hinc & ſecundi generis vaſcula fiant, & tertii, & ſic porro, ita ut mire multiplicentur vaſa ſerum urinarium deferentia. Hiſce multiplicatis, atque anguſtioribus redditis fit, ut major ſit celeritas fluidi permeantis, ideoque major ejuſdem copia ſeparetur, unde copia urinarum emergit. Si tanta ſit convulſio, ut tubuli renales, ureteres, & orificia veſicæ occludantur, ſupprimi urinam debere adeo manifeſtum eſt, ut nihil ſit manifeſtius.

Tuſſis ſicca, pectoris anguſtia, ſpirandi difficultas, quam globi ad fauces aſcendentis &c.)

(1) *lib. 3. fen. 3. tract. 2. c. 1.* (2) *de morb. l. 2. ſect. 5. in fine.*

Spiritibus animalibus cæco impetu hac illac in diaphragma, pulmones, tracheam, cæteraſque partes reſpirationi inſervientes irruentibus, & tuſſis ſicca, & pectoris anguſtia, ſpirandique difficultas, quam globi ad fauces aſcendentis, & ſtrangulationis ſenſus excipit, exoriuntur. Senſum globi aſcendentis nonnulli repetunt ab aere coercito inter tunicas aliqua in parte ſpaſmo conſtrictas, qui cum vim elateris majorem exerceat, quo magis anguſto ſpatio coercetur, ſenſum illum globi aſcendentis efficiat. Verum gratis id aſſumi videtur, cum ſola partium convulſarum contorſio, & inverſus veluti quidam motus a partibus inferioribus ad ſuperiores eidem producendo opportuniſſimus exiſtat.

Suffumigiis miteſcens.) Qua ratione ſuffumigia in convulſivis morbis operentur quęſtio eſt. Qui actiones fere omnes noſtri corporis a fluidis partibus repetunt, exiſtimant, a corporibus, quæ comburuntur, exhalari tenuiſſimas quaſdam, & ſubtiliſſimas particulas, quæ naribus exceptæ, in nervos membranam pituitariam conſtituentes ſe inſinuando ſpiritibus animalibus immiſcentur, eoſdem alterant, & in ordinem redigunt, unde partes, quæ a perturbato, & irregulari ſpirituum motu convulſæ ſunt, relaxari contingit, & a nimia nerveorum filamentorum diſtractione, atque dolore liberari. Alii e contra in ea ſunt opinione, ut credant, ſuffumigia, quæ fiunt ex combuſtis graveolentibus corporibus, tenuiſſimas, ac ſubtiliſſimas emittere particulas ad membranam pituitariam, nerveas ejuſdem fibras irritare, vellicare, unde ſpiritus ad eam partem avocantur priorem illam relinquentes, in quam inconcinno, atque irregulari motu irruebant: ex quo fit, ut affecta pars relaxetur, ac convulſio ſedetur. Rem exemplo vulgatiſſimo illuſtrant. Dolor enim vehemens aliquam nervoſam partem afficiens, ligatura valida in oppoſita facta, qua ſpiritus ad eamdem avocantur, priorem viam relinquentes, egregie ſedatur. Cum nihil in hac affirmetur, quod extra omnem dubitationis aleam poſitum non ſit, in illa e contra ſuppoſitionibus opus ſit non paucis, nimia ſcilicet illa corpuſcula in nervos per minutiſſimos porulos ſe inſinuare, deinde ſpiritibus immiſceri, tandem ipſos in ſua craſi alterari, quę omnia momento fere temporis peragi haud poſſe videntur, illam, ſi quid ſentio, huic anteponendam traderem. Quanta ſit vis odorum ad fibras noſtri corporis percellendas liquet ex Ammano (1), qui a ſola candelę ſebaceę extinctione abortum, uteri ſuffocationem, epilepſiam, & mortem ipſam annotavit; ex Foreſto (2), qui ex fętore lucernæ extinctę hyſterica pathemata, ac fętum extinctum obſervavit; Olao Borrichio (3), qui memorat mulierem quamdam in formandis candelis occupatam reſpiratione difficili, gravi cephalalgia, vertigine, & oculorum rubore correptam fuiſſe; Amato Luſitano (4), qui Piſtorem quemdam ſuffimentis, quæ ad excipiendum Portugallię Regem fiebant, in terram quaſi Apoplecticum concidiſſe tradit, ut mittam inſigne exemplum violentiſſimæ purgationis per ſuperiora, & inferiora, quod extat in *Hiſt. Ac. Par.* ſolo odore roſarum pallidarum, quod & a Peclino confirmatum legimus (5), & a Bartholino (6), atque ea quę de mirandis odorum viribus legi poſſunt in Roberto Boyle (7).

Animi vero commotionibus &c.) Nihil eſt, quod ſpirituum motum magis perturbare valeat, atque in vehementes, ac non ordinatas contractiones agere nervorum genus, quam animi commotiones, multo magis ſi ſpiritus, & nervi ad eaſdem ſuſcipiendas jam ſint diſpoſiti, quemadmodum in hypochondriacis, & hyſtericis contingit. Quid non prętat improviſum gaudium, prętertim languidis, & imbecillibus? Polycratam feminam a Naxo inſula ex repentino gaudio animam expiraſſe teſtatus eſt Ariſtoteles. Chilonem Lacedęmon. philoſophum eximium, dum victorem in Olympia filium conſpexit, repente mortuum fuiſſe refert Plinius (8). Plura exempla vid. apud Gellium (9), P. Lotich. (10), quę alibi a nobis dicta ſunt (11).

VII. *An ſpirituum ataxia a debiliori eorum-*

(1) *In Paræneſi critica caſu* 59. (2) *lib.* 28. *obſ.* 30. (3) *In Act. Hafnienſ. Vol.* 5. *hiſt.* 86.
(4) *prax. admirab. lib.* 3. *obſ.* 99. (5) *exercitat. de purgant. cap.* 1. & 5.
(6) *hiſt. anat. & med. cent.* 5. *obſ.* 64.
(7) *de mira effl. ſubtil. cap.* 4. *de inſigni efficac. c.* 6.
(8) *lib.* 8. *c.* 53. *hiſt. natu.* (9) *Noct. atticar. lib.* 3. *c.* 15. (10) *lib.* 3. *cap.* 4.
(11) *com. in aph.* 3. *cap.* 8. *lib.* 1. & *Com. in aph.* 6. *cap.* 1. *lib.* 3.

rumdem craſi &c.) Thomas Sydenhamus (1) morbum huncce, quem ad convulſivos morbos refert, a ſpirituum ἀπαξίᾳ, quę græca vox latinis audit confuſio, ordinis deſertio, ab α, & πάξις, quod a πάττω ordino, tanquam a proxima cauſa repetendum eſſe putat: in motus autem inordinatos, & perturbatos adigi ſpiritus propter debiliorem eorumdem craſim, ita ut facile diſſipentur, & a levi etiam cauſa commoveantur. Firmis validiſque rationum momentis opinionem hanc ſuam confirmat. Et primo obſervatione, Mulieres ſcilicet prę maribus hoc affectu laborare; Mulieres ſiquidem prę viris debiliorem, & rariorem ſpirituum texturam, ſive craſim, atque univerſum nervorum genus maxime ſenſile obtinent, & molliorem totius corporis habitum; litteratos homines, & acri ingenio prędítos facilius prę aliis eodem corripi, quia rariori, tenujori, & facile diſſipabili donantur textura. Quid quod cauſę eędem externę inopiam hancce, ac debilem ſpirituum texturam evincunt? Horum in cenſu numerantur ira, terror, timor, męſtitia, aliaque animi pathemata, odores nimis fortes, & acuti, quibus ſpiritus animales nimis rari, ac debiles in turbas aguntur, ac varia ſymptomata, quę in hypochondriacis, & hyſtericis obſervantur, progignunt. Animadverſionem prę cęteris meretur vomitus materię flavę, viridis (a corruptione inſigni ſuccorum in primis viis ſtabulantium ortum diceres) qui non aliunde quam a perturbato ſpirituum animalium, atque inverſo periſtaltico ventriculi, & inteſtinorum motu, quo & ſuccus pancreaticus, & bilioſus, & qui a glanduloſis folliculis ventriculi, & inteſtinorum extillat, & reliquiæ ciborum ejiciuntur. Rem ita eſſe evincit luculentiſſime obſervatio. Plerique enim cæteroquin optime valentes, qui itinera per mare inſtituunt, vix ac navim conſcenderunt, toto corpore perturbantur, virium languore, vertigine, nauſea, ſtomachi dolore corripiuntur, evomunt, animo deliquunt. Vomitu autem (mirum dictu!) inſignem quantitatem humorum flaveſcentium, viridium, quique corruptæ bilis ſpecium præſeferunt, ejiciunt. Et tamen inordinata, inſolita quædam undulatio ſpiritibus per irregulares navis motus communicata, quo univerſum fere nervorum genus convellitur, accuſanda. Qua de re legi meretur Cl. Gimíniani Montanari epiſtola, in qua problema reſolvit: *Perchè li foreſtieri, che capitano in Venezia, ſi ſtanchino nell' andare in Gondola*. Verumtamen licet juſtis laudibus æquare non valeam, quæ ſingulari plane perſpicuitate tradit Sydenhamus de ſpirituum animalium ataxia propter debiliorem eorumdem texturam, parcat tamen, ſi in ſuam non eo ſententiam cum docet, unicam hanc, conſtantemque eſſe proximam morbi cauſam. Poſſunt quidem ſpiritus in feminis, & litteratis hominibus, eo quod pauci, debilioris, ac rarioris texturæ ſunt, in inordinatos, irregulares motus, minime tamen in effrænes, violentaſque abire turbas, quæ ad atrociſſimos dolores, ad immanes convulſiones, membrorum contractiones, rigiditates excitandas valeant. Spirituum animalium ſoliditate potius, firmitudine, acrimonia inſigni, ſolidarumque partium, ac tenuiſſimorum filamentorum nerveorum nimis ſenſili conſtitutione opus eſſe crediderim. Quamquam haud inficias ire auſim, debiliorem ſpirituum craſim vitia primarum concoctionum facile ſequi, acidos generari ſuccos, qui extremitates nervorum vellicando primo affectionis hypochondriacæ gradui anſam præbeant.

VIII. *Si res mihi ſit cum ægro laxioris habitus &c. contentus ſum ſalibus lixivioſis &c.*) His ita conſtitutis licet colligere, eo nervos induſtriæ omnes in curatione hujuſce morbi intendendos eſſe, ut vitia viſcerum in hypochondriis contentorum emendentur, a ſordium, pravorumque excrementorum ſarcina liberentur, irritationes omnes, & convulſivæ nerveorum filamentorum contractiones ſedentur. Illud vero curæ cordique maxime eſſe debet, ut ſordium natura internoſcatur. Quod nulla meliori ratione obtineri poſſe perſpicuum eſt, quam ad ægrotantis habitum, & ſymptomata quæ morbum comitantur, reſpiciendo. Ubi res ſit cum ægro laxioris habitus, temperamenti ut ajunt, frigidi, qui inappetentia inſigni laboret, qui febre careat, atque hypochondriorum æſtu, craſſas, ac mucilagineas ſordes, mucoſaſque quiſquilias, primas vias, hiſque inhærentes partes infarcire rationi conſonum videtur. Ea igitur quæ incidendo, abſtergendo, & leniter vellicando operantur, hic locum habere perſpicuum eſt.

(1) *diſſert. epiſt. de malo hypochondr.*

In horum cenſu veniunt primum ſales lixiviales, qui videlicet ex cineribus quarumdam plantarum combuſtarum per lixivium extrahuntur, cujuſmodi ſunt abſynth. centaur. minor. agrimon., qui quidem viſcidis, craſſiſque ſordibus attenuandis, incidendis, laxatis ſtomachi, & inteſtinorum fibris roborandis adeo opportuni exiſtunt, ut iſtorum repetito uſu inappetentiam, ut alibi vidimus, in famem c' inam deſiiſſe Riverius teſtetur in obſerv. a Pechequo derivatis. Simili fere virtute donantur medii ſales, qui videlicet ex acidorum cum alchalicis mixtione parantur. Ex ſale tartari aciditate cremoris tartari ſaturato ſal medius reſultat, qui tartari ſolubilis nomine venit. Si ſal ejuſdem tartari fixus aceto ſaturetur, ſal quidam ſalſus emergit, qui terra foliata tartari dicitur. Ex ſale tartari & ſpiritus vitrioli portione emergit alius quidam ſal ſalſus tartarus vitriolatus dictus, aliaque hujuſmodi, quæ omnia leniter incidendo, ac digerendo humores ad evacuationem diſponunt, ut mitiſſimo quovis pharmaco educi commode poſſint, id quod de ſale polychreſto, aliiſque dictum velim.

IX. *Si præpollentis acidi indicia ſe prodant &c. pulvere Vvedelii abſorbente.*) Vis acidum edulcandi alchalicis tantum, terreſtribus, inſipidis tribuitur. Ejuſmodi ſunt oculi cancrorum, chelæ cancror. coral. terræ multæ ſigillatæ, quæ omnia poros ad acidum imbibendum idoneos habent. Conſtat enim, acetum, & ſpiritum vitrioli acorem fere omnem amittere, ſi eiſdem oculi cancrorum, conchæ, aliaque id genus affundantur. Terrea hujuſmodi poroſa corpuſcula cum acido ventriculi coeuntia ſalem neutrum componunt, qui leniter nerveas inteſtinorum fibras irritans ſordes, humoreſque excrementitios ad alvum præcipitat. Ad cujus rei ſtatum melius intelligendum ſciendum eſt, abſorbentia terrea nunquam per venas lacteas in ſanguinem invehi; cum autem acidi humores terreis hiſce corporibus arcte uniantur, hæc autem in ventriculo, ſeu inteſtinis diu manere non poſſint, reliquum eſt, ut ad alvum præcipitentur. Proſtat in officinis pulvis quidam abſorbens Wedelii dictus, qui ex terreis hujuſmodi corpuſculis componitur, ſi cinnaberim, & opii extractum excipias, quibus facultas ineſt ſpaſmodicas ſtricturas mulcendi, ac ſedandi. Vitriolum martis demi ex eodem ſolet, ne ſtomachi ſubverſiones excitentur.

X. *Alterutrum horum adhibeam, levem infuſionem rhabarbari &c.*) Rhabarbarum ad craſſas, viſcidaſque fordes attenuandas, ſimulque tonum fibrarum reſtituendum, ubi hypochondriacus purgandus eſt, cæteris palmam præripit. Quoniam vero in hypochondriacis ſolventia pharmaca in forma, ut ajunt, humida viſa ſunt magis convenire, quam ſolida, ſalubre eſt practicorum conſilium, infuſionem leni calore ex eodem parare addendo ſalem aliquem neutrum, cujuſmodi ſunt tartar. vitriolat. arcan. duplicat. tartar. ſolubil. &c. qui ſales dici vix poteſt quantum purgantium vim corrigant, & ſimul intendant. Reſinoſa enim eorumdem ſubſtantia primum penetratur, ſolvitur, extenditur, impediturque, ne inteſtinorum tunicis diutius, quam par eſt adhærendo moleſtias procreent; præterea incidendo, & leniter vellicando purgantium vim intendere perſpicuum eſt. Leni, inquam, calore. Tincturas enim rhabarbari, ac ſimilium medicamentorum forti coctione parare abſurdum eſt: bulliendo enim maximam partem eorumdem virtus diſſipatur, ut præ cæteris oſtendit Cl. Boulducius Acad. Pariſienſis. Ad purgantia non acriora pertinet Senna, ideoque cum rhabarbarum paullo ſiccioris ſit texturæ, unde alvus quandoque vix aperitur, niſi cum miti alio ſolvente conſocietur, nonnulli infuſionem ex ſenna, & rhabarbaro præſcribunt. Verum ſi quid ſentio, a Senna in hypochondriacis abſtinendum traderem. Flatus enim copioſos ingenerat, qui malum augent, aut confirmant.

XI. *Primo Vere ſuccis optime depuratis Fumariæ, Sonchi, Agrimon. &c.*) Practicorum illorum conſilium, qui ſuccis herbarum, quæ ſalibus lixivioſis, aut ſimilibus refertæ ſunt, quæque ob eximias facultates, quibus donantur, obſtructiones hepatis, ac reliquorum viſcerum imi ventris ſolvendi, tartareas, ac mucilagineas fordes incidendi, abſtergendi ant-hypochondriacæ dicuntur, ſatius eſſe uti exiſtimant, quam aut ſalibus ex iiſdem elicitis, aut decoctionibus, aut alia quavis præparatione, fateor me juſtis laudibus æquare cum Sennerto non valere; præſertim ſi ex juſculo tenerioris pulli exhibeantur, quo facilius tenuior pars in ſanguinem ingrediatur, reliquæ terreę ad alvum præcipitentur, ſimulque irritationes

ni-

nimiæ, & convulsivæ contractiones sedentur. Enimvero si quod D. Boulducius tradidit, satius plerunque esse medicamenta ut a natura producuntur exhibere, locum habet, locum habet maxime ubi agatur de iis vegetabilibus, ex quibus, si exsiccentur, decoquantur, aut alio quovis modo, præsertim vero igne tractentur, volatilior, & tenuior eorum pars avolat, a qua fortasse maxima pars virium eorumdem dependet.

XII. *Hisce martialia succedant.*) Sed nihil potentius ad hypocondriacum malum depellendum Marte, & ex eodem paratis medicamentis, dummodo tamen adsit fibrarum laxitas, & succorum acidorum, mucosorumque in primis viis apparatus. Absorbet enim Mars, & potentissime corrigit aciditatem omnem infestam, mucosasque quisquilias atterit, fibras ventriculi, & intestinorum membranas constituentes confirmat, ad assueta munia aptas reddit, coctiones restaurat, sanguinis, ac spirituum crasim firmat, quod ab aliis scindentibus, penetrantibus, absorbentibus medicamentis sperare inane prorsus est. Eorum enim actio a stomachi fermento infirmatur, obtunditur, atque in minimas moleculas divisa, cum fibrarum laxitatem, acidorum, mucosorumque, atque inertium succorum resistentiam multo majorem offendant, quam sit cuneorum, ac vectium salinarum potentia, eisdem penetrandis, attenuandis, ac fibris corroborandis inepta sunt, hinc parum, aut nihil quandoque levaminis afferunt. Diximus tunc solum convenire Martialia, cum adsit fibrarum laxitas. Si enim exhibeantur in nimia fibrarum tensione, ac rigiditate, vi, atque impetu in membranas agendo, easque plus æquo adstringendo ineptas assuetis muniis partes constituunt, atque dolores, tormina, aliasque molestias procreant. Adeo verum est, fibrarum rigiditatem, ac tensionem augere martialia, ut post illorum usum, vel in iis qui cachexia laborant, pallidus faciei, & totius corporis color in rutilum, & pulsus valde debilis, & languidus in fortem, ac febrilem mutetur.

Si acidum mucosis quisquiliis prævaleat, limatura martis &c.) Infinitæ fere sunt martis præparationes, quo passim speciosis titulis a chymicis insigniri solent, unde summam sibi famam, atque celebritatem compararunt. Illud tamen animadvertendum est, certis, ac constantibus, multis ac frequentibus accuratiorum practicorum observationibus compertum esse, illis quorum stomachus acido-viscidis, ac difficilibus humoribus involutis abundat, iisque fere omnibus, qui laxiori habitu donantur, ferrum crudum, & in substantia longe magis prodesse, quam officiosissima quæque arte chymica eodem parata medicamenta. Ubi acidum mucosis quisquiliis prævaleat, limaturam martis eximiam opem præstare facit potissimum, quod ferri particulæ acido facile uniuntur, dissolvuntur, ac citra ullius noxæ periculum vires suas exerunt.

XIII. *Si mucus iners prædominetur, syrup. Kalybeatus Willisii ..... tinctur. mart. acido extract. &c.*) Limatura ferri angores, vomitus, diarrhœas, tormina, aliaque molestissima symptomata excitare valet, si mucus iners prædominetur, quippe acutis cuneis non dissolutis vectis ad instar, ut perbelle exprimunt mechanici, scindendo, penetrando, ac stimulando agunt, unde nerveæ ventriculi, & intestinorum fibræ in spasmodicas contractiones vehementer adiguntur, atque abhinc insignes molestiæ facile excitantur. Quare salubre est practicorum consilium, tincturas ope succi vel liquoris cujusdam acidi ex ferro elicitas exhibere, ut optato fine potiri valeamus. Celebris est syrupus Willisii Kalybeatus dictus, qui etiam a Cl. Sydenhamo, Boerhaavio, Pitcarnio summis laudibus extollitur, cæterisque martis præparationibus facile anteponitur.

Fit nimirum Kalybis contriti (alii & rheum, & corticem Peruvianum, aliaque id genus addunt) vino rhenano infusione frigida per plures dies semper agitando vas. Dum nigrescit edulcoratur saccharo, & cinnamomo, & ægrotantibus ad unc. i. .s. præscribitur. Vinum enim rhenanum plurimum acidi tartari, salinique continet, unde acerbum, atque asperum est, ideo ad martis particulas dissolvendas menstruum opportunissimum, si quod aliud. Si vinum rhenanum defæcatissimum recens in cadum immittatur mundissimum, plurimum optimi tartari, quod aciditate insigni pollet, generari ostendit Cl. Boerhaavius (1). Quo apparet, pleraque vina, quæ plurimum olei, ac sulphuris continent, quæ lenia, &

(1) *Op. chym. p.* 1. *proc.* 50.

& mollia ſunt, quæque difficulter in acetum mutantur huic muneri inepta prorſus eſſe. Integram horum hiſtoriam vid. in Cl. Hoffmanno (1). Acetum porro, ac reliqui ſucci acidi eadem virtute præſtant, qua Vinum Rhenanum. Quapropter iſtorum ope tincturæ eliciuntur ex marte, quæ prædictis muneribus obeundis opportuniſſimæ exiſtunt.

XIV. *Uti ſalium digeſtivorum, ſic ſuccorum, & martialium uſui rhabarbari uſus &c.*) Quid emolumenti ex repetita pharmaci purgantis exhibitione ægris adferri poſſit, ſe ignorare prorſus teſtatus eſt Cl. Sydenhamus, quin vero plurima damna in eoſdem emanare, præſertim ſi *in corporibus imbecillibus, & in ætatibus tenellis exhibeantur, cum ex hac προφάσει ingens humorum colluvies in viſcera eliciatur, atque iis in partibus depoſita fermentationes præternaturales invitet, ex quibus deinceps tumores in infimo ventre oriuntur, tanto magis in dies mole augeſcentes, quanto ſæpius æger purgetur*. Recte quidem ſi de præpoſtera purgandi methodo, validioribuſque purgantibus ſermo ſit, inter quæ Electuari. catholic. ad unc. s. confect. Amech. ad unc. .s. decoct. epithym. Meſ. ad unc. vi. extract. hellebor. nigr. a ℈ ii. ad ʒ i. quæ tamquam melanogoga a quibuſdam adhibentur, eminent, quęque propterea ſemper veritus ſum. At ſi de commodiſſima illa purgandi ratione ſermo ſit, quam Epicraſim vocant, & de rhabarbaro, bona pace tanti viri dici vix poteſt, in quanta obſcuritate verſetur. Ad primum quod ſpectat, nemo ignorat, quæcumque pravos, vitioſoſque ſuccos, ac ſordes in primis viis, inque proximis viſceribus inhærentes alterare valent, ad expulſionem quoque aptos eos reddere. Quemadmodum vero non unus eſt alterandi modus, nec niſi repetito, ac diuturno alterantium diverſorum uſu (cujuſmodi ſunt ſales digeſtivi, plantæ ant-hypochondriacę dictę, martialia, aliaque hujuſmodi) prędictę ſordes ad evacuationem diſponuntur, ita non una tantum pharmaci purgantis exhibitione educi commode poſſunt. Ad Rhabarbarum quod attinet, ſi viſcerum glandulæ nimis arctę ſint, ut neceſſariis fluidis excipiendis non ſufficiant, pręſto eſt, quod propriis ſalibus, ac oleoſis, ſulphureiſque particulis illos laxiores reddit, & materiem impedientem evacuat, ſanguinis craſim, ſolidarumque partium, atque affectorum viſcerum ſtructuram emendat, unde nullum eodem efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius medicamen. Cl. Rhodius (2) mali hypochondriaci curationem repetito rhabarbari tantum uſu abſolviſſe omnem feliciſſimo cum ſucceſſu teſtatus eſt.

XV. *Prævalente muco inerti &c. pillulæ tartareæ Bontii &c.*) Proſtant in officinis pillulę quędam, quarum baſis Aloes eſt, & ad blandiſſime purgandum opportuniſſimę. In horum cenſu veniunt tartareę Schroderi, Quercetani, & aliæ, quas ſi percenſere numerando velim, nullum fere dicendi finem faciam. Celebres ſunt apud Hollandos pillulę illę tartareę Bontii, quarum hęc fere deſcriptio eſt.

℞. Alo. ſuccotrin. ʒ iii.
gum. ammoniac. ʒ i. s.
tartar. vitriol. ʒ s.
M. f. s. a. maſſa pillul.

Hiſce ſumma cum felicitate non ſemel uſus ſum in hypochondriacis affectionibus cum vehementi alvi adſtrictione, & doloribus conjunctis. Hæmorrhoidum fluxum, qui prius ceſſaverat magno ægrorum damno, denuo rediiſſe deprehendi. Cum operandi rationem ſedulo pro ingenii modulo ad examen revocarem, animadverti, Aloem valde acutis, penetrantibus, ſcindentibus fętam eſſe particulis, ammoniacum multis ſulphureis particulis cum ſalinis arcte conjunctis conſtare, tartarum vitriolatum ſalem ſalſum eſſe ex ſale tartari, & ſpiritus vitrioli portione emergentem, idcirco ad craſſas, viſcidaſque ſordes detergendas, mucoſas quiſquilias atterendas, atque evacuandas, ſimulque orificia vaſorum hæmorrhoidalium aperienda, atque hinc hæmorrhoidalem fluxum promovendum aptiſſimas exiſtere. Quibus ſane omnibus ad credendum vehementer adductus ſum, in ea tantum mali hypochondriaci ſpecie, in quo mucus iners prædominatur, eximiam præſtare opem, atque iis tantum convenire, qui ad immodicum fluxum proclives non ſunt. Quamvis enim haud inficias ire auſim, hæmorrhoidali fluxu ſuperveniente ægros in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitui poſſe, ut Dolæi, aliorumque obſervationibus comper-

(1) *Diſſert. phyſ. med. chym. 9. de vini Rhenani præſtant.*
(2) *cent. 2. obſ. 2.*

pertum eſt, cavendum tamen, ne immodicus earumdem fluxus ſubſequatur magno ægrorum diſcrimine.

XVI. *Opportuno tempore ad aquas acidulas &c.*) Aquæ acidulæ ab omnibus fere medicis cum Veteribus tum Recentioribus, moderniſque adeo probantur, commendanturque adverſus hypochondriacum malum, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, id ab aquis acidulis ſperari jure poſſe confidant. Mitto quę de inſigni earumdem efficacia commenti ſunt Sennertus, Claudinus, Montanus, Riverius, Williſius, Etmullerus, Baccius, Hoffmannus, Cyrillus, aliique fere innumeri, cum pro hiſce omnibus faciat elegans locus Jo. Gratiani (1), qui incomparabiles acidulis ineſſe facultates contra nonnullorum, præſertim vero Sylvatici, opinionem ad hypochondriacum malum debellandum adeo præclare oſtendit, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. *Cum enim*, inquit, *pars hujus aquæ ſpirituoſa mucilagineas ſordes primis viis, hiſque proximis viſceribus inhærentes diſſolvat, Martis vero vena acerbos, atque acidos ſapores corrigat, ac ſimul ſylveſtres ſales, tartarumque, ut placet Helmontio, hoſtem reſolutum deſtruat, continuo & dyſcraſiam viſcerum tolli, & coctiones omnes, ſecretioneſque humorum corrigi, ac propterea potiſſima Hypochondriacæ affectionis fundamenta ab imo convelli neceſſum eſt.* Quod de acidulis Recobarii in agro Vicentino effatus eſt egregie laudatus Auctor, idem plane verum eſt de acidulis in Helvetica ditione S. Mauritii, in agro Tridentino Vallis Solis, ut mittam quæ a Cl. Hoffmanno deſcribuntur in nobili opere de aquis medicatis, a Dom. du Clas, du Hamel, Lemeryo, Boulducio, Geoffroy, Burlet, Henrico ab Heer, aliiſque præclaris Auctoribus, quæ propterea in diverſis regionibus exhiberi poſſunt.

Tandem ad Lac) Paratis hac ratione primis, ſecundiſque viis, fluidarum partium, ſolidarumque textura eo redacta, ut hæ ad numerum pateant, illæ vero ubique, & æquabiliter fluere poſſint, quid ad irritationes omnes, & abhinc prodeuntes nervearum fibrarum convulſivas contractiones ſedandas, ad læves, politaſque particulas, quibus nutritio, vireſque reſtituantur, in ſanguinem introducendas lacte præſtantius? *Paratis* inquam *primis, ſecundiſque viis.* Cum enim ventriculus atque huic inhærentia viſcera corruptis, viſcidis, acidiſque humoribus ſcatent, ſi Lac exhibeatur, facillime in coagulum abit, ac corrumpitur, unde hypochondriacis nunquam non damno, & detrimento eſſe poteſt. Illud enimvero jure, meritoque affirmari poteſt de ventriculo, huicque proximis viſceribus rite nondum expurgatis, quod de corporibus impuris, quę quo magis nutriveris, eo magis læſeris. Quo loco fateor me juſtis laudibus ęquare non valere, quę in hanc rem tradidit Hippocrates: *Hunc* (nempe hypochondriacum) *medicamentis per ſuperiora, & inferiora purgato, poſteaque Lac Aſininum bibendum exhibeto.* Eximias lactis vires opportuno tempore exhibiti novit ipſe Etmullerus inquiens (2): *Lac, & omnia lacticinia præmiſſis univerſalibus ſunt optima, nam omne acidum vitioſum temperant, ſalſedinem acrem emendant, partes ſolidas nutritio rore humectant.*

XVII. *Cibi ſimplices ſint, ab acidis, a vino æger abſtineat.*) Cibi quo ſimpliciores ſunt, & facilioris coctionis, minus vereri fas eſt, ut in ſtomacho corrumpantur. Vinum ſaltem eo tempore, quo Lac exhibetur, cane pejus, & angue fugiendum eſt. Ejuſdem enim aciditate fit, ut ſimul ac ingeſtum eſt Lac corrumpatur, & aceſcat. Ultraquamquod quodcumque vinum etſi minime acidum, ſed lene, & molle ſit, præternaturale acidum generare valet, præſertim in iis, quorum ventriculus lentiſſimo muco ob pręcedentes indigeſtiones obſtructus eſt. Hinc eſt, hypochondriacos plerunque lędere, etiamſi Lac non aſſumatur. Statim enim ac ingeſtum eſt, aceſcit, & cum tormina ventriculi moleſtiſſima procreat, tum una cum chylo in ſanguinem invectum eumdem inquinat. Tunc vero, ut notat Waleſius (3), & Proſper Martianus (4), *Morbos ſola vini abſtinentia certe curari* ſentiendum eſt.

Tincturam abſynthii &c.) Inter ea, quę ſtomachi amicitia clara fecit, eminet Abſynthium, de quo Hippocrates (5), *Sæpe*, inquit, *& deinceps exhibitum flatum, & ventum in ventriculis fieri non ſinit.* Digeſtionem egregie promovet abſynthium, atque ad appetendos cibos excitat; idque potiſ-

(1) *diſſert. de acid. font. Recobar.* (2) *S. 9.* (3) *in aph. Hipp.*
(4) *lib. de aere, aq. & loc. n.* 10. (5) *lib. de inſan.*

tiſſimum oleo ſuo eſſentiali, & aromatico, quod ventriculi fibris laxioribus conſtringendis ac firmandis, tum etiam mucilagineis ſordibus ejuſdem parietibus tenaciter adhærentibus diſſolvendis opportuniſſimum exiſtit, ut præ cæteris Cl. Geoffroy (1) teſtatus eſt.

Tinctura Abſynthii, quę ope ardentis ſpiritus ex Abſynthio fermentato extracti paratur, longe præſtantior, & efficacior dicitur illa, quę per vini ſpiritum elicitur. Spiritus vero nonniſi multo ſtudio atque ſedulitate obtinetur. Difficillime enim fermentationem ſubeunt plantę, niſi certa quadam encheireſi ad eamdem diſponantur. Secus fętorem concipit maſſa, ac corrumpitur, nulliuſque plane uſus eſt ad ſpiritum, quem volunt chymici, extrahendum. Idem dicendum de tinctur. Ment. calamint. aliiſque elixiriis alibi recenſitis (2), quæ ſimiles fere vires ſortitę ſunt.

XVIII. *Si æger ſiccioris, & calidioris ſit habitus cum hypochondriorum æſtu &c. ſolo ol. amyg. dul. &c.*) Diverſam omnino a priore methodum inſtituendam eſſe ad hypochondriacum malum a nervearum partium ſenſili nimis conſtitutione, atque earumdem proclivitate inſigni in ſpaſmodicas contracturas, ab humoribus tenuibus, acribus in turbas facile abeuntibus, & orgaſmos oriundum profligandum adeo manifeſtum eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere putem. Illud potiſſimum eos invadit, qui ſiccioris, & rigidioris ſunt conſtitutionis, in quibus ſulphureę partes mirum in modum atteruntur, exſolvunturque, fluida concitato motu moventur, hinc calor per univerſum corpus, hinc febris, hypochondriorum ęſtus, aliaque ejuſmodi excitantur. Salibus alchalicis lixivioſis, purgantibus, martialibus corpus magis exſiccatur, & fibroſo generi ſtimuli adduntur, quibus vehementiores, & non ordinatas ejuſdem contractiones cieri contingit, & morbum augeri, aut confirmari. Solum igitur illa, quę convulſivas contractiones laxant, ac mulcent, quę univerſum corpus refrigerant, humorum orgaſmum compeſcunt, temperant, ac nutritio rore humectant, maximi ſunt emolumenti, atque ſalutis. In hac hypochondriaci mali ſpecie alvi durities inſignis adeſt, eaque potiſſimum pendet a tali inteſtinorum ſtrictura, ut inepta ſint ad fęces motu ſuo blando vermiculari expellendas. Oleum autem amygdalarum dulcium prępſto eſt non ſolum ſtricturas emolliendo, ſed ramoſis ſuis partibus acres, vellicanteſque humores involvendo, irretiendo, obtundendo, atque ad alvum prępcipitando.

Nec non Clyſteribus ex aqua hordei &c.) Si clyſteres frequenter injiciantur, non ſolum totum inteſtinorum canalem, ac viſcera imi ventris balnei ad inſtar refrigerari contingit, emolliri, ſed fęculentarum ſordium in iiſdem ſtabulantium expulſionem promoveri, humores continuo ad inteſtina invitari, hinc nervoſum genus recreari, ac fluidorum maſſam temperari. Remedium enimvero ſumma clinicorum omnium conſenſione, longoque uſu probatum, de quo verba faciens Riverius, *Novimus*, inquit, *quemdam Nobilem, qui ex frequentibus clyſteribus ita ſervatus fuit ab inveterata affectione, ut omnino curatus videretur, cum multa alia remedia fruſtra uſurpata fuiſſent.*

XIX. *Primo Vere ſuc. optim. depurat. portulac. cich. endiv. &c.*) Nimium fervorem, motumque compeſcendo, & blandiſſime attenuando, ſimulque acrium, atque vellicantium humorum excretionem per inſignes urinæ vias eliminando operantur plantæ quædam, quæ nitroſo ſale, aut ſale ammoniacali, qui nitrum quoddam inchoatum dici poteſt, fœtę ſunt, quæque inter refrigerantia recenſentur. Hujuſmodi ſunt Portulac. Cichor. Endiv. & Boerhaavio teſtante Fumaria. Iſtarum igitur ſucci ex juſculo tenerioris pulli, quo diluantur, atque facilior iiſdem aditus in ſanguinem præbeatur, vel eædem cum ſero lactis deſtillatæ, dici vix poteſt, quantæ in calidioribus, ſiccioribuſque conſtitutionibus efficacię ſint ad convulſivas nervearum fibrarum contractiones mulcendas, atque malum hypochondriacum calidum, ut ajunt, profligandum.

XX. *Æſtuoſa tempeſtate ad balnea aquæ dulcis*,) Balneorum efficaciam qui non cognoſcit ad hanc hypochondriaci mali ſpeciem debellandam, medicinam cognoſcit plane nullam. Non ſolum enim univerſi corporis exſuccas nimis, aridaſque fibras relaxari contingit, atque emolliri, ſed acres, vellicanteſque humorum particulas ad corporis peripheriam allici, atque apertis poris extra ejuſdem confinia educi. Huju-

(1) *Mat. Med. p.* 2. (2) *cap.* 1. *aph.* 21. *& com. ibid.*

juſce rei celebre extat exemplum in M. N. C. (1), ubi hypochondriacus quidam vir, cum aliquoties in balneum aquę dulcis deductus eſſet, tandem aqua balnei fętere cępit innatante ei ſaburra nigricante craſſa cum acredine in dies ſingulos augeſcente, ut inſignis in aqua putredo, odor graveolens, atque acerbitas manus aſſiſtentis vellicans oborta fuerit. Mirum novis quotidie adhibitis herbis, ac balneo ſępius repetito in perfectiſſimum valetudinis ſtatum ęgrum reſtitutum fuiſſe.

Aquas Villenſes, Nocerianas, vel Aciduſas.) In aquarum delectu non omnes conveniunt. Sunt qui aquas Villenſes, Nocerianas, aliaſque nulla manifeſta qualitate, ut docet eruditiſſimus Fernelius, inſignes, neque alio ſapore ullo, quam noſtrę potabiles, ſenſum feriente ebibendas jubent. Ab acidulis abſtinent, verentes, ne principiis quibus ſcatent activis nervorum genus nimis percellant, atque in ſpaſmos agant, humiditatem omnem exprimant, corpus exſiccent. Qua in re ſi quid ſentio, licet inficias ire non auſim, inſipidas aquas eo quod diluant, atque humectent in hypochondriaci mali ſpecie, de qua agimus, locum habere (quod facile de limpidi cujuſcumque vulgaris fontis uſu facile conceſſerim) cum tamen Acidulæ iis principiis ſcateant, quorum ope viam ſibi ad exitum parant, illud ſequitur, ut copioſe primum hauriri poſſint, nulla hinc repletione ſubſequente, quæ viſcerum languores, aut cachexias progignere valeat. Copia autem epotę ſuo ipſo pondere juvante ſolidas partes laxare, tubulos omnes, meatus, ac ductus ſecretionibus, atque excretionibus dicatos nimis adſtrictos, atque abhinc prodeuntes obſtructiones reſerare habent, unde ſalia in corpore oberrantia acida, auſtera, aut alio quovis modo nociva ſegregari contingit, nutritium humorem ęque diffundi, ac nervoſi generis convulſivas contractiones ſedari. Huc accedit, aquas acidulas terra calcaria donari, quæ abſorbendi ſumma vi pollet, unde acria excrementa abſorpta facile prępipitantur, & per inſignes excretionum vias foras eliminantur. Quod nonnulli notant, ab acidularum uſu corpora exſiccari, & humiditatem omnem abſumi, unde in ſtrigoſis, & exſuccis corporibus minus convenire videantur, egregie explicat Cl. Henricus ab Heer, dum illud intelligendum eſſe oſtendit de ſuperfluo aquoſo latice, qui in corporibus cachexia, vel hydrope affectis abundat: hæc enim corpora abſumto, quo præter naturam madefiebant, humore, exſiccantur, & macra redduntur. Hac de re plura alibi diximus (2). Sed ſi quis acidularum uſum reformidet adhuc, quod nimis activæ ſint prope fontem epotæ, aut ſimplices, vim earum infringere facile poterit, eas aqua dulci temperando, Nocerianas ſcilicet, vel ſimili, vel longe a fontibus ebibendo, ut ſpirituoſæ, volatilioreſque particulæ nonnihil ſecedant, avolentque, atque hac ratione mitiores evadant, ut hodie maxime apud accuratos quoſdam Practicos invaluiſſe, mihi conſtat eventu feliciſſimo.

XXI. *Tandem ad lac aſininum &c. .... Ocul. cancror. præp. &c.*) Si poſt univerſalia remedia, ventriculo, proximiſque viſceribus rite expurgatis a corruptis, viſcidis, acidiſque humoribus, lactis uſus optimus eſt in ea hypochondriacę affectionis ſpecie, in qua nulla nutritionis reſtaurandæ, fervorem, æſtumque ſanguinis compeſcendi viget indicatio; quanto magis locum habebit in ea, quæ hiſce potiſſimum, & fibrarum ſiccitate, rigiditateque, ac nutritii roris defectu clara redditur? Eoque magis, ſi cum abſorbentibus quibuſdam mitioribus, ac refrigerantibus remediis exhibeatur, ut ſunt ocul. cancror. matr. perlar. &c. quibus acria humorum ſpicula inepta proritando, mordendoque ſenſile plus quam decet nervorum genus, conſtituantur. Qui hæc diligenter teneat, facile etiam intelliget, cur ad corroborandum non abſynthiaca, non calidiora ſtomachica, ut ſunt tinctur. Ment. calamint. non elixiria ſpirituoſa, ſed mite quoddam electuarium ex confectione alcherm. pulv. e chelis cancror. raſur. Cor. cerv. Ebor. &c. commendaverim. Illa enim partibus ſuis volatilibus, tenuibuſque ad deficientem ſolidarum partium motum augendum, laxiores fibras firmandas, craſſas mucoſaſque quiſquilias incidendas, diſſolvendaſque aptiſſima ſunt, ita ut ſi in fibrarum rigiditate, criſpatura inſigni, atque tenſione, æſtuque hypochòndriorum adhibeantur, periculum non leve ſubſit, ne maximo cedant ægrotantium damno, ut fere de vomitu ab hoc fonte prodeunte dictum eſt (3).

(1) *Dec. 2. an. 6.* (2) *com. in aph. 15. cap. 5. lib. 2.* (3) *cap. 1. com. 13.*

XXII. *In quacumque mali hypochondriaci ſpecie motus corporis moderati, equitatio &c.*) Si quod tradit Seneca de tranquillitate animi: *Indulgendum eſt animo, dandumque ſubinde otium, quod alimenti, ac virium loco ſit, & in ambulationibus apertis vagandum, ut cælo libero, & multo ſpiritu augeat, attollatque ſe animus; aliquando vectatio, itemque & mutata regio vigorem dabunt &c.* ullo in morbo locum habet, maxime habet in malo hypochondriaco. Quocumque nempe motu corporis, præſertim ſub aere ſereno, & aprico matutinis, vel veſpertinis horis uſque ad lenem corporis incaleſcentiam perſpiratio augetur majorem in modum, hinc ſanguinem a recrementis repurgari contingit, ſecretiones omnes, excretioneſque promoveri, ac corpus alacrius fieri: Equitatione vero viſcera imi ventris præſertim ſuccutiuntur, qua ſuccuſſione fordes iiſdem tenaciter adhærentes dimoveri, ſanguinis circulationem per meſenterium, & viſcera imi ventris promoveri, ſolidarum partium, ac præſertim ſtomachi tonum firmari, ad aſſueta munia aptum reddi, atque hac ratione hypochondriacæ affectionis fundamenta convelli adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Socrates dum ſolebat quotidie fere uſque ad veſperam contentius ambulare, a quodam interrogatus cur hoc faceret? reſpondit, *quo melius cœnem*. Quibus oſtendit vir ſapientiſſimus ambulationis uſum tum ad ciborum appetitum, tum ad cruditates omnes abſumendas plurimum facere, ut ex Cicerone (1). De commodis ex equitatione oriundis egregie loquutus eſt Oribaſius (2), ubi habet: *Equitatio magis, quam omnes reliquæ exercitationes, corpus præſervat, ſtomachum, & ſenſuum organa confirmat*. Capite vero de equitatione: *Si vehementer impellatur equus, quamvis totum corpus laborioſe concutiat, tamen aliquid utilitatis affert; ſiquidem magis, quam omnes aliæ exercitationes, corpus, & præſertim ſtomachum firmat*. Si Sydenhamum audimus, tanti facit equitationem in malo hypochondriaco, ut eamdem cæteris omnibus auxiliis ad hunc morbum profligandum opportuniſſimis facile anteponat. Imo Sacerdotis cujuſdam meminit, quem malum hypochondriacum dire exercebat, ſola equitatione, nullo alio pharmaco ſanati.

A quibuſcumque mentis laboribus a paſtu præſertim abſtineat æger &c.) A quibuſcumque mentis laboribus maxime a paſtu abſtinendum eſſe facit potiſſimum ea ratio, quod avocatis a ventriculo, cæteriſque viſceribus chyloſi dicatis ſpiritibus ad cerebrum, ciborum coctio labefactatur, ac flatus, cruditateſque in ventriculo generantur, quibus morbus intenditur, aut confirmatur. In hunc locum egregie cadit, quod tradit Valerius Maximus (3): *Danda eſt remiſſio animis: Meliores, acrioreſque requieti ſurgent. Ut fertilitas agris non eſt imperanda, cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit*.

Si fieri poteſt, ſola victus ratione gubernetur.) Si ullus morbus diligentia victus gubernandus eſt (ut perbelle ait Plato in Timæo) ille eſt præ cæteris malum hypochondriacum. Quod ſcite admodum, prudenterque præſtitit Aſclepiades, ut refert Celſus (4): *Cum enim putaret, omnia fere medicamenta ſtomachum lædere, malique ſucci eſſe, ad ipſius victus rationem omnem ſuam curam tranſtulit*.

Victus utilitatem, ac præſtantiam in curandis morbis novit inter Arabes Medicinæ Magiſter nemini ſecundus Jo. Rhazes, qui ſcriptum reliquit (5): *Bonum eſt doctori, quod diætis ægritudinem removeat, vel curet, ſi poteſt, & non cum medicinis*. Et vero plebejos, ruſticos, eoſque omnes, qui Medicis non utuntur, truculentis adeo morbis, ut nulla arte profligari poſſe juratus crederes, liberari quotidie videmus, dum alii, iique maxime, quos ambitio ducit ad peregrinas, rarioreſque merces adhibendas, in pejus continuo labuntur, ac ſæpiſſime periclitantur. Egregie inquit Sanctorius (6): *Nobilium fere nemo cum remediis ſanatur, qui peſte laborat, plebeji vero ſine plures ſanantur*.

(1) *lib.* 3. *Tuſcul. quæſt.* (2) *lib.* 4. *cap.* 24.
(3) *lib.* 3. *c.* 6. (4) *lib.* 5. *in præf.*
(5) 6. *aph. lib.* (6) *ſect.* 1. *aph.* 139.

CA-

CAPUT IX.

De Scorbuto.

I. *Affectionis hypochondriacæ ſummus gradus ſcorbutus eſt, morbus Veteribus ſatis notus, non adeo frequens apud nos, ut vulgo creditur.*

II. *Cauſa proxima eſt ſanguinis, cæterorumque fluidorum acor inſignis, qui pro varia partium ſulphurearum, ſalinarumque exſolutione, commixtione, atque mutuo nexu in dyſcraſiam acrem, ſalſam, muriaticam ſolidas exedentem partes degenerat.*

III. *Septentrionalibus Populis, iiſque maxime, qui vicini ſunt Mari, itinera per Mare inſtituunt, nautis, qui carnibus fumo induratis, pane biſcocto, aqua putrida, verminoſa utuntur, qui ſalitis piſcibus, carnibus ſuillis, aut bubulis ſale, aceto conditis, caſeo pariter ſalito frequentius veſcuntur, familiaris morbus eſt.*

IV. *An atrabilarius humor, an ſolum lien accuſandus in hoc morbo?*

V. *Acidum Scorbutum præ cæteris comitatur difficilis, anheloſa ad levem quemcumque motum reſpiratio, ad ſomnum proclivitas, crurum tumor, genuum titubatio, maculæ rubræ, lividæ, nigricantes, crura eadem occupantes, gingivæ tumentes, oris fœtor incipiens, dolores dentes, caput, crura, ſuraſque, abdomen, artus gravantes, paralyſis.*

VI. *Gingivarum putredo, eroſio, dentium caries, ſcabies, impetigines, cruſtæ, ulcera cutem deturpantia, arenulæ rubræ, & friabiles in ima urina ſubſidentes, quæ oleoſa ſit, varioque eleganti colore in ima ſuperficie notata, vomitus, diarrhœę, dyſenteriæ, hæmorrhagiæ, corporis ſiccitas, tabes ſalſedinem humorum muriaticam arguunt.*

VII. *Graviora hæc, & dirius ægrum exercentia cum ſiti inextinguibili, calore, æſtuque corporis intolerabili, rubore intenſo, acredinem deſignant.*

VIII. *In Scorbuto acido paullo acriora, quam in affectione hypochondriaca viſa ſunt convenire. Ea tamen acidis temperata, ſero lactis diluta ſint. Sequenti ſero deſtillato ſumma cum felicitate uſus ſum.* ℞. *Cochlear. recent. florid. Naſturt. aquat. Beccabung. Acetoſ. a Lib. IV. In mortario lapideo omnia ſimul conterantur, & in vaſe æneo ſtanno obducto indantur, dein ſuperinfundantur Ser. Caprin. Lib. XX. Vas operiatur capitello vitreo & f. s. a. deſtil. uſque ad claritatem, quæ ad uſum ſervetur incipiendo ab unc. vi. uſque ad x. mane quotidie jejuno ſtomacho propinandis. Ejus loco in iis, qui laxioris ſunt habitus, ſint ſuc. raphan. ruſtican. naſturt. hortenſ. perſicar. ſynapeos ad unc. iii. circiter opt. depur. exhibendi ex juſculo tener. pul. cum marte diaphor., vel tinctur. antimon. nitrat. a ♃ i. ad ℥ .s., vel Magiſt. Mart. Mynſicht. a ℥ .s. ad ʒ i.*

IX. *Sero lactis, vel ſuccis ſuccedat ſequens decoctum.* ♃. *Sarſ. peril. elect. inciſ. radic. Chin. Santalor. rubror. a ℥ raſur. Cor. Cer. Ebor. a ʒ i. fol. cochlea. acetoſ. a M. s. aq. font. Lib. iv. ranar. excortic. cancror. fluviat. n. iv. in vaſe deſtillator. in B. M. ebul. uſque ad conſumpt. tertiæ partis, colatura detur ad unc. x. mane ægro lecto cubanti per XXX. circiter dies, præmiſſo bolo ex Mercur. diaphoret. Thompſ. gr. vi. ad xii. cum extract. Guajaco. q. ſ. m.*

X. *Mercurialia ſalivationem moventia, atque purgantia acriora minus tuta. Pillulæ tamen Paracelſ. de Fumar. fœtid. major. ad ℥ ii. mercur. dulc. gr. x. ad xii. dictis remediis intermiſceri commode poſſunt qualibet octava circiter die.*

XI. *Aquæ acidulæ, ac tandem lactis aſinini uſus cum antiſcorbuticis medicamentis cæteris palmam præripiunt. Quare Lac cum ſpiritu acri cochlear. a gut. XX. ad XXX. vel ex decoct baccar. Juniper. exhibeatur.*

XII. *In Scorbuto ab acredine oriundo contentus ſum ſucco Acetoſ. Acetoſel. ad unc. iii. quotidie ex decoct. earumdem plantarum propinando. Hujuſce loco ſint ſucci Limon. Citr. Aurantiorum ab unc. i. ad unc. ii. nec non ſpiritus nitr. dulcif. a ʒ. s. ad ℥ i. in aq. Acetoſ. Acetoſel. vel in ſero lactis deſtillato diu repetitis, quibus intermiſceatur blanda purgatio ex Man el. ad unc. vi. nitr. puriſ. ʒ i. M. cum ſero lactis q. s. f. potio.*

XIII. *Ad thermopotationem opportuno tempore, ad lactis uſum deveniendum tandem.*

XIV. *In Scorbuto ſalſ. ſuc. optim. deputat. Fumar. Naſturt. aquat. Beccabung. Taraxac. Sonch. Endiv. Borragin. Bugloſ. Meliſ. pomor. dulc. ad unc. iii. ex juſculo ju-*

nioris pulli mira præstant. Jusculum vel serum lactis iisdem herbis alteratum bihorio post exhibendum, & repetendum vespere. Macerationes quoque, & destillationes ex iisdem succis, ut n. 8. locum habent: ita & purgantia.

XV. Si æger laxioris, atque humidioris sit habitus, decoctum ex sarsa &c. descriptum n. 9. addendo viperam, & loco Cochleariæ, Fumariam hic quoque adhibendum.

XVI. Ad aquas B. Mariæ Virginis, ad balnea, tandem ad Lac ex decoct. Sars. peril. confugiendum.

XVII. Gengivæ erosæ ac putridæ tinctura Laccæ Amynsicht sæpius in die abluantur, vel sequenti collutorio. ℞. suc. sarmentor. vit. alb. unc. vi. Acet. optim. Mel. a unc. ii. M. pro usu dicto. Alio modo præparatum, & deglutitum ad Lib. i. quotidie specificum insigne est. Sit autem. ℞. suc. sarmentor. vit. alb. Lib. ii. Mel. optim. Lib. i. Mandib. Luc. pis. non præp. p. ℥ ii. M. capiat mane jejuno stomacho superbibendo juscu-lum calidum. Loco succi sarmentorum, succus pampinorum viridium esse potest eadem dosi.

XVIII. Ulcera oris profunda aq. virid. Hartman. per plures dies, mox sal. saturn. Cerus. a ℥ i. balsam. Copaib. subactis pertractanda.

CAPUT IX.

De Scorbuto.

I. *Affectionis hypochondriacæ summus gradus Scorbutus est, morbus Veteribus satis notus &c.*) Illorum opinionem, qui Scorbutum Veteribus incognitum fuisse voluerunt, præstantissimi Medici, quos inter Sennertus, Langius, Willisius, Charletonus, aliique plures egregie refutarunt, atque ex Veterum eorumdem monumentis, præsertim vero Hippocratis (1), Plinii (2), Aretæi, aliorumque, neque recentem morbum esse, neque Veteribus ipsis prætervisum, licet minus accurate descriptum, aliisque nominibus insignitum, perbelle deduxerunt. Cachexię autem nomine ipsis innotuisse Cęlius Aurelianus (3) & Sylvius (4) ostenderunt.

Non adeo frequens apud nos &c.) Adeo familiaris nobis creditur Scorbutus, ut morborum plerorumque genuinam, ac veram naturam ignorantes minus docti Medici eosdem ad Scorbuticam acrimoniam referant. Quam fraudem prędare agnoscens Sydenhamus se continere non potuit, quin hos altiori voce damnaret, atque multos ex iis affectibus, qui Scorbutici audiunt, vel effecta morborum fientium, vel reliquias nondum perfecte devictorum esse contenderet (5).

II. *Causa proxima est sanguinis, cæterorumque fluidorum acor &c.*) *Inesse in homine & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita &c. atque hæc quidem justa, ac inter se temperata, neque conspicua fieri, neque hominem lædere* docuit Hippocrates (6). Quæ si sano modo interpretemur, liquet nihil aliud significare voluisse, quam multis, ac variis principiis humani corporis alligatis mutuo, & firmiter connexis optimum, ac perfectum valetudinis statum constitui. Quo autem loco subdit: *Ubi vero horum quidpiam secretum fuerit, atque ipsum in se ipso steterit, tunc & conspicuum est, & hominem lædit:* nihil aliud inferre voluisse, quam dissolutionem illius nexus, ac vinculi, quo pro optima valetudine constituenda alligari mutuo, & firmiter conjungi debent varia illa genera partium, quibus cum fluida nostri corporis, tum solida componuntur. Dissolvi autem potest nexus ille plurimis modis. Primum si salinæ partes a sulphureis, & terrestribus partibus secernantur, unde acor emergit. Nemo ignorat, acorem peracutum esse sensum punctionis (sapores jam omnes lævitate quadam, & asperitate fieri docuit Plato in Timæo.) Acorem igitur ab acutis, rigidisque mixtorum partibus gigni manifesta res est. Cum vero salinę partes asperitate, acutie, rigiditate cæteris antecellant, consequens est, ut cum salinæ partes a sulphureis, & terrestribus secernuntur, acor in sanguine emergat, qui cum affectionis hypochondriacæ causa sit, ut ex allatis manifestum est, eumdem & Sorbuti esse facile judicaverim, si depressis omnino sulphureis, spirituosisque partibus prędter modum exaltetur,

(1) *lib. de inter. affect. tex.* 34. & 39. *lib.* 2. *præd. s.* 2.
(2) *hist. nat. lib.* 25. *cap.* 3. (3) *lib.* 3. (4) *pag.* 704.
(5) *Opusc. med. de rheumatis.* (6) *Lib. de veter. medic.*

tetur, unde ſanguis ad inſtar vini rancidi, ac mucilaginoſi fiat, ut Sennertus (1) oſtendit.

In dyſcraſiam acrem.) Quoniam exaltati acidi eſt mordere ſolidas partes, pungere, atque corrodere, ut notant Plato (2), Galenus (3), Williſius (4), conſequens eſt, ut in vehementiores, validioreſque contractiones agantur vaſorum tunicæ, atque hinc aucto fluidorum motu ſulphur licet ramoſum, atque implexum a mixtorum vinculo expediatur, diſſolvaturque, & cum ſale, qui primigenius a chymicis appellatur, inſignis acutiei intime miſceatur; quæ duo unita, & volatilia facta, ſuperante tamen ſulphure inſignem acredinem ſanguini, & reliquis fluidis conciliant: non ſecus ac ex vegetabilibus fermentatis ardens ſpiritus habetur, non alia de cauſa, niſi quia fermentatione eorum ſulphur diſſolvitur, & cum ſale primigenio intime miſcetur. Contingit acredo hęc potiſſimum in temperamentis calidioribus, & aduſtis, in quibus ſulphureæ partes facile attenuantur, & cum ſalinis miſcentur.

Salſam Muriaticam) Niſi ſulphur aucto ſolidorum motu tanta in copia diſſolvatur, ut unitum cum ſale acredinem in ſanguinem inducat, illud ſaltem ſequitur, ut tenuibus, & aquoſis partibus ſanguinis reſolutis, ac diſſipatis, fixiores, terreæ, oleoſæ quaſi uſtæ remaneant, vel ſulphureæ minori quantitate exſolvantur, ideoque unitæ cum ſalinis ſalſum muriaticum ſolidas partes exedentem progignant. A ſalſo Scorbutum, alioſque humanum corpus infeſtantes morbos frequentius oriri, quam ab acido, aut acri liquet ex Cl. Roberti Boylei, aliorumque obſervationibus, quibus compertum eſt, nullum frequentius ſalem in humano corpore reperiri, quam ſalſum, acidum nunquam ſenſibiliter apparere, acrem raro ſe prodere. Quibus, quemadmodum alchali, & acidi propugnatores, qui in ea ſunt opinione, ut credant, ſalſum in humano corpore vel in acidum, vel in alchaleſcentem acrem converti, acquieturi ſint, viderint alii. Sed hac de re plura alibi dicemus. Quam mira res videtur, ut a ſale, cujus neceſſitas tanta eſt, ut ſine eodem vix, ac ne vix quidem conſiſtere hominum vita poſſit, a quo fames excitatur, ſaporibus gratia conciliatur, fluiditas, ac tenuitas ſanguini, cæteriſque humoribus debita tribuitur, teſte Plutarcho (5), alvus, urina, juxta Hippocratem (6) cęteræque excretiones omnes, ſecretioneſque promoventur, nimia obeſitas, qua pleraque animalia, pecudes ægrotant, unanimi Medicorum conſenſu, Plutarchi præſertim, & Hippocratis (7), teſtimonio tollitur, corporum putredo pręcavetur, ut propterea Veterum olim mos fuerit, liberos recens natos muria abluendi exiſtimantium hac ratione corpus firmari, & indurari, ſi fides habenda ſit Cęlio Rhodigino in S. lectionibus, qui etiam memorat, Ægyptios mumiarum pręparationes, & cadaverum balſamationes ſalis ope adornaſſe, & perfeciſſe, Venus excitatur, ut propterea ſolemne fuerit Sacerdotibus Ægyptii, ut præclare oſtendit laud. Plutarchus (8), ſalem in cibis non adhibere, ut continentiam, ac caſtitatem ſervarent, alięque innumeræ utilitates, & commoda proficiſcuntur, quam mira, inquam, res videtur, ut ſi modum excedat, innumeræ fere moleſtiæ, eæque graviſſimę hominibus inferantur, Scorbutus, aliique fędiſſimi morbi enaſcantur.

III. *Septentrionalibus populis, iiſque maxime, qui vicini ſunt Mari &c.*) Hollandis, Anglis, Suecis, Danis, Norvegis, Germanis Septentrionalibus, ſeu inferioribus familiarem eſſe morbum tradunt rerum Scriptores. Obſervatione autem dignum eſt, eos maxime infectos eſſe, qui vicini ſunt Mari, atque itinera per Mare inſtituunt. Quæ res anſam dedit pleriſque ad vehementer credendum, eos ſalſo, ac muriatico Scorbuto frequentiſſime torqueri. Ventos a Mari fluentes ſalem deferre communiter reputatur. Illos porro, qui inter brumalem Solis exortum, & occaſum perfluunt, auſtrum in primis, ſalſum inducere docuit Hippocrates (9): *Quæ enim Civitas*, inquit, *ad hos ventos ſita eſt, ejus aquæ multæ, & ſalſæ ſunt*. Opinionem porro hancce multa confirmare videntur. Et primo quidem, quod ejuſmodi populis familiares ſint maxime cibi ſale, & aceto conditi, & fumo indurati. De ſalſis quidem, & fumo induratis manifeſtior res eſt, quam ut ullis ra-

(1) *Tract. de Scorb. cap.* 2. (2) *loc. cit.* (3) *De S. M. F. cap.* 35. (4) 35. *de anim. brutor. cap.* 12. (5) *In quæſt. nat.* (6) *lib. de affect.* (7) *De ſal. diæt. n.* 6. (8) *S.* 3. *quæſt.* 10. (9) *lib. de aer. aq. & loc.*

rationibus poſſit comprobari. Sal enim, quo abundant, eorum ſulphuri ventriculi attritione, & calore diſſoluto permiſcetur, atque in acrem, aut ſalſum ſuccum abit, quod experimento confirmant chymici, qui bubulum ſanguinem cum ſale marino coquentes ſalem alchalicum urinoſum conficiunt. Acidorum autem intemperatus uſus ſalſum non in omnibus gignit, ſed tantum in corporibus ſiccioribus, ac fervidioribus. Cum enim ſalem ſalſum ex acido, & acri conſtare manifeſtum ſit, conſequens eſt, ut ubi acida miſceantur, & coeant cum acribus ſulphureiſque partibus, quibus eadem corpora referta ſunt, in ſalſum convertantur. Quod ſi laxiora ſint corpora, mollia, atque imbecillia, quæ ſanguinem habent craſſum, viſcidum, ac lentum, deficientibus acribus, ſulphureiſque partibus, cum quibus acida coeant, acor prętернaturalis generatur, atque abhinc ſcorbutus exoritur.

IV. *An atrabilarius humor, an ſolum lien &c.*) Opinio fuit maxime celebris, Scorbutum ab atrabilario humore repetendum eſſe, eumque potiſſimum a liene progigni, qui fæculentum a ſanguine humorem melancholicum dictum repurgare nequeat, imo in ſuis ductibus retentum depravet, commutetque in atrabilarium. Quæ ſententia licet rejecto jam quaternario humorum numero per ſe corruat, eamdem etiam tamquam figmentum quoddam rejiciendam eſſe evincunt obſervationes præſtantiſſimorum virorum, Sennerti (1), Horſtii, (2), Foreſti, Williſii, aliorumque, quibus compertum eſt, omentum, hepar, aliaque imi ventris viſcera mirum in modum labefactari. Quid opus eſt pluribus? Scorbutum gradu tantum a malo hypochondriaco differre ex ſuperius allatis manifeſtum eſt. Cum vero in malo hypochondriaco non unum viſcus ſit accuſandum, nec unicum læſionis genus, unicum in Scorbuto accuſare velle ridiculum eſt.

V. *Acidum Scorbutum præ cæteris comitatur difficilis, anheloſa ad levem quemcumque motum reſpiratio, ad ſomnum &c.*) Scorbuto acido laborantes difficulter reſpirare, anhelos, torpidos, & enerves fieri cum laſſitudinibus corporis, præſertim artuum, accuratiores practici cum Cl. Williſio tradiderunt. *Acido*, inquam, a quo vix, ac ne vix quidem differre videtur Scorbutus a dyſcraſia ſanguinis ſulphureo ſalina, a qua prædicta ſymptomata exoriri præclarus Auctor affirmavit. Quod quidem non aliunde repetendum eſſe facile judicaverim, quam ex eo quod acidum craſſitiem, lentoremque ſanguinis excitat, tenujores, fluidioreſque partes cogit, ac figit, unde ęgre per vaſa minima noſtri corporis movetur, ſpiritus etiam ab eodem vel pauci admodum, vel torpentes ſeparantur, ac per nervos in partes motui cum volunrario, tum naturali inſervientes tranſmittuntur, hinc languere ſanguinis, ac ſolidarum partium motum neceſſe eſt. Si ſubſiſtat ſanguis in pulmonibus, orietur difficilis reſpiratio, anheluſque reddetur ęger, ſi in cerebro, proclivitas ad ſomnum.

Crurum tumor, genuum titubatio &c.) Languebit vero motus ſanguinis eo magis, quo longius, & remotius a corde recedet, unde minimum eſt vis impellentis momentum, ac fluidorum permeantium celeritas, hinc crurum tumor, ac genuum titubatio. Eadem de cauſa rubrę, ac fibroſæ ſanguinis partes in minimis capillaribus cutis vaſculis longiſſime a corde diſſitis ſubſiſtentes maculas violaceas, purpureas, lividas, prout ſanguinis conditio dabit, excitabunt. Subſiſtentes circa gingivas tumorem earumdem efficient. Non poteſt autem diu ſubſiſtere ſanguis, quin fermentationem ſubeat, ſeu mavis cum Pitcarnio putreſcat, unde oris fœtor incipiens. Ex ſalinarum particularum exaltatione inſigni, maximoque ſanguinis, ac liquoris nervei acore, ac mordacitate peculiares nervos, qui per longum maxillæ in faſciculos diſpoſiti ſingulis dentibus proſpiciunt, violenter convellentis, aut membranarum folliculum, qui intra dentium lamellas, & radices continetur, vaſis, & glandulis refertum divellentis, immanis dentium dolor proficiſcitur. Ex eadem convulſione, divulſione nervearum fibrillarum meninges, & cerebrum conſtituentium orientur acerbiſſimi capitis dolores. Cauſa eadem circa articulos arthritidem vagam ſcorbuticam, circa ſpinalem medullam agens ea ratione, qua denegetur ſpirituum animalium in partes motui voluntario, & ſenſibus externis inſervientes paralyſim excitabit, malum ſcorbuto laborantibus frequentiſſimum ſi quod aliud.

VI.

(1) *lib. 3. medic. pract. ſect. 2. cap. 2.*

(2) *tract. de Scorb. ſect. 2.*

VI. *Gingivarum putredo, eroſio, dentium caries, ſcabies, impetigines &c.*) Jam ad alteram Scorbuti ſpeciem ventum eſt, in qua præter ſalinas partes ſulphureæ exaltantur, quæ ſimul commixtæ acredinem, aut ſi minor fuerit ſulphurearum particularum exaltatio, ſalſedinem progignunt, a quibus & gingivarum eroſio inſignis, & dentium caries, & ſcabies, aliaque cutim deturpantia mala exoriuntur. Si enim loco mitis illius blandique ſucci, qui per ſalivales, aut cutis glandulas excerni debet, ſeparetur humor, acrium, ſalſorumque ſalium copia ſaturatus continuum ſolvit, puſtulas, ulcuſcula excitat, quæ ſcabiem, aliaque id genus mala conſtituunt.

Arenulæ rubræ, & friabiles in ima urina ſubſidentes, quæ oleoſa &c.) Ab acribus, ſulphureiſque particulis præpollentibus univerſa ſanguinis maſſa funditur, colliquaturque, ineptaque fit non ſolum ad alendum corpus, ſed ad abripiendum quidquid nutritii roris, & pinguedinis in eo eſt; hinc oleoſæ urinæ apparent, varioque colore caudæ pavonis ad inſtar, aut Iridis eleganter notatæ, quas vomitus, diarrhœæ, dyſenteriæ, hæmorrhagiæ, e propriis vaſis affluentibus humoribus, excipiunt. Quamquam vero non tantum pinguedo abraſa, & colliquata, ſed quaſi cuticula ſalinarum molecularum, quæ in ſuperficie ſuſtentantur, appareat: Cujus quidem rei certiſſimum argumentum illud eſt, quod urinæ intenſe rubeſcant, & rutilent, & poſtmodum arenulas deponant friabiles, quod phænomenon Scorbuticis præſertim macie conſumptis adeo familiare eſt, ut nullum magis.

VII. *Graviora hæc, & dirius ægrum exercentia cum ſiti inextinguibili &c. acredinem deſignant.*) Acre anceps nomen eſt apud Veteres philoſophos, & medicos. Acre enim audit ipſis quidquid nerveas fibras moleſte afficit, ſive acidum, ſive auſterum, ſive ſalſum ſit. Acre tamen proprie dictum ſignificare ſaporem ab aliis omnibus diverſum, apparet vel ex eo, quod acria cum caloris ſenſu mordere ſoleant nerveas fibras, ut notat Plato (1), & Galenus (2). Hinc non mirum, ſi Scorbutus a ſanguinis acredine oriundus graviora excitet ſymptomata, & ſitim inexſtinguibilem, æſtum corporis, aliaque id genus. Memorabilis eſt obſervatio, quæ extat *in M. N. C.* (3), de ſanguine tanta acredine prædito, ut unica ejus guttula ſecta vena ad denudatum brachium cadens non ſolum cuticulam, excitata in ea veſicula, ſed etiam ſubjectam cutim cum eſchara, lanceolam autem in cuſpide livido tinctam colore, atque adeo friabilem reddiderit, ut levi attritu in particulas abire potuerit. Minus mirari ſubit, vulneratum non tantum ſanguinem, ſed etiam carunculas membranulis, & venulis conſpicuas per alvum, urinam, vomitum, tuſſim egeſſiſſe. Similis ſanguinis conſtitutionis meminit etiam Bonetus (4). Urinam Scorbuticorum lintea corrodentem vidiſſe, & Sennertus (5) & Doringius (6), & Salmuthius (7), teſtati ſunt. Similis quoque urinæ exemplum vid. in *M. N. C.* (8). Tanta eſt vis acrium, ac cauſticorum ſalium, qui in ſanguine, reliquiſque ſuccis exaltantur.

VIII. *In Scorbuto acido paulo acriora, quam in affectione hypochondriaca &c.*) Ubi hactenus de triplici acrimonia Scorbutica allata ad examen revocaveris, vix, ac ne vix quidem in fraudem induci poteris in Scorbuti curatione inſtituenda. Ubi enim acorem in ſanguine, & reliquis fluidis exaltatum eſſe probe noveris, depreſſis ſulphureis, ſpirituoſiſque particulis, ea in uſum eſſe vocanda facile intelliges, quæ ſale volatili acri abundant, quæ extimulando vaſa, & viſcera eadem in validiores contractiones agunt, quæque ſanguinis moleculas penetrando, ſcindendo ejuſdem principia ſolvunt, & ſi quid lentum, viſcidumque eſt abſtergunt. Ejuſmodi ſunt vegetabilia quædam, quæ antiſcorbutica dicuntur, Cochlear. Trifol. fibrin. perſicar. raphan. ruſtican. & alia. Raphanus ruſticanus præ cæteris cujuſdam olei adeo ſubtilis dives eſt, ut piſtillo contuſus odorem emittat membranam narium ſic ferientem, ut violentas ſternutationes, lacrymationes inſignes excitet. Acrium ejuſcemodi vegetabilium ſuccos ſanguinem intra vaſa diſſolvere ſupra oſtendimus. Mirum autem extra vaſa eumdem co-

(1) *loc. cit.* (2) *De S. M. F. lib.* 1. *cap.* 37. (3) *Dec.* 2. *an.* 2.
(4) *Med. Septentrion. p.* 2. *l.* 2. *ſect.* 22. *obſ.* 2.
(5) *tr. de conſen. & diſſen chymicor. lib.* 1. *cap.* 16.
(6) *tr. de ſcorb.* (7) *cent.* 2. *obſ.* 4. (8) *Dec.* 2. *an.* 8.

cogere, ut experimentis Cl. Pitcarnii (1) compertum eſt. Quo magis patet, vires ſuas potiſſimum exercere in ſolidas partes eaſdem extimulando, & in crebriores, vehementioreſque contractiones adigendo, quod dici vix poteſt, quantum ad diſſolvendum ſanguinem faciat.

Ea tamen acidis temperata, ſero lactis diluta ſint.) Caute autem iiſdem utendum, ne dum ſanguinem ſolvere, aciditatemque corrigere volumus, ineptas muneribus ſuis ſolidas partes conſtituamus, vel ſulphureas partes nimis terendo, fundendoque acredinem humorum, atque abhinc prodeuntem Scorbutum excitemus. Quapropter ſalubre practicorum conſilium Sydenhami præeunte exemplo, plantarum antiſcorbuticarum acrium ſuccos acido aurantiorum, vel citrinorum malorum ſucco, vel ſimilibus temperatos præſcribere. Illi enim ſale volatili oleoſo, acri, hi vero acido turgeſcunt, ex quorum mixtura media qualitas exſurgit, quæ ad acorem in ſanguine, & reliquis fluidis exaltatum corrigendum, atque abhinc prodeuntis Scorbuti profligationem exiſtit opportuniſſima.

Miti ſale acido conſtat Acetoſa. Frequens propterea ejus uſus eſt, & valde proficuus. Refert Thomas Bartholinus (2), Groenlandos populos Scorbuto miſere vexari, ſolitos ſanari miſcendo cochleariam, & acetoſam ſimul in ſuis juſculis avenaceis, vel hordeaceis. Has duas plantas copioſe ſimul creſcere in hac regione, quaſi ſeorſim ſumi non debeant, ne ſeparatæ noceant. Quid ſi ſero lactis diluantur? Prętер quamquod ad ſolidarum partium ſpaſmos relaxandos, atque emolliendos, eaſque ab ulteriori vellicatione, morſu, atque eroſione muniendas plurimum facit, accedit præterea, ad abſtergendum, aperiendum, & pravos vitioſoſque ſuccos per inſignes urinę vias extra corporis confinia educendos opportuniſſimum exiſtere. Idque omnes facile concedunt, qui de Scorbuto ex inſtituto egerunt, quos infra videbimus. Egregius prę cęteris eſt Cl. Jo. Wieri locus (3) de ſeri lactis efficacia: *Si in lacte*, inquit, *plantas antiſcorbuticas coquant, expreſſumque liquorem felici ſucceſſu hauriant ægroti, id ſeri magis, quam lactis ratione evenire cenſendum. In cribro butyri, & caſei coagulum remanet; Serum autem, quod transfluit, & tenujum partium eſt, abſtergit, aperit, urinas movet, atque ad Scorbuticæ luis profligationem cum primis utile ex priſcorum etiam Aetii, Galeni teſtimoniis eſt.*

IX. ..... *Sarſ. peril. elect. radic. Chin. Santalor. rubor. &c.*) Ad viſcidiores ſanguinis partes, & quę facile in ſolidarum partium interſtitiis hęrent reſolvendas, acorem omnem pręſertim fixiorem corrigendum, & univerſam fluidorum maſſam refermentandam plurimum valere communiter reputantur ligna quædam, quæ ſudorificorum titulo inſigniuntur. De Sarſ. peril. de radic. Chin. omnes fere coveniunt. De Santalorum virtutibus lis orta. Alii enim inter refrigerantia, ſeu fervorem ſanguinis contemperantia, alii vero inter calefacientia recenſent. Analyſi tamen eorumdem inſtituta, particulis valde tenuibus, & activis donari compertum eſt. Quamobrem Caſpar Hoffmannus jure, meritoque illos Medicos redarguit, qui refrigerandi fine Santala, eorumque decocta pręſcribunt. Salubre porro eſt practicorum conſilium, in ejuſcemodi decocta carnes recipere, ut principia illa nimis activa, ac volatilia, quæ commovendo nimis, fundendoque opportuna exiſtunt, retundantur. Hac ratione decocta Septaliana fere methodo parantur, quorum eximiam virtutem ad diuturnos morbos debellandos qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam.

X. *Mercurialia ſalivationem moventia, purgantia acriora &c.*) Sunt qui præter ſudorifica hactenus recenſita ſcialagoga in hoc morbo commendant, præſertim ex Mercurio deprompta, in eam ſpem adducti, ut credant, fluiditate, ſoliditate, ac pondere componentium arctam nimis, ac tenacem ſanguinis, humorumque texturam penetrare, dividere, congeſtiones diſſolvere, fixiorem acorem tollere, atque hac ratione ſcorbutum acidum certo, feliciterque profligare. Verum cum Mercurialia turbas inſignes excitent, ſpeciatim vero ulcera oris, dentiumque caſum promoveant, quæ fere ſymptomata in ſcorbuto ſolent ęgrum dire exercere, nemo non videt, horum medicamentorum pretium in hoc morbo plurimum imminui. Si quis Mercurialibus uti velit, ſaltem penes illum ſit Dolæi monitum, ut vi-

(1) *Elem. phy. Math.* (2) *In act. Hafnienſ.* 1671. *obſ.* 9.
(3) *Tract. de Scorb.*

videlicet ſingulari, & peculiari modo ſublimentur, ut duntaxat ſudorem, & nullam efficiant ſalivationem.

Ne cathartica acriora tuta ſint, facit potiſſimum ea ratio, quod ſolidas partes nimis extimulare habeant, ſanguinem, reliquoſque ſuccos exagitare, ſales eorumdem acuere, tenujores partes educere, craſſioribus, fixioribuſque remanentibus, unde juſtus ſubrepit timor, ne graviſſima incommoda ex eorum uſu percipiantur. Hiſce ferme de cauſis validiora purgantia accuratioribus Practicis minus probantur, a quibus nos ſumus. Si tamen de commoda illa purgandi ratione ſermo ſit, cujus ſuperiore capite meminimus (1), qua peccantes humores per alterantia ad evacuationem diſpoſiti ſenſim ſenſimque eliminantur, deque viſcidis, glutinoſiſque humoribus, qui educendi ſunt, fibrarumque laxitate, in quas agere debent purgantia medicamenta, tantum abeſt, ut nulla exiſtimem locum habere, ut lenientia quidem nullius plane efficaciæ, pillulas tamen, quarum baſis aloes eſt, inter quæ illæ Paracelſi eminent, de Fumaria, fœtidæ majores, Antiſcorbuticæ Timæi, Amſtelodamenſes aliæque ejuſmodi addito ſtimulo ex Mercurio dulci valde neceſſarias eſſe contendam.

XI. *Aquæ acidulæ, ac tandem lactis aſini ni uſus, cum antiſcorbuticis &c.*) De acidulis Vid. com. *in aph.* 16. præced. cap. de affect. hypochond.

Solo lacte veſci in eo morbo, in quo fibræ ad validiores oſcillationes concitandæ ſunt, craſſities, lentorque humorum diſſolvendus, minus expedit. Eximiam porro præſtabit operam, ſi cum antiſcorbuticis medicamentis in uſum vocetur, quo fit, ut acres iſtorum particulæ, quæ ſanguinis maſſam nimis exagitare valent, ſulphureas ejuſdem partes in motum agere, acidum omne ſanguinis maſſam inſpiſſans, ac cogens deſtruere, ſolidas partes acriter pungere, tenuis, mitis, ac benigni corporis admixtione temperentur, & ex amborum conſociatione exſurgat medium quoddam medicamenti genus, quod cum leniter ſcindendo, penetrando, ac reſerando, nec non acidos, auſteros, aut alios quoſvis peccantes ſales diluendo, irretiendo, demum mites, læves, politaſque particulas in ſanguinem introducendo, quibus ſolidæ partes ab acrium, atque erodentium humorum actione muniantur, operetur, illud eſt remedii genus, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, ab hoc uno ſperari jure poſſe confidendum ſit.

Quare Lac cum ſpiritu acri cochlear.) Spiritus acres plantarum cum dicimus, eos fere intelligimus, qui ex foliis earumdem certa quadam encheireſi fermentatis eliciuntur; fermentatione enim fit, ut ramoſum, ac implexum earum ſulphur diſſolvatur, & cum ſale primigenio a chymicis dicto intime miſceatur, quæ duo unita, ac volatilia facta ſuperante tamen ſulphure acrem ſpiritum efficiunt. Quod evenire nullo modo poteſt, ſi plantæ non fermententur. Earum enim ſulphur ramoſum, & valde implexum cum ſit, difficillime a mixtorum vinculo expeditur, terreſtres partes graviſſimę cum ſint, nunquam in alembico attolluntur; reliquum eſt igitur, ut primigenio earum ſale per deſtillationem ab utriſque ſecreto, acidus liquor habeatur. Acres porro ejuſcemodi liquores arctam nimis, ac tenacem ſanguinis compagem penetrando, dividendo, ſolidas partes extimulando, morbis a craſſo, viſcido, ac lento oriundis egregie opitulantur. Eoſdem augent, aut confirmant acidi. Ex quo colligi poteſt, quid efficere valeant ſpiritus illi, qui a pleriſque minus cautis per vini ſpiritum, quod potentiſſimum acidum eſt, ſi Boerhaavio credimus, elici ſolent. Qamvis nempe ardentes ſpiritus ſtimulando, atque in crebriores, vehementioreſque contractiones agendo ſolidas partes, nec non ſulphure ſuo in fluorem redacto, & volatili, quo abundant, ſimul ac ingeſta ſunt, a calore exaltato fluidas ſolvere, ac fundere habeant, eodem tamen exhalante, & remanente ſale acido, eaſdem cogunt majorem in modum, ac condenſant. Hinc eſt, in ſcorbuto ab acido pendente cane pejus, & angue ab iſtius generis medicamentis abſtinendum eſſe.

Inter ſpiritus ex plantis antiſcorbuticis fermentatis elicitos eminet ſpiritus Cohleariæ, qui Flandrię provincię Belgii maximę, ac cultiſſimę paratur. Cochlearia enim ibi ad inſignem magnitudinem excreſcit, & longe efficacior eſt illa, quam in hortis ipſi ſtudio, ac labore colimus. Tantę activitatis eſt ſpiritus cochlearię adnotante Cl. Junchero, ut ſanguinem facile concitet, ac nimis

(1) *cap.* 8. *com.* 14.

commoveat, atque æstuosam cephalalgiam, aliaque hujusmodi mala procreet. Quapropter eumdem cum acidis liquoribus semper miscendum esse putavit Etmullerus, quibus nempe subtiles, ac volatiles ejus sales irretirentur, atque ipsius efficacia parumper infringeretur. Quid porro mali pertimescendum, si ex lacte exhibeatur?

Vel ex decoct. baccar. Junip.) Nisi certo scias, ejuscemodi spiritus ex plantis per fermentationem elicitos esse, auctor sum, ut Lac ex decoctione baccarum Juniperi exhibeas, quę cum oleo subtili, ac penetranti fętę sint, dici vix potest quam apte iis omnibus morbis, qui ex solidarum partium atonia, atque a viscido, & lento proficiscuntur, medeantur. Nervosas enim partes mirum in modum corroborant, urinam cient, & obstructiones viscerum tollunt. Solo lacte ex decoctione baccarum Juniperi scorbutum non semel feliciter debellatum vidisse bona fide testor, cum alia minus commode responderint. Saltem pulcherrima hujusce remedii laus est nocere non posse, ut de spiritibus ope vini spiritus, vel ex plantis non fermentatis dictum est.

XII. *In scorbuto ab acredine oriundo contentus sum succo Acetos. &c.*) Acida acribus contraria esse, eademque figere, & in blandum, innocuumque saporem salsum convertere manifestum est. Ob id potissimum scorbuto ab acredine sanguinis oriundo profligando opportunissima existunt. Acida porro vel vegetabilia sunt, vel mineralia. Ad illa spectant Acetosa, Acetosella, sive Oxalis, succi limon. Citr. Berber &c. Inter Mineralia vitriolum, nitrum eminent, aliaque hujusmodi. Refert D. Geoffroi (1), virum clarissimum, & in praxi medica exercitatissimum D. Marinum, dum viveret, Nosocomii Parisiensis Medicum ordinarium, scorbuticos quamplurimos sanasse eorum alimenta foliis acetosæ coctis immiscendo. Quamvis non constet acidus ne scorbutus fuerit, an ab acredine oriundus, ab hac tamen causa oriri dubitandum non est, nisi forte velimus acidum acido destrui, quod rationi valde repugnat.

Suc. Limon. &c.) Insignem acidorum vegetabilium efficaciam ad quamplurimos morbos debellandos qui non cognoscit, medicinam cognoscit plane nullam. Martinus Listerus (2) memorat Pisonem in rebus exoticis exercitatissimum, qui refert peritissimos Indiæ Medicos plus præsidii in Limonibus ponere, quam in lapide Bezoartico, aut Theriaca contra malignos morbos, & pestilentiales febres, atque ipsa venena: se autem ex nullo alio aliquo remedio simplici tot felices effectus in tota sua praxi observasse, quam ex Limonibus. Forestus ipse se mali citrei putamine succulento dentibus attrito contra pestem munire solitum fuisse testatus est. Hujusce pomi præstantiam cecinit Virgilius (3):

Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non præstantius ullum,
Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Auxilium venit, & membris agit atra venena.
Flos adprime tenax: animas, & olentia Medi
Ora fovent illo, ac senibus medicantur anhelis.

Nempe in humorum acredine massulæ fluidorum a sale volatili, ac corrosivo solvuntur, acida vero figendo acre fluidorum eorumdem dissolutionem prohibent. Hinc liquet, cur acida refrigerandi vi polleant, & vim catharticorum infringant. Eorum enim sulphur exaltatum cogunt, ac figunt.

Spirit. nitri &c.) Acidis vegetabilibus fortiora sunt mineralia, vitriol. nitr. &c. quibus Sylvius, P. Barbette, aliique se felicissime usos fuisse testati sunt. Spiritum nitri dulcis conficiendi modum tradit Boerhaavius (4), ac scorbuto sanando singulari virtute prodesse confirmat. Si acidi hujusmodi liquores fero sanguinis affundantur, adeo idem cogunt, ac condensant, ut ad ignem quasi coctum videatur. Si cum salibus alchalicis volatilibus urinæ, corn. Cerv. armoniac., & similium miscentur, frigidam fermentationem spissitudine liquorum facta excitant. Harum fermentationum exempla quamplurima extant in A. R. S. P. an. 1700. quæ legi ex fonte malumus, quam hic referri.

XIII.

(1) *Mat. Med. p.* 2. (2) *Exercit. med.* 4.
(3) *Georg. lib.* 2. *vers.* 126.
(4) *Oper. Chymic. p.* 2. *proc.* 134.

XIII. *Ad thermopotationem opportuno tempore, ad lactis uſum &c.*) Inter ea, quæ acredinem humorum temperant, eminent aquea, utpote quę diſſociare, disjungere, ac diſpartire habent acres, erodenteſque humorum particulas, ineptaſque reddere ad ſolidas partes afficiendas, & terra calcaria, qua fœta ſunt, abſorbentiſſima eaſdem imbibere, atque per inſignes excretionum vias extra corporis confinia educere (1). Quæ diluunt mirabiles habere vires ad eorum vim infringendam, quæ ſolidas noſtri corporis partes rodere, & abſumere valent (ut alibi innuimus) liquet ex Cl. Sydenhami epiſtola ad Robertum Bradii aſſeverantis quemdam a ſublimato corroſivo venenatum ſola aqua adhibita feliciſſime curatum fuiſſe. Temperatur demum ab iis, quæ irretiunt, inviſcant, obtundunt acre, & ſolidas partes ab ejus morſu muniunt, atque tuentur. Inter quæ Lac eminet, non ſolum ob caſeoſas, ac butyroſas, quas continet particulas, quæ prædictis muneribus obeundis pares exiſtunt, ſed ſeroſas etiam, quæ diluendo, abſtergendo, & ad urinæ vias ducendo operantur (2). De admiranda vi oleoſorum in perdomandis viribus acrium, atque erodentium corporum inſigne prę cęteris exemplum prębent illi, qui ęs ad papyrum prælo imprimendum aqua forti cælant. Æneam enim tabulam, ut alibi oſtendimus, cera oblinunt, in eaque imagines, & ſimulacra imprimunt. Tunc aquam fortem affundunt, quæ exaratos ſulcos permeando acrimonia ſua æneam tabulam corrodit, parte intacta remanente, quæ cera obducta eſt.

XIV. *In ſcorbuto ſalſo ſuc. optim. depurat. Fumar. &c.*) Salſum in humano corpore modum excedens ſanguinem minus colliquat ac fundit, minuſque ſolidas partes mordet, & ad ſanguinem celerius movendum extimulat, quam acre. Hinc morbi a ſalſo oriundi mitiores plerunque illis, qui a nimia acredine ortum traducunt. Igitur temperata remedia præſcribenda eſſe luce clarius apparet. Non acria ſale volatili oleoſo prædita, quia plus æquo humores exagitant, fundunt, ac ſolidas partes in vehementiores contractiones ſollicitant: Non acida, quia nimis cogunt, ac figunt. Temperata porro ea dicuntur, quæ blande attenuando, ſolvendo, ſtimulandoque operantur. Inter quæ eminet Fumaria; *cujus ſuccum viſcera reſerare, reſerata roborare, ſanguinem a bilioſis, aduſtis, & crudis recrementis purgare &c. & uſum præcipue eſſe in ſcorbuto, ſcabie, & ſimilibus*, docuit Cl. Etmullerus, quem accuratiores practici in hac parte ſequuti ſunt. In hac nempe ſcorbuti ſpecie cutaneæ affectiones, ſcabies, impetigines, aliæque ſimiles frequentiſſimæ ſunt. Vix autem ullus dubito, quin hac de cauſa hujuſce plantæ pretium plurimum augeatur. Quod Simon Paulli confirmat aſſeverans, ſe hoc ſimplici remedii genere ſcabioſiſſimos feliciſſime in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituiſſe.

Juſculum &c. alteratum bihorio poſt exhibendum &c.) Solet ſuccus ex juſculo junioris pulli exhiberi, idemque bihorio poſt, & veſpere iiſdem herbis alteratum repeti, ut & diluendo, & quoad fieri poteſt ſales ſalſos irretiendo, demulcendoque optato fine facilius potiri valeamus. Juſculum enim uti aqueum eſt, ſales imbibit, interfuſaque ejus ſpicula diſpertiens ejus vim maxime infringit, ac fluiditate ad renes facile permeans pernicioſos, atque exitiales ſales e corpore educit. Uti oleoſas continet particulas, ramoſis harum partibus ſales eoſdem involvit, hebetat, & retundit, & leniendo partes ab eorum ſpiculis munit, & tuetur. Virtus hęc maxime elucet in ſero lactis, ut propterea minus mirandum ſit, ab Hippocrate, Celſo, Aretæo, maxime vero Dioſcoride (3) tantopere commendari adverſus *lepram elephantiaſim, & efflorescentias per totum corporis habitum erumpentes*. Mirum ſales muriaticos præ cæteris omnibus aquoſis, & inſulſis potionibus elui, & viſcidiuſculis, oleoſiſque particulis irretiri ſe pati.

XV. *Si æger laxioris, atque humidioris ſit habitus, decoctum &c. addendo Viperam.*) De uſu, ac viribus decocti ex lignis ſudorificis ſatis dictum (4). De Viperæ facultatibus in uſum medicum receptæ quæſtio eſt inter Medicos. Sunt qui exiſtimant, carnem Viperarum ſubtiles, volatileſque addendo particulas ſalium nimis fixorum in milliaribus cutis glandulis, vel in ſebaceis articulorum, aut ſpinali medulla, unde ſcabies, dolores arthritici, paralyſes, alia-

(1) *Vid. com. in aph.* 20. *cap.* 8. (2) *Vid. com. in aph.* 8.
(3) *lib.* 2. *cap.* 75. (4) *com. in aph.* 9.

que ſymptomata proficiſcuntur, congeſtionem prohibere, materiem in iiſdem hærentem attenuare, maſſam ſanguinis refermentare, atque ęgros in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituere.

Summam ineſſe Viperæ vim ad elephantiaſim curandam liquet ex Galeno, qui duas elegantes hiſtorias refert de vino viperato eo fine, ut qui illud hauſiſſent, internecioni darentur, cum (mirum dictu!) elephantiaſi laborantes hauſto eodem egregie convaluerint. Id quod Zacutus Luſitanus (1) confirmavit memorans juvenem aulicum nullis remediis a cutaneis morbis ſanari potuiſſe, viperarum vero decocto omnino convaluiſſe. Quæ ſane effecerunt, ut ad cutaneos morbos ſpeciatim curandos magno in pretio, & honore haberi cœperit, qui eo uſque increvit florentibus inter Arabes Rhaze, & Avicenna, ut mirabilis totius corporis renovatio inde promitteretur. Cæterum ad malignos expellendos morbos, ad venena profliganda nobiliſſimum ſi quod aliud medicamen cenſebatur. Hinc Andromachus trochiſcos e Vipera parabat pro præcipuo theriacæ ſuę ingrediente. Et ſane cur eximias haſce vires ineſſe Viperæ non dicamus, ſi plurimo ſale volatili fœtam eſſe, eumque extrahi commodiſſime poſſe certis chymicorum experimentis compertum ſit? Pulverem Viperinum febrem excitaſſe videre mihi contigit: quandoque ſitim inextinguibilem progignere deprehenſum eſt. Hinc ſalubre practicorum conſilium, cavendum eſſe a Viperatis medicamentis in temperamentis fervidis, ſanguineis, & exquiſito ſenſu pollentibus, cavendum pariter in febribus ardentibus, in quibus fervor, & orgaſmus ſummus ſanguinis adeſt, nec non juſculis viperatis addendas eſſe carnes animalium gelatinoſas, quæ irretire habeant nonnihil, & retundere principia illa nimis activa, ac volatilia, quæ commovendo nimis, fundendoque opportuniſſima exiſtunt. Non defuere tamen, qui cum Fernelio Viperam non ſolum ad chronicos, contumaceſque morbos debellandos minime commendarunt, ſed inutile prorſus, atque inane medicamentum eſſe contenderunt. Ita Julius Palmarius (2). Opinionem hanc confirmare viſus eſt Cl. Redius, qui certis obſervationibus, atque experimentis edoctus ſtatuit, non eas ineſſe Viperæ facultates ad profligandos morbos, ut vulgo creditur. Ut ut res ſit, neque enim licet iſtas ſubtilitates perſequi, illud certum eſt, mirabiles quandoque effectus ex uſu Viperinorum deprehendi. Quod non dicerem, niſi id ipſum propria experientia compertum habuiſſem. Quod ſi interdum res ſecundum vota minime contingit, cur id potius ex eo pendere non credamus, quod pro vario morbi ſtatu, ac vehementia, pro varia ipſarum Viperarum qualitate, plus minuſque poſſit humanum corpus ea ratione alterari, qua opus eſt ad ſalutem? Illarum ſaltem pulcherrima laus erit efficere, quod cæteræ animantium carnes gelatinoſo quodam blande ſulphureo, & vaporoſo ſucco prędite, ut Hoffmannus teſtatus eſt. Quo loco minus mirari ſubit, Ægyptios viperis veſci ſolitos fuiſſe, tamquam utiliſſimo corporis alimento.

XVI. *Ad aquas B. M. V.*) Aquas Virginis in agro Patavino ſale, & ſulphure fętas eſſe per experimenta Jo. Gratiani alibi oſtendimus. Hinc mira earum efficacia in muriatico Scorbuto, quem ſcabies, aliaque id genus mala ſubſequuntur. Aqueus enim humor ſalis, ſulphuriſque corpuſculis inſtructus poros circa ſubit, atque interſtitia quęque fibrarum penetrat; quidquid ibi collectum eſt, emolliatur, incidatur neceſſe eſt: hinc humores in cutaneis glandulis ſtagnantes fluxiles fiunt, ſtagnatio prohibetur, patens tranſpirationi via ſternitur, ac ſimul ſuperfluę ſeroſitates diſſipantur, atque hinc cum corpus rite paratum fuerit, ſanitatem recuperat. Hęc fere laudatus Gratianus, cujus quidem ſententia nihil adhuc veroſimilius dictum. Quęri tamen poſſet, quo modo ſi ſalinis præter ſulphureas partes fętę ſunt aquæ Virginis, morbos, qui a ſalſo oriuntur, curare poſſint. Salſum enim ſcabiei, pruriginis, atque ulcerum cauſam tum Veteres, tum Recentiores fere omnes ſtatuerunt. Quod ſi ita res habeat, mirum ſalſum & cauſam morbi, & remedium eſſe. Verum prętерquamquod ſalinę partes per aquam diſperſę ſunt, nec ſolæ, ſed aliis principiis implicitæ agunt in humanum corpus, quidni liceat conjectare, a ſalinis particulis ſalſas particulas, quę ſcabiem, pruriginem, ulcera, atque id genus alia conſtituunt, non ſecus edulcari, ac piſces, aut carnes ſale indu-

ratę

(1) *lib.* 1. *prax. admirab. obſ.* 2.

(2) *lib. de morb. contag. cap.* 9.

ratæ infusa salita, aut marina aqua magis, quam insipida mitescunt? Hęc uti Peripatetici, qui qualitates, sic Newthoniani, qui vires attractivas in manu habent, citius expediunt. Salinæ enim per aquam dispersæ particulæ salinas humorum particulas ad se trahunt magna vi, hinc in crystallos majores coeuntes, qua data porta per insignes excretionum vias eliminantur. Quo loco minus mirari subit, aquam marinam pruriginosis (ut inquit Hippocrates) & qui ab acribus humoribus mordentur, tum lotione, tum fotu calidam prodesse, ulceribus etiam, & ambustioni, & abrasioni, & reliquis hujusmodi adversari. Sal enim mordaces humores, a quibus ulcera enascuntur, edulcando, abstergendo, irritando, efficit, ut mundificentur, vivificentur, carne impleantur, quod opus solius naturæ est, demum ad cicatricem facile perducantur.

Ad balnea, tandem ad Lac ex decoct. far. peril. &c.) Si ęstivo tempore balneationes aquę dulcis instituantur ex admonitione Fernelii (1) continuatæ, & moderate calidæ, quibus particulæ salsæ, ac muriaticæ, quæ cum in glandulis cutaneis congestæ sunt, tum liquoribus corporis commixtæ per eorumdem substantiam diluantur, temperenturque; si Lac universale remedii genus, quo humores omnes cujuscumque saporis fuerint corriguntur; ex decoctione Sarsæ, qua fixorum salium in iisdem cutis glandulis, si quæ superstites sint congestiones prohibeantur, dissolvanturque, dici vix potest, quam apte ægrorum incolumitati consulas.

XVII. *Gingivæ erosæ, ac putridæ tinctura Laccæ Amynsicht.*) Lacca nihil est aliud referente Cl. Boerhaavio (2), quam gummi ex Asia ad nos delatum resinæ genus de arboribus abrasum a formicis, quæ inde nidos suos construendo magna illud copia aggerunt in primis in insula Ceylon, unde optimum habetur. Tinctura ex eodem elicita, & nunquam fallax, & nobilissimum remedium esse ad gingivas erosas, & putridas persanandas observationibus tum certis, ac constantibus, tum multis, ac frequentibus compertum est. *Tinctura*, inquit præclarus Auctor, *ex nobili Lacca amabilis est virtutis in curandis vitiis gingivarum, oris, & dentium in Scorbuto &c.*

Summa opus esse diligentia passim tradunt Chymici in tincturis cum ex Lacca, tum ex reliquis gummosis corporibus eliciendis ob id potissimum, quod gummosa sint, & solutioni valde resistant, etiam communi menstruo, nempe spiritu vini licet defæcatissimo, & tartarizato, qui potentissime operatur, adhibito: ita ut tincturæ elicitę levissimæ sint, & parum substantię gummatum contineant. Salubre porro consilium est, Laccam puta, succinum, & similia in subtilissimum pollinem redigere, & cum sale alchalico fixo miscere. Quod ubi præstiterint, in loco humido reponunt, donec attracta aeris humiditate, vel ex humiditate intus latente liquescant: liquefacta exsiccant, & denuo in loco humido reponunt, ita ut repetitis liquefactionibus, & exsiccationibus tandem illud sequatur, ut in loco humido reposita tota liquescant pastæ ad instar cujusdam mollis, quæ digitis pertractari commode possit. Spiritum tum demum vini affundunt, quo tincturas substantię gummatis plurimum instructas eliciunt, ut Cl. Boerhaavius (3) aliique testati sunt.

Simplicissima methodus tincturam ex Lacca extrahendi illorum est, qui cum Amynsicht gum. Lac. circiter unciam dimid. infundunt aqu. salv. rosar. a lib. i., servantque liquorem in cinerario calido, donec aqua rubicundissimo colore tingitur, & amarore haud ingrato cum austeritate, & adstrictionis sensu (qui certum roborantis virtutis argumentum præbet) imbuitur. Longe efficacior, ac præstantior fit addendo Alumin. ust. ℥ ii. Cum enim alumen ex acido vitriolico, & terra quadam ab acido soluta componatur, qua terra acidi vis infringitur, ac temperatur, mediocriter adstringendi, & acrimoniam humorum retundendi virtute donatur eximii usus adhibitum solerter. Virtutem hanc Alumnis noverunt Veteres ipsi Medici, licet aliis verbis expressserunt. Vim enim frigidam, & siccam ei tribuebant: frigidam, quatenus partes rubore, caloreque affectas refrigerat, siccam vero, quatenus easdem laxatas, & atonia laborantes corroborat, & adstringit.

Suc. Sarmentor. vit. alb. &c.) Sarmenta vitis adstringendi vim habere tradidit ipse Plinius (4). Vis hęc ab acido potissimum, quo scatet, pendere videtur, si Boe-

(1) *obs.* 44. (2) *op. Chym. p.* 2. *p.* 56. *n.* 1. (3) *loc. cit.* (4) *lib.* 23. *cap.* 1.

Boerhaavio credendum, qui ſarmenta Vitis recentia putata Martii initio per retortam deſtillata acidum copioſum præbuiſſe teſtatus eſt (1). Quid quod ob aciditatem hanc ſuam acres, quibus gingivę cruentantur in Scorbuto, exeduntur, ac corrumpuntur, humores figere, & in blandum, innocuumque ſaporem convertere valeat ſuccus ex Vitis ſarmentis expreſſus?

Acet. opt. mel. &c.) Virtus hæc acrium, atque erodentium particularum vim infringendi, atque abhinc prodeuntem corruptionem tollendi maxime elucet in Aceto. Hinc non mirum, Cl. Sylvium tempore peſtis, in qua plerunque maſſulæ fluidorum a ſale volatili, ac corroſivo ſolvuntur, omnibus diebus priuſquam ægros viſitaſſet duo cochlearia aceti aſſumentem ab eadem immunem ſervatum fuiſſe.

Si cum ſucco ſarmentorum vitis, & aceto miſceatur mel, ſuccus videlicet ille ſalinus, & oleoſus vi Solis e floribus plantarum extractus, atque Apium ſtudio, ac labore collectus, qui blande incidendi, detergendique ſordes in quibuſcumque eroſionibus, atque ulcuſculis exiſtentes virtute donatur, illud emergit remedii genus, ut nullum eodem efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius excogitari poſſit ad gingivarum, oris, & dentium vitia curanda in Scorbuto. Quod non dicerem, niſi propria experientia compertum habuiſſem, eodem pleroſque feliciſſime convaluiſſe, eoque magis ſi dempto aceto ob nimiam aciditatem intus ſumatur additis ad abſorbendum Mandib. Luc. piſc. Mira ſunt quę effecit in noſtra hac Italiæ parte remedium, dum a nobili Comitiſſa de Manfredinis ſingulari liberalitate Rhodigii dono dabatur. Exhibere idem mane jejuno ſtomacho per tres ſucceſſivos dies lecto ægro cubante commodum eſt, cum forte ſudore ſuperveniente, quod optimum futurę ſanitatis inditium eſt, quieſcendum ſit, donec ſponte deſinat: quod non ita tamen frequens eſt, ut & urinæ quandoque liberalius non fluant, & alvus ſolvatur, quod æque boni ominis eſſe conſuevit. Quamquam ſi alvus minime ſolvatur, nihil mali verendum, nec nihil tamen omnino vetat, quominus clyſter ex lacte, & ſaccharo injiciatur. Dum mane ſumptum eſt, poſt horulę ſpatium juſculum calidum exhiberi ſolet, niſi tamen nauſeam moveat, quo caſu in ipſius nauſeæ primordiis ſtatim propinandum. Iis, quibus gingivæ exeſæ ſunt, ac cruentatæ, ad eas abluendas, antequam deglutiatur, eodem tepefacto uti expedit, pręſertim ſi frigeat, quod affectis partibus moleſtum eſt. In pueris certa ipſius menſura ſtatui non poteſt, cum a quovis remedii genere abhorreant. Obſervationibus tamen compertum eſt, quacumque hora, & quacumque quantitate ſępius propinatum æque ſaluberrimum eſſe. Si os in iiſdem afficiatur, penna eodem imbuta, & parti affectæ applicata, qua obliniatur, commoda. Uno verbo optime mixtum remedium nunquam non bono, & emolumento, etiamſi ex ſucco pampinorum viridium conficiatur.

XVIII. *Ulcera oris profunda aqu. virid. Hartman. &c.*) Ulcera non poſſunt ad ſanitatem perduci, niſi prius abſtergantur, mundificentur, vivificentur, acres erodenteſque humores edulcentur, eadem demum exſiccentur. Aquam ab eleganti colore viridi, & ab Auctore ſuo Viridem Hartmanni dictam hiſce muneribus obeundis aptiſſimam exiſtere patet ex conſideratione eorum, quæ eamdem componunt. Hujuſmodi ſunt mel roſatum, ſulphur, alumen, ſabinæ extremitates, hypericon, aliaque plura, quorum alia quidem abſtergendo mundificare, irritando vivificare, abſorbendo edulcare, atque exſiccare, ſi quis ſingulorum activitatem ad examen ſedulo revocaverit, etiam me tacente facile intelliget.

Mox ſal. Saturn. Ceruſ. &c.) Saturnina medicamenta, ceruſſa &c. virtute qua donantur abſorbentiſſima, acerrimis quibuſcumque, ac corroſivis ſanguinis, humorumque particulis, quæ fibras divellentes, ac continuum ſolventes ulcera progignunt, imbibendis, atque ex iiſdem educendis opportuniſſima exiſtunt. Quam mira reș videtur, quod calces Saturninę, Ceruſſa, & id genus alia, ſi intus ſumantur adeo noxia ſint, ac pernicioſa, ut venenis accenſeantur, ut multi voluerunt, Borellus (2), Celſus (3), Cæſalpinus (4); extrinſecus vero adhibita nobiliſſima ſint, ſi quæ alia. Si cum balſamo illo naturali reſinoſo de Co-

(1) *op. Chym. p.* 1. *pr.* 52. (2) *cent.* 4. *obſ.* 32.
(3) *lib.* 5. *cap.* 27. (4) *lib.* 3. *cap.* 24.

Copaib. dicto in uſum vocentur, illud tandem ſequitur, ut acrium, atque erodentium humorum ſpiculis involutis, ac fibris miti humore oblinitis, & leniter irritatis, eędem elongentur, quod opus ſolius naturæ eſt, ulcera carne impleantur, demum claudantur.

Qui plura cupit, adeat Auctores, qui de Scorbuto ex inſtituto egerunt, quos inter eminent Wierus (1), Martinus (2), Ronſęus (3), Mallenbroccius (4), ut mittam Langium, Barbette (5), Fridericum De Kers (6), Eugalenum, Wiliſium, Timęum, alioſque, qui hoc argumentum ſedulo pertractarunt. Pauca certe remedia, at proficua valde, atque utilia propria experientia inventa propoſui Adoleſcentibus. Quid aliud ab eo expectes, cui cordi ſit, quod tradit Wedelius (7)? *Res ſe habet hæc inſtar amicorum: Magis æſtimamus unum, aut alterum amicum, quam centum notos: multi etiam amicitiam offerunt, pauci merentur. Ita etiam curioſe ſelectum, & expertum medicamentum reliquis omnibus præferendum eſt: qui omnes habet amicos, neutrum habet.*

CAPUT X.

De Ictero.

I. Flavus, plumbeus, viridis, & ex his mixtus color univerſam corporis peripheriam deturpans Icteri nomine venit.

II. Dum bilis in hepate ſeparari nequit, vel ſeparata per deſtinatos a natura ductus in inteſtina deferri, quæ ſecernenda erat in ſanguine retinetur, eumdemque vario, pro varia ipſius qualitate, colore inficit.

III. Glandularum, vaſorum ſanguiferorum, biliariorum obſtructio orta a bile amurcoſa, a calculis ibidem genitis magnitudine, conſiſtentia, colore diverſis, ſubſtantiæ hepatis, vel membranarum, & ligamentorum inflammatio, convulſio eorumdem a bilis tenuitate nimia, atque acredine, a vehementi ira, ſpaſmo hyſterico, laborioſo partu cauſæ ſunt remotæ.

IV. Rerum acidarum, & difficilis coctionis abuſus, aer paluſtris, graviores animi curæ cum mœrore, & triſtitia, Chi. Chi. cui excretio aliqua ſenſibilis non ſuccedit, diuturnus uſus, obſtructionibus plurimum tribuunt.

V. An ab exaltatis in ſanguine bilioſis particulis, an a lymphæ, & ſeri ſanguinis, ob ſalium præſertim acidorum mixturam, exſolutione Icterus eſt repetendus? Enimvero qui ita ſentiunt, falſa prorſus ſentire non facile dixerim.

VI. Viperæ morſui, febribus etiam ſupervenit Icterus; atque hic quidem ſi ante ſeptimum diem, ſymptomaticus, ſi vero ſeptimo die, aut decimoquarto, criticus jure appellatur.

VII. Infantibus quoque ob mæconii retentionem tertio, aut quarto die non raro contingit.

VIII. Prodit ſe Icterus flavedine præſertim in tunica oculi albuginea conſpicua (quæ fit, ut objecta colorata interdum appareant) mox univerſa cuti, urinis intenſe croceis linteamina ad inſtar croci tingentibus, ſaliva, ac ſputo, interdum fæcum albedine, alvi adſtrictione, atque hypochondriorum pathematibus pro varietate cauſarum variantibus.

IX. Hepatis obſtructionem ab amurcoſa bile obtuſus in dextro hypochondrio dolor, durities, ac tumor plus minus inſignis, febris vel nulla, vel parva comitantur.

X. Dolor modo obtuſus, & gravis, modo acutus, & lancinans cum præcordiorum anxietate, difficili reſpiratione, inquietudine, vigiliis, vomitu, ſingultu, fæces modo flaveſcentes, modo pallidæ, frequens, & improviſus Icteri recurſus, calculorum una cum fæcibus excretio calculos hepatis deſignant.

XI. Inflammatio dolore in dextro hypochondrio tactu manifeſte ſenſibili, vel dum ab uno in alterum latus ſeſe convertit æger, modo gravativo, modo acuto, & tenſivo, febri plus minus acuta cum ſiti intenſiſſima, ſpirandi difficultate, præcordiorum anxietate, vomitu, ſingultu plerunque conjuncta ſe manifeſtat.

XII. Quibus vulnere capitis detentis ſupervenit icterus, eos abſceſſu hepatis laborare ſuſpicandum eſt.

XIII.

(1) *tract. de ſcorb.* (2) *lib. de ſcorb.* (3) *tract. de ſcorb.*
(4) *lib. de arthritid. vaga, & ſcorbut.* (5) *cap. de ſcorb.* (6) *in not. ab prax.*
(7) *de Medic. facult. cognoſ. & applic.*

XIII. Si nulla, aut fere nulla sit febris, mitis calor, atque obstructio a lenta, ac difficili materia exoriatur, rhabarbar. .s. p. ℥ i. tartar. solub. ℥ ii., sacchar. rubr. parum ex jusculo calido exhibendum prima die: vel sequens infusio. ℞. Rhab. elect. ℥ ii. sal. tartar. ℈ i. in ser. lact. caprin. depurat. unc. x. adde syrup. de cichor. cum rhabarb. unc. i. m. f. pot. Si in boli form. magis arrideat, sit pulp. Cas. ℥ vi. extract. rhabarb. ℈ ii. tartar. vitriol. ℈ i. M. f. boli.

XIV. Dein vero pulv. ex tartar. solub., aut vitriol., aut arcan. duplic. a ℈ i. ad ℈ ii., cui superbibat æger larga copia jusculum radic. Asparag. Apii, Petroselin. fol. marrub. alb. rub. tinctor. cuscut. chelidon. major: adhibendo successu temporis loco pulveris tinctur. sal. tartar. a ʒ i. ad ʒ ii., spirit. sal. armoniac. a gut. xx. ad xxx. vel spirit. aperit. Penot. æq. dos.

XV. Quolibet 5. vel 6. die Rhabarbarum, ut supra repetendum.

XVI. Hisce frustra adhibitis ad aquam Tetutianam deveniendum. Libræ tres quotidie per intervalla propinentur, solvendo in primo cyat. mel. rosat. solut. unc. iii. pro una, & sic pro aliis per quattuor dies, si per alvum dejiciantur.

XVII. Si obstructio altas radices egerit, sequentes boli visi sunt convenire. ℞. Gum. amoniac. terebint. Cypr. a ℈ i. M. f. bol. Horum loco sint pillul. de amoniac. Quercet. a ʒ .s. ad ʒ i. quibus saponacea succedant. ℞. Sapon. Venet. ras. ℈ i. millep. præp. gr. xv. Croc. optim. gr. viii. cum syrup. de cichor. cum rhabarb. q. .s. f. vi. vel sapon. Chymic. Starch. a ʒ .s. ad ʒ i., vel Offæ Helmont. ad ʒ .s. loco saponis veneti: superbibendo decoction. theifor. nasturt. aquat. beccabung. quotidie per xx. circiter dies: vel Verbenæ feminæ, seu erysimi.

XVIII. Paratis hac ratione primis, secundisque viis, ad Martialia deveniendum. In corporibus quidem exsuccis, aridisque tinctura Mart. suc. pomor. aut aurant. extrac. a ʒ s. ad ʒ i. ex jusculo pul. campestris. Ubi vero æger humidus sit, & laxioris habitus, limatura ipsius Martis, Crocus Martis aperiens, tartarus Martiatus a gr. xv. ad xx. cum succo concreto nasturt. aquat. cæteris præparationibus palmam præripiunt.

XIX. Tandem ad aquas acidulas tamquam ad sacram anchoram deveniendum.

XX. Extrinsecus, si Embroche excipias, vix ullo remedii genere utendum traderem. Stillicidium primis diebus in affectam partem sit ex lacte vaccino tepido, mox aqua fabror. kalybeat. fol. malvar. pariet. violar. flor. verbasc. melilot. chamomil. alterata, quibus postea addantur radic. asparag. fænicul. petrosel. apii, rusc. & h. m. Facto stillicidio in usu sit emplastrum de Cicuta, ejusque extractum intrinsecus assumptum, aut emplastrum de galbano crocato Mynsicht, vel de ammoniaco Foresti, aut diabotanum Blondelii, si in regione hepatis duri, scirrhosique tumoris adsint inditia.

XXI. Motus localis, equitatio præsertim instituatur, radicibus apii, asparagis cum cibis utatur æger, cibi sale absynthii condiantur: in vino Millepedes vivi magna quantitate macerentur.

XXII. Ubi res sit cum ægro calidioris temperamenti, febris adsit, calor, sitis, aliaque hujusmodi, contentus sum Fumariæ succo ad unc. iii. aut iv. ex jusculo pulli campestris. Jusculum, aut serum lactis radicib. fragariæ, & graminis alteratum bihorio post ad libræ pondus, & vespere exhibeatur ad multos dies.

XXIII. Hisce frustra adhibitis, ad aquam ex albo albi dictam deveniendum, quæ in hunc fere modum paratur.

Album ovi tandiu conquassetur, quandiu in spumam abierit. Uniatur dein cum unciis quinque aq. gramin. ad. sacchar. canth. .s. p. ʒ i. M. Mane jejuno stomacho, & vespere frigida propinetur ad multos dies.

XXIV. Ubi alvus solvenda sit, sero lactis tamarindato uti expedit.

XXV. In pertinaci morbo aquæ Nocerianæ, vel similes in usum vocandæ.

XXVI. Ab aromaticis calidisque æger abstineat, aqua radic. fragar. alterata pro potu ordinario utatur.

XXVII. Ubi adsint calculi, doloresque ægrum dire exerceant, ol. Amyd. dulc. emulsiones semin. melon. 4. frigid. in aqu. malvar. lactuc. clysteres emollientes, fomenta regioni hepatis ex flor. verbasc. sambuc. violar. melilot. malvar. lacte decoctis, semicupium emolliens visa sunt convenire.

XXVIII. Extra paroxysmum calculi hepatis vix alia methodo pertractandi, qua obstructio a bile amurcosa. Acidulæ cæteris palmam præripiunt.

XXIX. Ubi Ictерus ab inflammatione hepatis exoriatur, venæ sectio, & alia adver-

sus

ſus ventriculi , & inteſtinorum inflammationem adhibenda .

XXX. Ubi a vehementi ira naſcatur , quies animo imperanda primum , mox emulſiones ſemin. quatuor frigidorum , melon. papaver. alb. in aquis nymph. portulac. cum nitro puriſſim. ſyrup. violar. exhibendæ , aqua noceriana , vel ſimiles fragaria alteratæ copioſæ , & tepidæ epotandæ .

XXXI. Ictерus febribus tertianis , quartaniſque diuturnis , & vagis ſuperveniens ſequenti electuario feliciſſime curatur .

℞ *Chi. chi. .s. pul. unc. i.*
Sal. abſynt.
Sal. armoniac.
Arcan. duplicat.
Extract. rhabarb. a ℥ ii.
M. cum ſyrup. de cichor. cum rhabarbar. q. .s. f. electuarium , quod propinetur mane ad ℥ ii. ſuperbibendo decoct. theiform. ſummitat. abſynth. fol. verben. chamæd. agrimon.

CAPUT X.

De Ictero .

I. *Flavus , plumbeus , viridis , & ex his mixtus color &c.*) Plerique Veterum duplicem faciebant Icteri ſpeciem , flavum ſcilicet, & nigrum . Hunc a liene , illum ab hepate repetendum eſſe contendebant . Sanguis nimirum ex quatuor humoribus juxta ipſos coaleſcit , ſanguine proprie dicto , bile , melancholia , pituita . Bilem , ut a melancholia diſtinguerent , bilem flavam nominarunt , tenujorem ſcilicet ſanguinis portionem temperamento calidam , & ſiccam ; melancholiam vero , quæ craſſior , nigricantior , terreſtrior eſt pars ſanguinis , temperamento frigida , & ſicca , atram bilem dixerunt . Quoniam vero ipſis perſuaſum erat , bilem flavam in hepate tamquam in cloaca depoſitam , melancholiam in liene , in eam opinionem venerunt , ut crederent . Icterum flavum a bilis flavæ intra cutim affuſione ob vitium hepatis , nigrum vero ab atra bile ob vitium lienis repetendum eſſe . Quæ ſententia inventa ſanguinis circulatione jamdudum obſolevit , affirmantibus Recentioribus Medicis , fatentibuſque frequentius quidem flavo colore infici cutim , non raro etiam nigro , qui tamen ad plumbeum magis accedit , ac flavo Icтero diuturniori ſupervenit , unde eſſentialiter non differre colligit Etmullerus , ſed & vireſcere , & alios ex his mixtos colores induere . Alterutro autem ex his coloribus deturpetur cutis , præterquamquod Icterum (qui & arquatus morbus , & regius , & auriginoſus dicitur) oriri putant , ab una præterea cauſa eumdem repetendum eſſe pugnaciſſime ſuſtinent .

II. *Dum bilis in hepate ſeparari nequit , vel ſeparata &c.*) Exiſtimant nimirum , bilem ſecretam jam in hepate , cum nequeat in veſicam fellis traduci , aut per peculiares ductus , ac meatus ad inteſtina tranſmitti , in vaſa lymphatica , atque ſanguinem regurgitare , eundemque ea ratione corrumpere , atque afficere , qua opus eſt ad varios cutis colores excitandos (1) . Tametſi juſtis laudibus æquare non valeam , quæ adverſus Veterum opinionem tradidere viri præſtantiſſimi , parcant tamen ſi in diverſam eo ſententiam , cum docent , a bile ſecreta jam in ſanguinem regurgitante Icterum exoriri . Ire autem faciunt potiſſimum longum nimis , ac laborioſum opus , ut bilis , quæ ſecreta jam eſt , ſanguinis circulationi rurſus reſtituatur , atque biliоſarum particularum , antequam bilis formaliter , ut ajunt Scholæ , ſeparetur , in ſanguine præſentia , quæ tanta copia , quacumque de cauſa ejuſdem ſecretio prohibeatur , cumulari poſſunt , ut ſanguinem ipſum , & reliquos ſuccos inficiant , inquinentque ea ratione , qua cutis anguſtiis intercepti variis , fœdiſque coloribus eamdem deturpent .

III. *Glandularum , vaſorum ſanguiferorum , biliariorum obſtructio orta a bile amurcoſa &c.*) Glandularum , vaſorum copia , eorumque complicatio , & ſanguinis circumfuſio , quæ in hepatis ſubſtantia invenitur , Veteribus anſam præbuit ejus ſubſtantiam parenchyma dicendi , quo nomine non niſi vaſa concreto ſanguine , veluti omento quodam interſperſa , videntur voluiſſe ſignificare . Quę ſententia jamdudum obſolevit , affirmantibus pleriſque Medicorum poſt celeberrimum Malpighium glanduloſam eſſe hepatis ſubſtantiam . Quamquam vero nuperrimis temporibus permutata eorum provincia eſt . Sunt enim qui cum Cl. Ruyſchio vaſculoſam ex congerie vaſculorum minimorum prætendant : unde quæſtio inter Anatomicos maxi-

(1) *Vid. Hoffman. M. S. T. 4. p. 4. p. 190.*

maxime illuſtris. Ne ſingulis ſubtilitatibus immoremur, illud citra erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, ſive Malpighium, quem florentiſſimi hoc ſęculo Anatomici ſequuntur, audiamus, ſive Ruyſchium, glanduloſam eſſe hepatis ſubſtantiam. Glandulę enim ſunt Malpighianę, & Ruyſchianę, hoc tamen diſcrimine, quod Malpighianę ex variis implicitis, & aggregatis canaliculis ſub membranis ſerpentibus componuntur, Ruyſchianę vero ex contortis majoribus, minoribus, & minimis vaſculis conflatę, eęque potiſſimum bilis ſecretioni dicatę. Quod monere volui, ne verbis poſtea Adoleſcentibus hęrendum eſſet. Vel glandulę, vel vaſa ſanguifera, quę proximam bilis materiam ad hepar deducunt, vel biliaria, cujuſmodi ſunt ductus choledochus communis oblique in Duodenum hians, cyſticus ex veſicula fellis ad choledochum, & hepaticus ex hepate ad choledochum obſtruantur, bilis ſecretionem, vel ejuſdem derivationem in inteſtina prępediri, & conſequenter bilioſas particulas in ſanguine ea copia cumulari, ut univerſę ejuſdem maſſę inficiendę pares ſint, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Contingit autem frequentiſſime obſtructio a bile amurcoſa. Cum enim ſanguis per hepatis ſubſtantiam tarde admodum, & ſegniter moveatur etiam in ſtatu naturali (per ramos enim venæ portæ arterię vices gerentis ad venularum orificia defertur, quę non ea tunicarum ſoliditate, quę arteriis propria eſt, donatur, ſanguinemque valido impetu a corde projectum immediate non recipit, & ab extraneis minime comprimitur) amurcoſa bile peccante, nemo eſt, qui non videat, aut glandulas, in quibus eadem ſecernitur, aut vaſa ſanguifera, quę materiam ejus proximam adferunt, aut poros biliarios, qui in unum truncum prodeuntes excretorium hepatis ductum conſtituunt, aut cyſticum, & choledochum facillime obſtrui, atque ejuſdem ſecretionem, vel derivationem in Duodenum prępediri, unde Icterus.

A calculis ibidem genitis magnitudine &c. diverſis.) Non raro in ductu choledocho, aut veſicula fellis reperiuntur calculi, quos non alia de cauſa Ictero occaſionem prębere, quam bilis ad inteſtina derivationem prępediendo, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Parvi plerunque ſunt calculi, qui in veſicula fellis reperiuntur, quandoque tamen inſigniter increſcunt, id quod maxime liquet ex D. Georgio Franco (1), qui ex alterius medici obſervatione narrat, in milite quodam calculum unciam dimidiam, & drachmam ſemis pendentem qui cyſtidem felleam occupabat, repertum fuiſſe.

Conſiſtentia.) Non unius conſiſtentię iidem eſſe conſueverunt. Alii enim friabiliores, & molliores ſunt, alii ſolidi, compacti, denſioreſque. Hos aquę injectos fundum petere non ſemel ſe obſervaſſe teſtatus eſt Cl. Hoffmannus (2), cum reliquos plurimos ſupernatare vulgari experientia compertum ſit. Iſtorum tamen fragmenta, & minores portiones in fundum ſecedere id pręclarus auctor experimentis didicit; id quod in pumice manifeſtum eſt, qui grandioris molis ſupernatat, in pulverem vero redactus deſcendit. Quę in iis, qui experimentalem philoſophiam ſcrutati non ſunt, haud exiguam admirationem commoverunt. Minus tamen mirantur, qui huic ſtudio addicti, & metallicas ſubtiliſſimas laminas aquæ impoſitas ſupernatare, in fruſtula vero diviſas deſcendere, ſimiliter metallicas acus ſubtiliſſimas ſuper aquam jacentes innatare, rectas vero fundum petere deprehenderunt. Cujus quidem phænomeni ratio non aliunde petenda eſt, quam ex reſiſtentia, quam hiſce corporibus medium facit, nempe aqua. Supernatat calculus, ac pumex grandioris molis, ac metallica ſubtiliſſima lamina, ſupernatant acus metallicæ ſubtiliſſimæ ſuper aquam jacentes, quod incurrentia in particulas medii ſibi mutuo adhærentes innumerabiles, innumerabiles quoque opus habent disjungere, hinc reſiſtentia tanta eſt, ut vinci a gravitate illa non poſſit. Cum vero calculus, pumex, lamina in fruſtula diviſa, nec non acus erectæ aquæ imponuntur, aqua ipſa minus reſiſtit, hinc fundum petunt.

Colore.) Calculi uti magnitudine, & conſiſtentia, ſic colore differunt inter ſe. Albi ſcilicet, & cineritii, & plumbei, & ex flavo rubeſcentes, aut nigricantes, virideſcentes, variegati, pluribus maculis eleganter notati deprehenduntur, ut prę cęteris liquet ex M. N. C. (3). Flavi, vel nigri frequentiſſime omnium reperiuntur. Illos ad flammam candelę ignem concipere,

(1) *M. N. C. Dec. 2. an. 6. obſ. 194.* (2) *loc. cit. p. 2.* (3) *an. 1. obſ. 44.*

re, & ad inſtar cerę obſignatorię liqueſcere, hos vero in carbonem mutari, nec flagrare experimentis ſępius, & a multis factis compertum eſt. Quę quo modo fiant manifeſto apparebit, ſi eorumdem generationem prius aſſequemur. Quod nulla meliori ratione pręſtari poſſe perſpicuum eſt, quam a principiis bilem componentibus exordiendo. Bilis igitur conſtat ex oleo, ſeu ſulphure copioſo, ſale mediocri, ſpiritibus, & phlegmate, partibuſque aliquibus terreſtribus. Idque Analyſis in ejus partes evincit. Produnt præterea ſe partes ſulphureæ per inflammationem, & deflagrationem, ſalinæ per facillimam cum aqua communi miſcelam (oleoſum enim corpus ſine ſalis interventu commixtionem aquę non patitur) per vim penetrandi ſpiritus, per fluiditatem diu permeantem aqueæ partes, per conſiſtentiam terreę. His ita conſtitutis licet colligere, tunc calculos generari, cum ſalinę bilis particulę in pauca quantitate, ſulphureę e contra magna copia, terreſtrium particularum, aut glutinoſę cujuſdam materię vi caloris inſpiſſatę interventu coguntur. Fit enim exinde, ut ſecedentibus aqueis in durum quoddam corpus concreſcant, quod calculi nomine venit. Calculum porro ſic enatum, quoniam ſulphureis particulis maximam partem conſtat, flammam concipere perſpicuum eſt. E contra ſi terreſtrium, mucoſarumque inſignis ſit copia, atque hæ quidem nullo, aut valde exiguo ſulphurearum partium interventu congerantur, coganturque in lapideam coucretionem, calculus flammam non concipit, ac diverſam a priore naturam inducit. Quę cum dicimus, tam ab illis diſſentimus, qui exiſtimant, ſalia alchalica, acida, tartarea, aliaque hujuſmodi ad calculorum generationem facere, quam illi diſſentiunt a veritate. Sed plura, ubi de calculo Renum, ac Veſicę.

Subſtantiæ hepatis, vel membranarum, & ligamentorum inflammatio.) Aliquando ſolam membranam hepar veſtientem inflammari, aliquando vero ipſam hepatis ſubſtantiam Hippocrates, & Galenus docuiſſe olim viſi ſunt. *Quorum hepar*, inquit Hippocrates (1), *ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt; in tunica enim his pus continetur: Si vero qualis amurca fluat, pereunt.* Qua de re loquens Galenus in com. *Quibus*, inquit, *in tunica eſt pus, nihil patiente ſubſtantia hepatis ſolvuntur omnes; quibus vero uſque ad carnem hepatis corruptio pertingit, non abſque ratione moriuntur.* Quæ ſi ad examen ſedulo revocentur, protenſo quaſi digito commonſtrant, tam externas hepatis partes, membranas ſcilicet, ligamentaque, quam ipſius ſubſtantiam concipiendæ inflammationi parem eſſe. Non defuere tamen florentiſſimi hac ętate Medici, qui ab Hippocrate, & Galeno diſſentientes rem dubiis plenam reliquerunt. Si enim Fridericum Hoffmannum conſulimus, hepatis ſubſtantiam paullo diligentius, ac ſubtilius contemplans eamdem inflammationi concipiendæ imparem deprehendit. Cum enim hepar maximam partem venis portæ, & hepaticæ propaginibus coagmentetur, quę ob nervorum, membranarumque nervearum defectum obtuſo ſenſu præditæ ſunt, mirum in modum diſtendi poſſe putat, quin dolor, febris, aliaque ſymptomata inflammationibus maxime propria excitentur. Inflammationes eas invadunt partes, quæ ſenſu exquiſitiſſimo præditę ſunt, membranas ſcilicet nerveis filamentis copioſiſſimis contextas, quo fit, ut in minimis vaſculis primo ſubſiſtens ſanguis, tum in lateralia effuſus tumorem, febrem, doloremque procreet, ut alia mittam quamplurima, quibus ſententiam ſuam confirmat, quę quoniam clare exponuntur, legi ex fonte malumus, quam hic referri (2). Verum bona pace tanti viri, vereor ne falſa opinione adductus id ſibi in animum induxerit. Cur enim ſanguis, ſi purus, ac ſincerus, atque acredine peccans in finibus arteriæ hepaticæ, & venæ portę ſingulari plane munere arteriæ vice gerentis ſubſiſtens, ac ſtagnans non ea ratione afficere valeat tunicas, ac membranas, qua opus eſt ad inflammationem excitandam, omnino non video. Nonne Cerebrum, Pulmo, aliaque viſcera obtuſiſſimo ſenſu donantur? Et tamen eorumdem inflammationes frequentiſſime occurrunt. Quamquam illud libenter conceſſerim, internæ hepatis ſubſtantię inflammationem externę ſequi inflammationem, ut de Peripneumonia ſuccedente Pleuritidi ſuperius oſtendimus. Quę enim tanta loci diſtantia, ut impedito motu

(1) 47. *aphor. ſect.* 7. (2) *M. S. T.* 4. *P.* 1. *de feb. hepat. & diſſert. de hepat. inflam. vera rariſſima, ſpuria frequentiſſima.*

tu ſanguinis per vaſa internam hepatis ſubſtantiam percurrentia, propter inſignem nervorum conſenſum per externas partes minime perturbetur, unde ſpaſmo excitato dolor, febris, aliaque hepatitidem comitantia ſymptomata ſuſcitentur? externę autem partes tantum, vel internę hepatis inflammatione corripiantur, certum eſt, ſanguinis motum per hepatis vaſcula prępediri, tumorem elevari, glandulas, poroſque biliarios comprimi, hinc bilis ſecretionem, excretionemque impediri, unde Icterus.

Convulſio eorumdem a bilis tenuitate nimia, atque acredine.) Quotieſcumque vaſa ſanguifera, aut biliaria ſpaſmodica conſtrictione afficiuntur, eorum diametrum ita anguſtari, ut fluidis libera circulatione trajiciendis inepta reddantur, perſpicuum eſt. Quod ubi contigerit, neque neceſſariam ſanguinis partem glandulas appellere ad bilis ſecretionem efficiendam, neque ubi appellat, ſecretionem ejuſdem fieri poſſe, ac per peculiares ductus in inteſtina deferri, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Convulſioni porro anſam prębere valent, quę tenuitate nimia, atque acredine peccant, ideoque pungendi, vellicandi vim habent. Si hiſce qualitatibus bilis ipſa peccaverit, cur convulſioni producendę non opportuniſſima exiſtet? Quam apte cadit in hunc locum Icteri diviſio a Veteribus tradita in calidum, & frigidum! Quam nihil eſſe video cur ejiciant Recentiſſimi. Quid eſt enim cur bilem craſſam, viſcidam, amurcoſam, ac difficilem, glandulas, ductus, atque emiſſaria, a quibus ſecernitur, vel per quos in inteſtina derivatur, obſtruentem frigidam, acrem vero, tenuem, fuſam, ac ſolutam calidam jure optimo non dicamus?

A vehementi ira.) Sed omnium frequentiſſime contingit a ſpirituum animalium perturbato motu, cæcoque impetu in organa bilis ſecretioni, ac derivationi dicata prædictam conſtrictionem excitari citra bilis ipſius, aut alterius tenuis nimis, acriſque humoris interventum. Hujuſce porro perturbati ſpirituum motus plures eſſe poſſunt cauſæ. Inter has principem obtinet locum vehemens ira. Ira, ut omnibus notum eſt, nihil eſt aliud, quam vehemens animi commotio excitata ab objectu aliquo externo, quod homini aliquo pacto injurioſum eſt.

Fit hinc, ut propter mirabilem nexum, & unionem animæ cum corpore tales in Cerebri fibras inducantur motiones, quibus ſpiritus majori copia ad omnes fere corporis partes ferantur, unde cor in validiores, crebrioreſque contractiones agi contingit, ſanguinem celerius, ac vehementius per vaſa propelli, hinc pulſum validum, durum, celerem, ac frequentem exoriri. Quamquam vero non ſolum majori copia, ſed cæco impetu cum in omnes partes (id quod concuſſio totius corporis, tremor, dentium ſtridor, aliaque hujuſmodi evincunt) tum ad eas quę ad bilis effuſionem ſunt opportunę (quod dolor in dextro hypochondrio, vomitus, diarrhœæ, dyſenteriæ, choleræ manifeſtant.) In tanta ſpirituum perturbatione, ſi organa bilis ſecretioni, ac derivationi dicata ſic conſtringantur, convellantur, aut alia ſimili ratione afficiantur, qua ad aſſueta munia inepta reddantur, Icterum ſupervenire, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla (1).

Spaſmo hyſterico, laborioſo partu.) Spirituum ataxia maxime familiaris eſt feminis, quæ hyſterica affectione conflictantur, quæ propterea diris convulſionibus premi ſolent. Colica his ſuccedit frequentiſſime hyſterica dicta, non aliunde, quam a ſpiritibus animalibus cæco impetu in coli fibras irruentibus repetenda, unde propter immediatum conſenſum inteſtinorum cum ductu choledocho, ſpaſmodica ejuſdem conſtrictio ſupervenit, qua bilis derivatio in duodenum prępeditur, unde Icterus. Jam de laborioſo partu dicamus. Fętus debitam magnitudinem adeptus carceris impatiens capitis vertice ad uteri os internum, & facie ad matris os cocygis obverſo nititur verſus inferiora deſcendere. Muſculi abdominis convelluntur violenter, fœtumque vi expellunt in pelvim. Si matris, & fętus niſibus os uteri molli, & lubrico linimento laxatum jam dilatatur, diſrumpuntur membranæ, quibus continetur, effluunt aquæ, caput infantis agitur in capacitatem oris dilatati, infans commode exit. Si aliter res habeat, convulſiones muſculorum abdominis violentæ, ac internorum viſcerum fere omnium, pręſertim imi ventris ſuperveniunt, quibus facile ductus, atque emiſſaria bilis ſecre-

(1) *Confer. com. in aph.* 4. *c.* 3.

ſecretioni, atque excretioni dicata occludi contingit, hinc Icterum exoriri.

IV. *Rerum acidarum, & difficilis coctionis abuſus.*) Nulla re magis figuntur, condenſanturque humores, quam rerum acidarum abuſu. Quod non ſine admiratione accipi ſolet ab iis, qui contrarias acidorum corporum proprietates deprehenderunt. Notum enim eſt, lapides, & metalla, & cætera alchalica terrea rodi, & diſſolvi magno calore, & crepitu, quandoque etiam igne excitato ab hiſce corporibus. Ita Plinius (1), *Acetum*, inquit, *ſaxa rumpit, quæ non rumpit ignis*. Quæ igitur cogendi, denſandique facultas? Recte quidem, ſi de ſolidis corporibus præſertim macris, ut ſunt lapides, & metalla, & cætera alchalica terrea, ſermo ſit; ſi vero de fluidis, quæ ex pinguibus, oleoſis, & ramoſis partibus conſtant, contrarium omnino ſuccedit. Id quod experimentis comprobatum eſt. Si enim oleum vitrioli, ſpiritus ſalis marini, ſpiritus nitri, ac cętera acida ſero ſanguinis affundantur, in gelatinam quamdam concreſcere cultri anatomici aciem effugientem deprehendimus. Has duas acidorum proprietates notavit Dioſcorides (2). Cum igitur rerum acidarum abuſu fluida cogantur, ac condenſentur, ubi ad hepar pervenerint, in quo minor eſt arteriarum, atque adjacentium partium impulſus, in minimis glandularum folliculis ſubſiſtere, atque aggeri coguntur, unde obſtructiones, tumoreſque bilis ſecretionem, vel derivationem in duodenum impedituri, & hinc Icterus. Idem plane dictum velim de alimentis difficilis coctionis, quæ viſcido, lentoque chylo conficiendo plurimum tribuunt, atque hinc ſanguinem ad fluendum minus aptum reddunt.

Aer paluſtris.) Præter recenſitas cauſas, quæ fluidorum craſim alterando obſtructionibus anſam præbent, aliæ occurrunt, quę in fluidas, & ſolidas partes operantur. Spectat huc aer paluſtris. Nemo ignorat, aerem, quo magis elaſticus, gravis, frigidus, aut ſiccus eſt, eo magis fibras noſtri corporis intendere, ac roborare, unde & robuſtius, & ad actiones omnes vegetius fieri experimur. E contra minus elaſtico, & minus gravi, atque humido exiſtente aere, fibras ejuſdem laxari, & debiliores fieri, atque hinc corpus infirmius reddi, actiones omnes ejuſdem langueſcere manifeſta res eſt. Dici autem vix poteſt, quantum fibræ noſtri corporis tenſæ, ac roboratæ excurſui ſanguinis, humorumque per univerſas fere corporis partes, ſecretionibus, excretionibuſque promovendis, attenuandis iiſdem, atque exſolvendis tribuant. Laxatis e contra, atque flacceſcentibus fibris, fluidorum excurſum, ſecretiones omnes, excretioneſque retardari, ad fluendum eadem inepta reddi, denſiora fieri, atque hinc congeſtiones, viſcerum imi ventris obſtructiones exoriri adeo manifeſtum eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere poſſe putem.

Graviores animi curæ cum mœrore, & triſtitia.) Gravioribus animi curis cum mœrore, ac triſtitia ſolidas partes maxime chylificationi dicatas relaxari contingit, ſuccorum eidem muneri inſervientium ſalivalium ſcilicet, qui a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillant, pancreatici, bilioſi ſecretiones imminui, ac retardari, ſaltem illorum vim, atque activitatem infringi, hinc chylum crudum, acidumque generari, qui ubi in maſſam ſanguinis pervenerit, cum a vi cordis, pulmonum, arteriarum, muſculorumque flacceſcentium jam ſolvi nequeat, craſſitiem, viſciditatem, lentoremque eidem conciliat, atque ad fluendum minus aptum reddit, qui propterea per anguſtiſſimos, atque exiliſſimos hepatis poros, ductus, atque emiſſaria trajectus hærere, ac ſubſiſtere cogitur, unde obſtructiones viſcerum imi ventris, atque hinc Icterus. *Mœrentes*, inquit Sanctorius (3), *facile obſtructiones, partis duritiem ..... patiuntur*. Cl. quoque Hoffmannus in eamdem ſententiam tulit: *Longior triſtitia dum ſanguini craſſo gignendo, & abhinc prodeunti tardiori ejuſdem circuitioni apprime inſervit, ad Icterum chronicum, & contumacem aut producendum, aut revocandum exiſtit aptiſſima.*

Chin. Chin., cui excretio aliqua ſenſibilis non ſuccedit, diuturnus uſus.) Nonnullos febribus intermittentibus uſu Chi. Ch. curatos inſigni anorexia, ac virium languore affici, non ſemel deprehendi, cum alii e contra perfectiſſime convaluerint, ne vel minimi quidem in primis viis, hiſque proximis viſceribus vitii exiſtentis indicio apparente. Cum rem diligentius perpenderem

(ade-

(1) *lib.* 23. *cap.* 1. (2) *lib.* 2. *cap.* 85. (3) *ſect.* 7. *aph.* 3.

(aderat enim conſtitutio febrium intermittentium ob aquarum ſtagnantium copiam, quæ Pollicinium fere omne devaſtaverant) deprehendi, eos feliciſſime curari uſu Quinquinnæ, cui excretio aliqua per ſudorem, aut urinam, aut alvum ſuccedebat, ex adverſo iis evenire, qui Quinquinna pertractabantur, nulla autem criſis apparebat, imo eaſdem ſæpius recrudeſcere, atque in alterius generis febres lentas, & vagas converti, pleraſque in cachexiam, obſtructiones viſcerum imi ventris, atque Icterum deſinere. Hiſce porro ad credendum vehementer adductus ſum, mordacitati, ac corruptioni ſuccorum gaſtricorum, bilis præſertim, unde febres intermittentes ortum traducunt, craſſitiem, ac viſciditatem ſuccedere, prȩterea organa eorumdem ſecretioni dicata diuturno corticis peruviani uſu plus ȩquo adſtringi, & inepta ſuis muniis conſtitui, unde obſtructiones fieri contingit, atque hinc cachexiam, aliaque incommoda exoriri. Quamvis enim nondum inter Medicos conſtitutum ſit, qua vi cortex Peruvianus ejuſmodi febres extinguat, affirmantibus aliis cum Bado id efficere ſpecifica, & occulta proprietate; aliis cum Gaudentio Brunaccio, & Paravicino per manifeſtas qualitates, calorem ſcilicet, & ſiccitatem, quibus frigidum, & humidum, unde febres intermittentes exoriuntur, deſtruitur; aliis cum Mortono, quod peſtiferum, ac deleterium miaſma ſpiritibus infeſtum ab eodem profligatur; aliis cum alchali, & acidi propugnatoribus, quod acidum, aut ſalſo acidum febrile fermentum invertit, & obtundit; aliis cum Tellino, Solario, quod bilem, unde febres intermittentes ortum habent, vi ſua adſtrictoria figit, & ſiſtit; aliis cum Sturmio, Mungino to, quod lentos, ac difficiles humores, unde eædem proficiſcuntur, ſolvit, & incidit; illud tamen negari non poteſt, amaras, leviter aromaticas, auſteraſque particulas continere corticem Peruvianum, quibus non ſolum craſſamenta ſanguinis diſſolvi contingit, ſi experimentis Cl. Freindii (1) credendum ſit, qui tincturam corticis Peruviani ſanguini, ejuſque ſero admixtam fluiditatem utrique conciliare teſtatus eſt; ſed ſolidas partes ventriculi, inteſtinorum, pancreatis, hepatis, ac meſenterii, quæ iſtarum febrium ſedes, ac foci ſunt (2), leniter adſtringi, ſeu mavis roborari, firmarique. A ratione igitur prorſus aberrare is minime videatur, qui diuturno Quinquinnæ uſu, cui excretio aliqua ſenſibilis non ſuccedit, ubi præſertim primæ viæ multis cruditatibus, ac ſordibus ſint obſeſſæ, prædictas partes, ac viſcera plus æquo adſtringi affirmet, atque affici ea ratione, qua opus eſt ad eorumdem obſtructiones, atque abhinc prodeuntes graviſſimos morbos excitandos, ut unus inſtar omnium Cl. Fridericus Hoffmannus (3) luculenter oſtendit, atque olim Jacobus Chifletius teſtatus eſt. Quam ſententiam licet multis obſervationibus, firmis validiſque rationibus refellere conatus ſit Cl. Mortonus (4), quis idem concedat de omnibus, deque illis, quibus excretio aliqua non ſuccedit, quæque præpoſtera methodo a Medicis pertractantur? Quibus ſic conſtitutis licet colligere, in ſumma obſcuritate illos verſari, qui in ea ſunt opinione, ut credant, a cortice Peruviano fugari febres intermittentes nulla ſecretione, & criſi ſubſequente. Quam opinionem præterquamquod multorum præeunte exemplo Albertinus (5) falſiſſimam eſſe cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus obſervationibus deprehendit, illud quoque acceſſit, ut firmis adeo, validiſque rationum momentis eamdem confutaverit, ut qui aliter ſentiat, falſa prorſus ſentire videatur. Quæ enim febres, inquit ipſe, quæ ſine excretione aliqua ſolvantur? Adeo verum eſt, febres omnes cum excretione aliqua ſolvi, ut ne vel febres quidem, quæ a veneno naſcuntur, aut a miaſmate, & halitu peſtifero, & maligno, & ſerpentum morſu (neque deſunt, qui ſucci corruptionem, unde febres oriuntur, cum veneno conferant) excipiantur, nedum illæ, quȩ per coctionem diſcuti dicuntur, aut quæ magno, & ſubito pavore ſolvuntur. Radicem gentianæ, centauream minorem, flores chamomillæ Romanȩ, chamædym, cortices aurantiorum febrifuga olim Medicis clara, & remediorum genus omne febrem pellere per evacuationem oſtendit. Mitto alia quamplurima, quæ in hanc rem egregie cadunt, ut-

(1) *Emenolog. cap.* 14. *p.* 226. (2) *Vid. lib.* 1. *cap.* 9. *com. in aph.* 5.
(3) *de uſu, & auſu Chin.* (4) *exercit.* 1. *cap.* 7. *de cortice Peruvian. atque virtute ejus.* (5) *Com. Acad. Bonon. opuſc. p.* 145.

utpote illa, quæ elegantiſſime expoſita loc. cit. (& vero nihil in com. Acad. Bonon. non elegantiſſimum) legi malumus, quam referri. Sed plura de febribus (1).

V. *An ab exaltatis in ſanguine biliosis particulis*.) Cum nonnulli animadverterint, fæces continuo albicantes non egeri, imo interdum plus æquo flaveſcere, indicio manifeſtiſſimo bilis ſecretionem, atque ejuſdem derivationem haberi, præterea non ſemper inventas fuiſſe obſtructiones in hepate, aut ejus ductibus, atque emiſſariis, aut quidquam, quod impedimento eſſe poſſet, quominus commode eadem ſecerneretur, atque in duodenum derivaretur, in eam opinionem venerunt, ut crederent, icterum a bile acriori, tenujorique reddita, atque ad immodice effervescendum apta repetendum eſſe. Quam quidem opinionem tuentur, qui Graafium, & Sylvium ſequuti ſunt. Cui ſententiæ quantum adſtipulandum ſit, colligi poteſt ex iis, quæ ſupra attulimus de colica agentes, ubi bilem effervescere nunquam poſſe demonſtravimus (2). Quare verosimilior videtur illorum opinio, qui exiſtimant, ab exaltatis, & aggeſtis in ſanguine biliosis particulis citra hepatis vitium, & acrioris bilis interventum oriri poſſe icterum. Quo loco animadvertendum eſt, non accipiendas eſſe biliosas particulas, ut plerique Veterum opinati ſunt, ſed tenujores, agiliores, rigidioreſque ſanguinis partes, quæ a reliquarum nexu ſecedentes humorem illum biliosum dictum conſtituunt. Quamquam vero lis potius de nomine eſt, quam de re. Quid enim vetat, cur particulas iſtas ſumme agiles, ac ſubtiles biliosas non dicamus? Cur ratione caloris, quem excitant, calidas, ratione vero rigiditatis, qua donantur, ſiccas, quæ de bile prædicantur, jure merito non vocemus, omnino non video.

An a lymphæ, & ſeri ſanguinis, ob ſalium præſertim acidorum mixturam, exſolutione.) Serum, ac lympham ſanguinis ſalium præſertim acidorum mixtura exſolutam rufum, & croceum colorem induere tradidit Cl. Tozzi (3): *Experimur*, inquit præclarus Auctor, *lixivium e cineribus plantarum in aqua elixis paratum flaveſcere, vergereque in croceum colorem, ſi acidum juſta menſura ſuperaffundatur; quin & lixivium ipſum, ſi multo, & acri cinere aſperſum pluſquam deceat efferbuerit, non leviter rubeſcere, & rufum colorem induere*.

Lympham porro, & ſerum ſanguinis plerunque vitiari perbellis obſervationibus Sylvii De le Boe, Graafii, Zachiæ, aliorumque demonſtrat, quas operæ prætium non eſt percenſere numerando, cum nihili, floccique eaſdem faciant Mechanici nonnulli, qui, poſtquam Robertus Boyle, Archibaldus Pitcarnius, aliique hypotheſes de acido, & alchali demonſtrarunt, adeo ab acido abhorruerunt, ut nullum in humano corpore non modo reperiri, ſed ne eſſe quidem poſſe pugnaciſſime ſuſtineant. Quod ſi verum eſt, illorum ſententiam, qui ob ſalium acidorum mixturam ſerum ſanguinis exſolvi ea ratione poſſe putant, qua opus eſt ad rufum, croceumque colorem inducendum, per ſe corruere, vel lippis, ac tonſoribus notum eſt plus, quam ipſorum digiti, atque ungues. Et ſane horum opinio firmis, validiſque rationum momentis innititur, quas potiſſimum a Roberto Boyleo deſumpſerunt. Primum enim nullum in humano corpore acidum per chymicam artem elici unquam potuiſſe affirmant. Raymundum Vieuſſenium (4), qui ex libris quinquaginta ſanguinis ſemiunciam elicuiſſe ſpiritus acidi teſtatur, experimento deceptum fuiſſe (5). Cum enim bolum, ſeu terram ad experimentum adhibuiſſet, ſpiritum illum acidum a bolo provenire affirmare non dubitarunt. Quid quod plantæ per os aſſumptæ, quantumvis acido fœtæ, actione tamen ventriculi, & pulmonis, & cordis, & arteriarum circuitioni ſanguini inſervientium mutantur cito in corpora alchalica? Tantum igitur abeſt, ut acidum in ſanguine reperiatur, quantum ſal acidus ab alchalico differt, quem ſolum exigua mole ſanguini ineſſe oſtendere conati ſunt. Quibus tamen, ut ingenue fatear, neſcio quantum adſtipulandum ſit, cum ſatis firma, ac valida, ne validiora dicam, ſuppetant argumenta, quibus evinci poteſt, acidum in ſanguine reperiri, etiamſi in eodem vel naturaliter conſtituto, vel morboſo ſenſibile non appareat, atque extrahi ab eo nullo modo poſſit. Si de experimento Vieuſ-

(1) *lib. 4. cap. 5. com. 26.*
(2) *cap. 5. com. in aph. 5.* (3) *in praxi.* (4) *lib. de nat. ſanguin.*
(5) *Vid. Pitcarnium in diſſert. brevi, quam præſtant corpora acida, aut alchalica.*

Vieuſſenii ſermo ſit, cur eodem deceptum fuiſſe affirmes, omnino non video, cum præſertim a D. Hombergio chymico præſtantiſſimo confirmatum ſit, qui in ſtercore humano, & multorum animalium, & in phoſphoro, qui ex urina humana componitur, acidum ſe reperiſſe teſtatus eſt. Quæ adverſus Vieuſſenium afferuntur, dicuntur quidem ſubtilius, ſed quid eſt, quod & Hombergio idem ſucceſſerit commodiſſime? Utcumque id ſit, acidum in ſanguinem migrare vel ipſi fatentur, cum vegetabilia per os aſſumpta manifeſto acido fœta in ſanguinem accepta humorem alchalicum progignere affirmant. Acidum in ſanguinem migrare manifeſtiſſime evincunt lac, quod facile aceſcit, ac jura animalium, quæ ſponte acidum contrahunt. Quod ſi ſenſibile non apparet, id vel ex eo maxime evenire poteſt, quod alimenta ventriculi, inteſtinorum, pulmonum, cordis, arteriarumque actione ita teruntur, priuſquam veram ſanguinis naturam induant, ut eorum ſulphur majorem in modum ſolvatur, & avolet, atque reliqua ejus pars cum ſale primigenio intime miſceatur, quæ duo unita urinoſum, aut communem, aut huic perſimilem ſalem præbent, ſale interim acido minime apparente. Acidum in ſanguine, quem ipſum infecit, inquinavitque, ſenſibilem non apparere, ut extrahi nulla arte queat, facit potiſſimum ejus tenuitas, quæ quidem tanta eſt, ut percipi nullo modo poſſit. Cujuſce tenuitatis exemplo eſſe poſſunt miaſmata maligna, ac deleteria, ſeu corpora quæcumque, quæ vel per aerem, vel cum cibis, vel per extimos poros cutis in ſanguinem ingreſſa ejuſdem maſſam varie corrumpendo malignos, contagioſos, ac peſtilentiales morbos procreant, quę tamen, quamtumvis connitaris, deprehendi nullo modo queunt. Poteſt etiam acidum cum reliquis partibus ita miſceri, ac cohærere, ut ſeparari rurſus non valeat. Notum eſt, vitrum ex ſale, & arenis componi (qua de re Kunkelius (1). Sal autem diligentia nulla a Chymicis extrahi unquam potuit. Quæ cum ita ſint, ſtatuere certo poſſumus, acidum in ſanguine exiſtere, at ſaltem ſuſpicioni locus non deeſt. Quapropter apparet, illorum ſententiam, qui putant, ob ſalium acidorum mixturam ſerum, ac lympham ea ratione affici poſſe, qua opus eſt ad Icterum producendum, non eſſe prorſus rejiciendam.

VI. *Viperæ morſui*.) Inter venena, quæ venenoſa animalia homini communicant cujuſvis generum ſerpentum, ſive anguium, ſeu viperarum venenum eminet. Hoc nempe inſignis languor, pulſus debilitas, intermiſſio, cordis palpitatio, vomitus bilioſi, ſenſuum hebetudo, difficultas reſpirationis, ſudores gelidi, tremores, convulſiones, Icterus, aliaque hujuſmodi conſequuntur. Quamquam fateri licet, ictum ſive viperarum, ſive anguium, quæ in noſtris regionibus degunt, minus virulentum eſſe. *Italia*, inquit Celſus (2), *frigidioreſque regiones hac parte ſalubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt. Minus terribiles* inquam; ex quo Celſi effato conſtat, perperam ſibi demonſtrandum ſumpſiſſe Hoffmannum (3), viperarum, atque anguium ictum minime virulentum eſſe. Præclaræ extant obſervationes apud Cl. Mead de viperæ veneno. Compertum eſt, cultri Anatomici ope liquorem quemdam ſubflavum a viperarum ſanguine ſecerni, glandulis diverſæ naturæ parte anteriori ſincipitis locatis, quarum ſingulæ communi membrana tectæ vas excretorium exhibent, quæ vaſa ſeſe uniendo ductum formant ad radices dentium inciſorum perforatorum decurrentem, ibique in veſiculam eumdem liquorem deponunt, qui particulis ſalinis egregie minutis quaſi ſpiculorum inſtar ſcaturiens morſus tempore in vulnus infunditur, unde vellicatis majorem in modum nervoſis partibus, ac corrupta totius ſanguinis craſi, prędicta ſymptomata excitantur. Morſus, inquam, tempore. Niſi enim venenum Viperæ per vulnus inflictum ſanguini immediate affundatur, innoxium eſt. Ita gallinæ demorſæ a vipera indemnes comeduntur, & quartanam febrem feliciter debellare creduntur. Si irritata vipera virus in chartam jaculetur, non ſolum innoxie manibus contrectatur, ſed a quibuſdam devoratur. Canes ipſi reſecta earum capita, in quibus potiſſimum venenum recondi reputatur, devorant nulla mortis mulcta. Obſervatione dignum eſt, læſis partibus relinqui ſpicula, ac dentis infeſti acumen ob ictum deeſſe in dentium Viperinorum Anatome, ut cum Cl. Severi-

(1) *in arte vitraria*. (2) *lib. 5. c. 17.* (3) *de venen. eorumque natura*.

verino animadvertit Thomas Bartolinus. (1).

Febribus etiam ſupervenit Icterus, atque hic quidem, ſi ante ſeptimum diem ſymptomaticus &c.) Excretio aliqua ſymptomatica nihil eſt aliud, quam error naturæ immaturæ materiæ morbificæ expulſionem conantis. Criſis vero naturæ motus conantis expulſionem materiæ morbificæ mature, & peracta jam coctione. Flavedo, quæ in cute Ictericorum apparet, nec ſymptomatica excretio dici poteſt, nec critica. Pendet enim a bilioſis particulis in ſanguine retentis, & ad omnes corporis partes, & viſcera æque delatis, non cutim tantum. Hinc eſt, ligamenta uteri, pulmones, ventriculum, omentum præ cæteris, & omnes membranoſas partes flaveſcere; quin imo oſſa eadem, & cartilagines flavo colore tingi præclaris obſervationibus Cl. Kerkringi (2), Dolæi (3) deprehenſum eſt. Non alio porro ſenſu ſymptomaticus dici poteſt Icterus, vel criticus, quam reſpectu habito ad febrium tempora. Si enim ante ſeptimum diem ſuperveniat nondum materiæ morbificæ coctione peracta, ſymptomaticus, ſi vero 7. aut 14. die, quo tempore coctionis indicia haberi ſolent, nihil ſane eſt, cur criticus jure non appelletur. Nihil porro eſt ſymptomaticus Icterus, quam materiæ cujuſdam morbificæ congeſtio, criticus vero ejuſdem a reliqua maſſa præcipitatio, ac ſecretio, ut Hippocrates (4).

VII. *Infantibus quoque ob mæconii retentionem &c.*) Quæ ſit cauſa naturalis, ac legitimi partus, quæſtio eſt. Obſoleta jam Hippocratis, & Galeni ſententia Cl. Steno in eam venit opinionem, ut crederet, inteſtinorum fœtus excrementa per alvum dejecta cum Amnii liquore commixta denuo ab ore fœtus exſugi, eo uſque dum repetitis dejectionibus, ſuctionibuſque Amnii liquor ingratus odore, fœtiduſque factus moleſtiam ori fœtus inferat, illumque ad exitum ſtimulet. Hanc firmis adeo, validiſque rationum momentis confutavit Cl. Cyrillus, ut qui Stenoni aſſentiri velit, garrire, & ſomnia narrare videatur. Derelincurtii ſententia judicantis naturalis partus cauſam eſſe ſtimulum in inteſtinis potiſſimum excitatum a copioſioribus fæcibus collectis, ac nerveas eorumdem fibrillas pungentibus adeo plauſibilis fuit, ut nonnulli (quos inter Verheyenius) non alio ſenſu fœtum maturum indigere aere exiſtimaverint, ad fæces per validam inſpirationem expellendas. Quę licet laudato Cyrillo, aliiſque minus arriſerit affirmantibus neceſſitate tantum reſpirationis, vel majoris per pulmones circulationis urgeri fętum, ei tamen plurimum favet obſervatio, fętus vix natos excrementa ex alvo nigra, tenacia, & ſplendentia Męconium dicta dejicere. Vidit natura quid fętui recens nato opus eſſet ad iſtas inteſtinorum ſordes eliminandas, effecitque, ut haberetur e mammis ſecretio lactis aquoſi primum, ac diluti, quo facile totus inteſtinorum canalis elueretur, & ne quid ſupereſſet, quod acrimonia ſua nerveas fibras in vehementiores, & non ordinatas contractiones ageret. Quod ſi vel fęcum ipſarum vitio, vel lactis ſordes, atque excrementa retineantur, inteſtinorum fibras facile convelli, ac ſpaſmo affici contingit, qui ductibus ſecretioni, vel derivationi bilis dicatis communicatus Icterum producit.

VIII. *Prodit ſe Icterus flavedine præſertim in tunica oculi albuginea &c.*) Tunica oculi albuginea, ut omnibus notum eſt, tenuiſſimis vaſculis tenuiſſimum lymphaticum humorem vehentibus donatur. Hinc eſt, cumulatis in ſanguine bilioſis particulis, ac ſerum, lympham, & ſuccum nutritium flavo colore inficientibus, flavedinem in tunica oculi albugineam magis, quam in reliquis partibus conſpici.

Qua fit, ut objecta colorata interdum appareant &c.) Juvenem Ictero laborantem, qui objecta colorata intueri ſe affirmabat, noviſſe teſtor; id quod etiam bis ſe obſervaſſe teſtatus eſt Hoffmannus. Cum phęnomeni rationem inquirerem, anceps ac dubius animo diutius extiti. Cum tamen animadverterim eos, quorum oculi flavo, aut viridi vitro armati ſunt, flaveſcentia aut virideſcentia objecta videre, hęrere mihi diutius non licuit. Cum enim vitrum cryſtallini humoris munere fungatur, in eam opinionem veni, ut crederem, tunc objecta colorata Ictero laborantibus apparere, cum ipſe cryſtallinus humor infectus eſt, qui propterea lucis radios lentis ad inſtar cu-

(1) *De Angina Epidemica exercit.* 6. (2) *Spicileg. anat.*
(3) *Encyclopæd. Med.* (4) *Sect.* 4. *aph.* 64.

juſdam colligens flaveſcentes ad retinam demittit, unde objecta flaveſcere videntur.

Interdum fæcum albedine, alvi adſtrictione, atque hypochondriorum pathematibus &c.) Si bilis ſecretio, ac derivatio in inteſtinum Duodenum præpediatur, non ſolum fæces albeſcunt, ſed deficiente naturali fluiditate, difficillime egeruntur. Deficiente bilis conditura alimenta in ſtomacho ſoluta, ac in Duodenum delata non bene attenuantur, ſcinduntur, penetrantur, atque ea ratione afficiuntur, qua opus eſt ad veram, ac perfectam chyli naturam induendam, ſed in ſuccum quemdam mutantur crudum, acidumque, qui facile corrumpitur, ac ſtimulo, & moleſtiæ eſt nerveis inteſtinorum fibris, unde varia hypochondriorum pathemata exoriuntur. Poſſunt eadem ab ipſis cauſis ortum traducere, a quibus bilis ſecretio, aut ejuſdem in Duodenum derivatio præpeditur. Quæ quoniam plures, ac diverſæ ſunt, variari ipſa quoque pathemata debere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

IX. *Hepatis obſtructionem ab amurcoſa bile obtuſus in dextro hypochondrio dolor &c.*) Fæculentis, mucoſiſque peccantibus particulis, volatiliorum bilis, tenujorumque particularum activitatem, ac vim imminui contingit, minoremque eidem ineſſe ad ſtimulandum facultatem, lentam propterea obſtructionem ſubſequi (frigidam perbelle ajebant Veteres) abſque inſigni ſtimulo in nerveas fibrillas inducto. Hinc obtuſus in dextro hypochondrio dolor, ac gravativus percipiatur neceſſe eſt.

Durities, ac tumor &c.) Non poſſunt autem hærere craſſi, lentique humores, quin vaſa, quibus inhærent, diſtendant, tumoremque elevent; hinc eſt, infarcta viſcera obdureſcere, atque in majorem molem expandi. Durities porro, ac tumor major, minorque eſt, prout hærens materia plus, minuſque ſolida, ac compacta eſt. Si materia peccans cyſtide collecta avolantibus ſeroſis, tenujoribuſque particulis ſolida evadat, tumorem, ac duritiem inſignem ſupervenire debere luce clarius apparet.

Febris vel nulla, vel parva &c.) A lenta, ac frigida obſtructione neque ſolidæ partes in crebriores, vehementioreſque contractiones aguntur, neque componentes ſanguinis partes ea ratione a ſe mutuo ſolvuntur, atque ſecedunt, ut acres, volatiles, ſulphureę particulę exaltentur, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſę agitationem, ejuſque furorem augeant, unde febris, aliaque ejuſmodi ſymptomata ſubſequantur.

X. *Dolor modo obtuſus, & gravis, modo acutus &c.*) Diſſectam fuiſſe mulierem teſtatur Etmullerus (1), ex cujus veſicula fellea calculi diverſę magnitudinis collecti ſunt, quę tamen Ictero nunquam obnoxia fuit. Quo ſpectat etiam obſervatio altera Cl. Petarmani referente Hoffmanno (2) de vetula quadam, in cujus veſica fellea nihil pręter 17. lapides deprehenſum eſt, cum tamen Ictero nunquam laboraverit. Quo apparet, Icterum tunc ſolum excitari, cum obſtruuntur ductus, per quos bilis in inteſtina derivatur. Obſtruuntur vero cum calculi momentum exercent exeundi per inteſtina, quo fit, ut nerveę fibrillę violenter irritentur, & in vehementes, & non ordinatas contractiones agantur, unde acutus dolor, præcordiorum anxietas, aliaque graviſſima ſymptomata excitantur, cum prius calculis veſiculam fellis occupantibus, minime vero in meatus deductis, qui bilis derivationi in Duodenum dicati ſunt, obtuſus tantum dolor perciperetur, ut præ cæteris D. Steinius (3) teſtatus eſt. Memorabilis cadit in hunc locum obſervatio in M. N. C. (4), ubi Mulier immani dolore, & lancinatione ventris per triginta fere dies divexata memoratur, ejus origine, & cauſa ſolertiſſimos etiam medicos penitus latente, cum tandem calculus inſignis magnitudinis totam felleæ veſicæ cavitatem implens inventus ſit. Exemplum fere ſimile extat in Sculteti armamentario (5).

XI. *Inflammatio dolore in dextro hypochondrio tactu manifeſte ſenſibili &c.*) Quotieſcumque ſanguis in vaſis ſanguiferis ad hepatis ſubſtantiam, ejuſque membranas pertinentibus hæreat, ac ſubſiſtat, nemo ignorat, ſtatum illum inflammationis exoriri, qui phlogoſis appellatur; ſi e propriis vaſis in lymphatica effundatur, veram inflamma-

(1) *in prax.* (2) *M. S. T. 4. p. 4. 5. 10.*
(3) *lithograph. p. 45.* (4) *An. 6. Dec. 1. obſ. 20.* (5) *obſ. 61.*

mationem excitari manifesta res est . Non potest autem sanguis ibi subsistere , quin tumorem elevet , fibrillas vascula illa constituentes distendat , acribus interim , tenujoribus , ac volatilioribus sensim avolantibus particulis , & in universam sanguinis massam diffusis , unde dolor , sitis , aliaque propter mirabilem nervorum consensum gravissima symptomata subsequantur necesse est . Quod febris , dolor , aliaque symptomata non eadem semper intensione se prodant , non aliunde repetendum esse facile judicaverim , quam a diversa morbi sede , atque materiæ inflammantis qualitate . Si enim externæ membranosæ partes hepar investientes , quæ exquisitissimo sensu donantur , inflammentur , quis non videat , multo gravioribus stipari debere symptomatibus , quam si interna hepatis substantia ab eadem materie inflammetur ? Quid si a sanguine summe tenui , acri , adusta , ac fere caustica bile , vel contra a sanguine crasso , viscido , & lento , & ad fluendum minus apto inflammatio exoriatur ? Acutum in illa , lancinantem dolorem , febrem ardentem , in hac obtusum potius dolorem , febrem minus vehementem excitari debere manifestius quidem est , quam ut ullis rationibus possit comprobari .

XII. *Quibus vulnere capitis detentis supervenit Ictterus , eos abscessu hepatis &c.*) Singularis plane observatio est , gravioribus capitis vulneribus abscessum hepatis , atque Ictterum supervenire . Quæ sane diligentissime tenenda est , cum rei mortis sententia everti queat , si in judicium vocati Medici non a vulnere capitis , sed hepatis abscessu hominem vulneratum interemptum fuisse testentur .

Dum nempe mortis quæstio in caput alterius ponitur , hominem qui plures fortasse medicamentis , per imprudentiam adhibitis internecioni dederit , dum verbis , aut litteris possit ei parti patrocinari , quę clementię , pietatisque officiis unius alicujus calamitatem lenire , non quæ criminationum , pœnarumque acerbitate conatur evertere , æquissimum esse facile judicaverim . Cl. Bianchi (1) in hoc potissimum sitam prætendit abscessus causam , quod purulenta illa materia sub calvaria post vulnus effusa absorpta in vasa sanguifera , & sanguinis circulationi reddita ad hepar deferatur , in quo cum tardior sit sanguinis , humorumque cursus , viscidarumque sordium secretio , fieri minus vix potest , quin pus simul per secretorium organum alliciatur , deficiente autem solidarum partium momento ad ejusdem expulsionem necessario in eodem remoretur , hæreat , ac sensim visceris substantiam corrumpens , exedens abscessum procreet .

XIII. *Si nulla , aut fere nulla sit febris , mitis calor &c. rhabarbar. s. p. &c.*) Ubi adsit hepatis , ac viscerum imi ventris obstructio , fieri minus posse perspicuum est , quin excrementitii humores in primis viis hæreant , cruditates , viscidæque sordes , quæ materiem iisdem præbeant convenientissimam . Cautum hinc accuratiorum practicorum consilium , Icteri curarionem ab obstructionibus imi ventris oriundi a leviter purgante , atque abstergente medicamento exordiri . Quo sane non sordes in intestinis tantum hærentes educuntur , viaque sternitur aliis medicamentis , sed lenti quoque , viscidique humores hepar , aut alia viscera infarcientes per intestina , cum quibus insignem habent communicationem , commodissime expurgantur . Cum Veteres Medici ab assumpto Rhabarbaro fæces flavo tingi colore viderint , peculiarem ei virtutem tribuerunt bilem educendi . Non ii sumus , qui cum veteribus Medicis dari medicamenta elective purgantia statuamus . (In hoc enim falsi fuerunt , quod flavedinem expurgatæ bili e. gr. a rhabarbaro tribuebant , cum ab ipsius rhabarbari colore sit repetenda , quo sane non solum fęces , sed & urinę , & reliqui humores inficiuntur .) Nihilominus tamen etsi distinctio illa in cholagoga (quam in classem rhabarbarum recipiebant) phlegmagoga &c. juxta eorum sententiam minus probanda sit , nihil est tamen cur omnino negetur . Certos enim humores peculiaribus pharmacis facilius , & commodius educi , & certos etiam morbos melius per certa quędam purgantia , quam per alia curari observationibus cum multis , ac frequentibus , tum certis , ac constantibus compertum est . Ita rhabarbarum nimis laxas hepatis glandulas , ac ductus ea sui parte , quę roborandi , adstringendique vim habet , ad suum tonum re-

(1) *hist. hepat.*

ſtituit ; tartarus , & omnia ex eodem parata pharmaca propter eam, quam purgandi , & digerendi facultatem habent , in hepatis obſtructionibus a viſcidis, lentiſque humoribus apprime conveniunt . Hac via delentur prejudicia illa , quę bilis in ſanguine retenta , atque eumdem inficiens minatur , quę non tantum Ictero , ſed & aliis gravioribus affectibus , viam parat .

XIV. *Dein vero pulver. ex tartar. ſolubil. aut vitriol. &c.*) Abſterſis hac ratione primis viis, dici vix poteſt quam bene cedant illa , quę prędictas ſordes ſenſim ſenſimque digerere valent , atque bilioſas particulas, quibus univerſa ſanguinis maſſa conſpurcatur , per inſignes urinę vias extra corporis confinia educere . Cui ſcopo ſatisfaciunt illa , quæ acutis plus minus ſpiculis prędita aqueo copioſo diluta, qua ſanguinem attenuando , qua craſſiores ejuſdem partes incidendo ſeri copiam augent , ſerum ipſum ſibi uniunt , atque a reliquis partibus ſeparant, ac demum renalibus porulis aptant, perque ureteres , ac veſicam expellunt . Cum urina ſalibus maximam partem conſtituatur , nemo non videt, ſalina medicamenta huic obeundo muneri omnium opportuniſſima exiſtere . In horum cenſu veniunt prę cęteris ſales tartarei , pręſertim vero illi , qui ſalſam nacti ſunt naturam . Ejuſmodi ſunt ſal ille ſalſus , qui ex ſale tartari aciditate cremoris tartari ſaturato reſultat , tartarus ſolubilis dictus , tartarus vitriolatus, qui & ipſe ſal ſalſus eſt ex ſale tartari , & ſpiritus vitrioli portione emergens , arcanum duplicatum , ſeu ſal quidam ex capite mortuo aquę fortis ex nitro , & vitriolo paratę extractus , terra foliata tartari , aliique ſimiles , qui quod humores digerant , atque ad evacuationem diſponant , digeſtivorum nomine veniunt.

Cui ſuperbibat æger larga copia juſculum radic. aſparagi , apii &c.) Si prædictis ſalibus copioſa juſcula plantis ſimili virtute pollentibus alterata copioſe ſuperbibantur , dici vix poteſt , quam prompte & bilioſarum particularum acrimonia temperetur , tartareæ , viſcidæ , mucoſæque congeſtiones tenuioribus , ac fluidioribus partibus in arctam nimis , compactamque ſanguinis maſſam invectis diſſolvantur, ac pravæ , vitioſæque ſordes per urinæ vias eliminentur . Neque vero alia ineſſe debet facultas recenſitis plantis , ſi nihil præter ſalis cujuſdam fixioris genus terreis, aut activis principiis plus minus implicitum contineant . Notiſſimæ ſunt quinque illæ radices , aperientes dictæ , Aſparagi , Apii , Fœniculi , Petroſelini , & Ruſci , a quibus parum differre videntur Marrub. alb. Rub. tinctorum , Agrimon. Chelidoni. , & aliæ quamplurimæ , quæ diureticarum nomine veniunt.

XV. *Quolibet 5. vel 6. die Rhabarbar. &c.*) Non poteſt in chronicis morbis totus peccans humor una purgantis pharmaci exhibitione educi , præſertim ſi prius rite pręparatus non fuerit ejus dilutione ſi tenuis, & acer, inciſione ſi viſcidus , ac difficilis . Quod poſtremum pręſtant prę cęteris ſales digeſtivi. Hinc eſt , iſtorum uſui purgantis uſum intermiſcendum eſſe , ut ſenſim ſenſimque pręparati humores avocentur , expellanturque . Quę purgandi ratio in longioribus morbis commodiſſima ęque ac tutiſſima , cęteris anteponenda eſt.

XVI. *Hiſce fruſtra adhibitis , ad aquam Tetutianam deveniendum &c.*) Aquam Tetutianam incidendi virtute prędıtam eſſe nemo inficiabitur, qui illius ſalſedinem noverit . Sales enim tum fixos , tum ſalſos incidendo operari extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt . Quo loco minus mirandum , aquę Tetutianę ſingularem ineſſe facultatem Icteri profligandi , atque illud eſſe remedii genus , quod ſumma omnium clinicorum conſenſione , longoque uſu probatum eſt . Remedium vetuſtiſſimum eſſe liquet ex Cornelio Celſo , qui (1) in morbo regio ex ſententia Aſclepiadis ſolutiones alvi per aquam ſalſam commendat .

Solvendo in primo cyath. mel. roſat. ſolut.) Pręmitti ſolet eidem pharmacum , ſeu , ut ajunt , vehiculum , ut facilius aqua Tetutiana ubertim epota per alvum ſecedat . Ubertim , inquam : Secus enim alvum adſtringit potius , quam ſolvat. Namdum aquę ſalſę in pauca quantitate aſſumuntur , lacteas venas propter tenuitatem facile ſubeuntes cito permeant ad urinas , humiditateſque in inteſtinis hęrentes ſecum trahunt, unde alvus ſiccatur , & adſtringitur . Cum vero largius , & liberaliter bibun-

(1) *lib. 3. cap. 24.*

buntur, ventriculum, & inteſtina non ſolum fluiditate laxant, ſed gravant pondere, & mordacitate irritant, ac propterea priuſquam vaſa lactea in ſatis magna quantitate ſubeant, per alvum ſibi viam aperiunt. Hęc fere Cl. Proſperi Martiani doctrina eſt, qui Hippocratis locum (1) exponens, ubi habet: *At vero mentiuntur homines de aquis ſalſis propter imperitiam, in eo quod per alvum ſecedere, eamque ſolvere putantur:* oſtendit contra Zuvingeri, & Septalii opinionem, ſenſum Hippocratis non eſſe, quod ſalſa alvum ſiſtant in forma ſicca, bene vero in forma humida, *niſi in ea copia aſſumantur, ut ſtatim deſcendant, nec tandiu in corpore retineantur, quouſque exſiccatoriam, & adſtrictoriam facultatem exercere valeant.*

XVII. *Si obſtructio altas radices egerit &c. gum. ammoniac., terebynth. cypr. &c.*) Plures ſunt reſolventium medicamentorum claſſes, ſuiſque agendi modis diſtinctę. Fluidiores partes in humorum maſſam arctam nimis, & compactam invehendo reſolvunt diluentia; reſolvunt deinde ſalina omnia tum fixa, tum media, ſpiſſos humores acutis ſuis particulis incidendo. Atque hæc quidem omnia locum habent, ubi ſpiſſitudo humorum, infarctuſque viſcerum levis ſit, & inter initia. Salubre enim accuratiorum practicorum conſilium, ubi reſolvendi ſunt humores, a mitioribus ſemper initium ſumere. Secus humores plus æquo commoventes, infarctus, ac congeſtiones augebimus potius, aut confirmabimus. Ubi vero ſpiſſitudo humorum tanta ſit, ut mitioribus tolli non poſſit, ad validiora confugiendum eſt. Quorum in cenſu veniunt ea omnia, quę acria ſunt, & ſpiritu volatili oleoſo abundant, quæ propterea non ſolum acutis ſuis particulis ſpiſſos humores incidunt, ſed etiam in fibras agunt, eaſque ſtimulando humorum circuitum augent eoſque hac etiam ratione fluxiliores reddunt. Huc ſpectant primo antiſcorbutica, huc gummata reſinoſa, ut ſagapenum, ammoniacum, ſuccinum, quæque his affinia ſunt terebinthina, balſam. de Copaib., aliaque id genus. Quibus apparet, quid præſtare valeant boli ex gum. ammoniac. cum terebint. (cujus etiam mentionem facit Galenus relatus in hanc rem a præſtantiſſimo Redio, inquiens, *quod omnia viſcera elegantiſſime repurgat*) adverſus Icterum ab hepatis obſtructione oriundum chronicum, & pertinaciſſimum. Ammoniaci nempe, & terebinthinæ virtutem ad viſciditates abſtergendas, & reſolvendas, ſimulque craſſiores impuritates, quæ a reſolutis humoribus deponuntur, per inſignes excretionum vias eliminandas, qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam.

Sapon. Venet. raſ. &c.) Ad validiorum reſolventium claſſem pertinent quoque saponacea. Cum enim duplici principio conſtent, ſalino videlicet fixiore, & oleo intime unitis, in arctam nimis, ac compactam humorum texturam facile ſeſe inſinuant, facile etiam cum aquoſis, ſalinis, oleoſiſque eorum partibus commiſcentur, inter quas dum fluunt, univerſæ quoque ſanguinis maſſæ fluorem conciliant. Saponacea porro vel naturalia ſunt, vel artificioſa. Naturali ſapone conſtant ſimplicia quędam amaricantia, ut Abſynth. Card. Bened. & ſimilia. Artificiales ſapones fiunt ex oleo preſſo, & alchali fixo, quorum in cenſu venit Sapo vulgaris ex oleo preſſo olivarum, & cineribus plantarum, quæ lixivioſæ dicuntur, paratus; a quo differunt famoſus ille ſapo Starkeyanus dictus, & offa Helmontiana in hoc ſolum, quod ille ex oleo ſtillatitio, nempe terebinth., & alchali fixo, ſeu ſale fixo tartari paratur (2), hæc vero ex oleo volatiliore, quale eſt ſpiritus vini rectificatiſſimus, & alchali pariter volatili, cujuſmodi eſt ſpiritus ſalis amoniaci, ſimul commixtis, & in coagulum abeuntibus (3). Nos ſapone Veneto uti ſolemus, quo nihil inventu facilius, pro certo habentes, parem eidem ineſſe facultatem ſaponibus illis tanta chymicorum diligentia, ac labore paratis.

Milleped. &c.) Cum impuritatum, quæ a reſolventibus humoribus deponuntur, ſumma ſit habenda eliminandarum cura, ſalubre eſt practicorum conſilium, validioribus reſolventibus, iis præſertim, quæ diuretica, aut ſimili virtute minime pollent, ea quoque addere, quæ cum penetrandis craſſis, ac difficilibus ſordibus, tum eiſdem qua data porta extra corporis confinia educen-

(1) *De aere, aquis, & loc. ver.* 173.
(2) *Vid. Starkey Pyrotechn.*
(3) *Vid. Helmont. tract. de lithiaſi. cap.* 3. *ſect.* 1.

cendis ſunt opportuna . Hinc liquido conſtare arbitror, cur boli ex ſapone Veneto, & millep. locum habeant in hiſce caſibus . Cum enim ſale volatili nitroſo conſtent , præterquamquod efficaciſſime penetrant , & ſaponaceorum operationem juvant , præterea ad urinas potenter ducunt , quę nunquam non bono , & emolumento eſſe poſſunt .

Croc. optim.) Crocus ſpiritu ſumme tenui , ac volatili quo conſtat , tot , tamque eximias virtutes ſortitus eſt , ut neque ſatis explicari dicendo , nec percenſeri numerando poſſint . Cerebro ſpiritibus excitandis , & in ordinem redigendis , pulmonibus a pituita ſpiſſa , lenta, ac difficili eos liberando , cordi ejus motum concitando , & viribus recreandis , ventriculo eum roborando, & difficilem ciborum coctionem reſtaurando, utero ejus actionem juvando ad menſes promovendos , ad pellendum fętum , hepati ejus obſtructiones , atque infarctus reſerando , atque icterum ſanando opitulatur . Quo loco minus mirandum, Regem Vegetabilium, Panaceam Vegetabilium a nonnullis dictum fuiſſe .

XVIII. *Paratis hac ratione primis, ſecundiſque viis, ad Martialia*) Martialia duo potiſſimum præſtant in humano corpore , parte videlicet craſſiore, & terreſtri abſorbent, & potentiſſime corrigunt aciditatem omnem coagulantem , ſimulque fibrarum tonum corroborando ad aſſueta munia aptas reddunt ; ſulphure autem ſuo ſubtili humores agitant, commovent , & fluidiores reddunt . Sulphur in ferro adeſſe experimentis comprobatum eſt . Si enim in tenuiſſimum Scobem redigatur , & in ardentem ellychnii flammam conjiciatur, igneas ſcintillas haud injucundo ſpectaculo exhibet . Primum autem in iſtorum uſu animadvertendum eſt , ut primis, ſecundiſque viis paratis adhibeantur, maxime vero prę-miſſis , quę craſſos , viſcidoſque humores incidendo eoſdem ad fluendum paratiores reddunt . Dici enim vix poteſt quanto melius Martialia , cęteraque hujuſmodi deobſtruentia munere ſuo fungantur, ſi materia movenda mobilis prius facta fuerit . Apte cadit in hunc locum , quod tradidit Mercatus (1): *Horum* (nempe martialium) *uſui præmittenda eſt humorum præparatio , ne obſtructionibus nondum reſeratis , & humorum copia adhuc præſente graviſſima eveniant mala .*

In corporibus quidem exſuccis , aridiſque tinctura Martis ſuc. pomor. &c.) Cavendum eſt etiam , ne fibras plus æquo adſtringamus Martialibus , & ad aſſueta munia ineptas conſtituamus . Quamobrem ſalubre eſt practicorum conſilium , in corporibus exſuccis , aridiſque a Martialibus in ſubſtantia , ut ajunt , abſtinere quę viribus ſuis integris operantur . Eliciuntur porro tincturæ ope ſucci cujuſdam blande acidi , quę fibras laxas blande adſtringunt , ſecretiones, excretioneſque promovent , atque Ictero in prædictis ſubjectis profligando opportuniſſimę exiſtunt .

Ubi vero æger humidus ſit , & laxioris habitus, limatura Martis &c.) Ad Martialia quod ſpectat in ſubſtantia, ut ajunt, ſolida pręter ferri limaturam , quę non alio modo paratur , quam eamdem ſuper lapide porphyrit. ſubtiliſſime conterendo , levigandoque audietis ſępiſſime practicis commendatiſſimas pręparationes duas Martis, Croci videlicet aperientis , & adſtringentis titulo inſignitas , quę ad contrarias indicationes abſolvendas , aperiendi nimirum , & adſtringendi in uſum vocari ſolent . Uterque Crocus ope ignis paratur . Vim tamen adſtringentem conciliari ei putant chymici , quia igne vehementiſſimo tractatur , a quo ubi majorem in modum exagitatę fuerint ejuſdem partes , ſulphur quod habet , vel omnino exſolvitur , exhalaturque , vel magis figitur remanente calce quadam terreſtri , in qua acidas partes recondi putant . Cum vero acida omnia adſtringendi vi polleant, ſequitur , ut ferrum ſic pręparatum eo fine a Medicis præſcribatur . Ferrum autem , quod leviori igne tentatum fuit , & cujus ſulphureæ particulæ vel non avolarunt , vel plus æquo denſæ , coactæque non ſunt , reſerandi facultate donatur , quatenus ſulphure iſto ſuo craſſamenta humorum attenuantur , diſſolvuntur , fluor iiſdem conciliatur , unde per inſignes excretionum vias eliminari commode poſſunt . Melius diceres , ferrum leviori igne tractatum laxatas viſcerum fibras blande adſtringendo , ac corroborando ad ſeſe contrahendum validius & fortius aptiores reddere , ideoque ad contentos humores ve-

lo-

(1) *in method. medend.*

locius movendos, exagitandos, diſſolvendos.

Eſt alia quædam pręparatio, quam ferrum magnam partem ingreditur, tartarique martiati nomine venit. Fit nimirum ex tartaro crudo, & limatura ferri aqua communi tandiu ebullitis, quandiu tartari ſolutio perfecta habeatur. Hæc ſi diligenter filtretur, cryſtallos dat, ex quibus, ſi vi ignis, ut de ſalibus fieri ſolet, quod reliquum eſt liquoris avolet, nobiliſſimum habetur medicamen, atque ad reſerandas obſtructiones efficaciſſimum.

Quid eſt cur ad alias Martis pręparationes dulcedinis, ſeu ſacchari, magiſterii, ſpumæ, nivis, aliiſque ſpecioſis titulis inſignitas, ubi ſimpliciores hę pręſto ſint, confugias?

XIX. *Tandem ad aquas acidulas &c.*) Si fluidorum omnium, ſolidarumque partium, ductuum pręſertim, ac meatuum, qui ſecretionibus, atque excretionibus dicati ſunt, textura eo redigatur, ut hi ad numerum pateant, illa ubique, & ęquabiliter fluant, nemo eſt, qui non videat, obſtructiones viſcerum penitus tolli, bilioſas particulas, aut alias craſſiores, viſcidioreſque ſordes ſanguinem inquinantes per inſignes excretionum vias eliminari, & morbos abhinc prodeuntes certo, feliciterque debellari. Jam etiam me tacente facile omnes intelligunt de aquis acidulis ſermonem eſſe, quę prędictis muneribus obeundis opportuniſſimę exiſtunt. Acidulę enim pręter terream venam, quę aciditatem omnem coagulantem potentiſſime corrigit, & tonum fibris conciliat, nec non pręter ſalinas quaſdam minerales partes, quę viſcidis mucoſiſque quiſquiliis incidendis aptę ſunt, volatilis etiam cujuſdam, ac ſpirituoſi principii divites ſunt, quod ſeſe in anguſtiſſimos quoſque, ac intimos receſſus, minimoſque poros inſinuans, altiuſque penetrans tubulos eorumdem patentes, ac pervios reddit, quod dici vix poteſt quantum faciat ad ſecretiones humorum excretioneſque reſtaurandas, ac promovendas.

XX. *Extrinſecus, ſi Embroche excipias &c.*) Mirum quot ſint olea aut infuſione, aut maceratione, aut aliis modis parata, quę extrinſecus admota viſcerum infarctum, atque obſtructionem tollere reputantur. Mirum quot emplaſtra, unguenta, cerata adhiberi ſoleant unctionibus ſuperimponenda, ut citior, ac promptior habeatur eorum operatio. Fateor arridere mihi nunquam ea potuiſſe. Ramoſis enim oleorum partibus ductus omnes, ac meatus ſeri perſpirabilis obſtrui facile in animum induxi, fibras muſculorum abdominis majorem in modum relaxari, hinc aucta humorum maſſa, deficiente externa illa muſculorum actione in ſubjecta viſcera, qua ſanguinis curſus per eorumdem vaſa promovetur, infarctus, atque obſtructiones augeri, aut ſaltem confirmari. Embroche porro illud eſſe remedii genus, quod ſolidarum partium texturam immutando, & calcar veluti hęrentibus humoribus addendo, ad viſcerum tumores, atque abhinc prodeuntes obſtructiones reſolvendas opportuniſſimum exiſtit, facile conſtitui.

Stillicidium primis diebus in affectam partem ſit ex lacte vaccino tepido &c.) Quemadmodum interna emollientia plurimum faciunt ad arctam ſanguinis, humorumque compagem diſſolvendam, fluoremque iiſdem conciliandum, priuſquam ad validiora aperientia, ac reſolventia tranſitus fiat, idem plane dictum velim de externorum uſu. Si enim affectę partis fibrę exſuccę, aridęque laxentur primum, emollianturve, ita quidem ut tenaciter eiſdem adhęrentes humores fluere poſſint, mox vero tendantur, rigidioreſque fiant, & ad validius, & fortius ſeſe contrahendum aptiores, contentos humores impellere uſque adeo perſpicuum eſt, ut fluere libere, ductuſque omnes, ac meatus pervadere valeant. Id potiſſimum efficere Embroche, dum inter initia Lac tepidum ſtillatim, ſeu guttatim in affectam partem funditur, mox vero Kalybeata aqua, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Animadverſione dignum eſt, in Galeni, Celſi, & Avicennæ libris Martiale remedium præter aquam fabrorum, in qua candens ferrum ſubinde extinctum fuit, extare nullum. Eam porro Veteres Medici ad reſerandas ſplenis obſtructiones mirifice commendarunt. Hęc enim, ut ait Celſus (1), *vel præcipue Lienem coercet, quod animadverſum eſt in his Animalibus, quæ apud hos fabros educata exiguos Lienes habent.*

(1) *cap. 9. lib. 4.*

Facto

Facto ſtillicidio in uſu ſit Emplaſtrum de cicuta, ejuſque extractum intrinſecus aſſumptum, &c.) Evenit ſępe, ut ne ſtillicidio quidem hepatis, aliorumque viſcerum tumores reſolvantur, pręſertim qui duri, ſcirrhoſi, aut ſtrumoſi ſunt. Tum vero licet alia, atque alia experiri etiamſi minus utilia videantur. Ejuſmodi ſunt Cerata nonnulla, aut emplaſtra: de galban. de ammoniaco, diabotan. de cicuta, quę etiam in emplaſtro Diabotan. uſurpatur, ejuſque extractum intrinſecus aſſumptum. Mirum Cicutam, quam intus ſumptam venenum eſſe, & publica Athenienſium pęna inviſam, pręcipueque morte Socratis celebrem tradunt fere rerum Scriptores, quamque capiti infeſtam eſſe, horrendaque deliria excitare duce Kirchero oſtendimus (1), non modo innoxiam, ſed ſalutiferam prędicaſſe Jo. Rajum (2) pręclaris obſervationibus edoctum Doct. Bouule pulverem radicum Cicutę ad gr. xx. in febribus malignis, & quartana ante paroxyſmum exhibitum omnibus diaphoreticis anteeellere, ut Renealmum ſilentio prętream (3) intus hunc pulverem a ℈ i. ad ℥ .s. in vino, vel ejuſdem infuſum a ℥ i. ad ℥ ii. felici cum ſucceſſu in ſcirrhis hepatis, & lienis, pancreatis graviſſimis exhibuiſſe. Quo quidem medicamento quamvis caute utendum eſſe exiſtimet Cl. Geoffroii (4), quique ab eo abſtinet prudentiorem eſſe, poſtquam tamen Cl. Antonius Stork diligentiſſimas obſervationes, atque experimenta cum in aliis quamplurimis, tum in primis in ſe ipſo inſtituerit, quibuſque cicutam non ſolum uſu interno tutiſſime exhiberi, ſed & eſſe ſimul remedium valde utile in multis morbis, qui huc uſque curatu impoſſibiles dicebantur, didicit, qua de re egregium libellum conſcripſit (5), nihil eſt, cur aliis fruſtra adhibitis medicamentis, ad hoc quoque hodie maxime, vel novitate, vel præſtantia ſumme clarum non deveniamus. Auctorem remedii, ſeu mavis Reſtauratorem in ſe ipſo illud expertum fuiſſe ſummum opus eſt, plurimumque tribuit ad pręcavendas objurgationes illorum, qui Medicos vehementer increpant, quod diſcant aliorum periculis, & experimenta per mortes agant. Si remedium non valde utile in morbis, qui nullam hactenus curationem admiſerunt, pulcherrima nonne ſemper laus erit nocere non poſſe?

XXI. *Motus localis, equitatio pręſertim inſtituatur.*) Quocumque modo exerceatur corpus, majorem in modum alteratur. Exercitatio omnium leviſſima deambulatio eſt per loca plana, quæ iis potiſſimum apprime convenit, qui otioſam, & curis implicitam vitam agunt, quibus propterea animus recreandus eſt, cruditateſque, atque alvi obſtructiones tollendæ. Pręclare inquit Plato (6): *Corporum habitus otio, & torpore corrumpitur, exercitiis autem, & motu plurimum conſervatur. Seſſio nimia diſponit maxime ad affectum hypochondriacum. Optimum remedium eſt ambulatio*; unde illud apud Plautum: *Ambula: hoc lienoſis prodeſt*. Solidæ enim partes, ac viſcera omnia, præſertim imi ventris, agitantur, concutiunturque, unde ſecretiones, excretioneſque promoveri contingit, fluida attenuari, & æque diffundi. Quæ agitatio, concuſſio viſcerum imi ventris cum maxima ſit in equitatione, hinc eſt, illis, quibus craſſis, viſcidis, lentiſque humoribus infarcta ſunt viſcera, prę cæteris convenire. Ea enim glandularum obſtructiones referari contingit, humoreſque in minutioribus tubulis ſtagnantes diſcuti, ut Cl. Sydenhamus, aliique teſtati ſunt.

XXII. *Ubi res ſit cum ægro calidioris temperamenti, febris adſit &c. ſolo Fumariæ ſucco &c.*) In morbis, ut ajunt, calidis purgandum non eſſe omnes fere accuratiores practici tradiderunt. Id quod ſapienter admodum indicaſſe viſus eſt Hippocrates (7), ubi in eorum cenſu Ictericos recenſuit, quos purgare non oportet: *nam periculo*, inquit, *expones, & nihil juvabis*. Quod verum eſt maxime in eo caſu, in quo febris adeſt, calor, ſitis, aliaque ejuſmodi, quę ſumme tenues, volatiles, ac ſulphureas particulas exaltatas, & in univerſam ſanguinis maſſam diffuſas, ejuſque agitationem, ac furorem inducentes arguunt. Verendum eſt enim, ne addito fibris ſtimulo commotiſque nimium humoribus, bilioſis præſertim, qui ad motum paratiores ſunt, calor, ſitis, febris augeatur, ac mor-

(1) *lib.* 1. *cap.* 4. *com.* 4. (2) *in hiſt. plantar.* (3) *in obſer.* 3. & 4.
(4) *Mat. Med. par.* 2. *de veget. indigen.* (5) *Venetiis* 1760.
(6) *in Tim.* (7) *lib. de vict. rat. in morb. acut.*

morbus exaſperetur. Id quod & de diureticis validioribus dicendum. Cum enim ſalinis, ſulphureiſque particulis arcte commixtis operentur, corpus eorum uſu magis exſiccari contingit, fibroſo generi ſtimulos addi, quibus dein in ſpaſmodicas contractiones adigatur.

Ea porro eximiam præſtabunt operam, quæ cum blandiſſime attenuando, tum ſanguinis motum compeſcendo, fervoremque temperando agunt. Dici enim vix poteſt quantum hac motus blanda retardatione urinarii ſeri a reliquis partibus ſeceſſus, ejuſdemque ad organa ductus, atque emiſſaria ejuſdem ſecretioni dicata juſta applicatio, atque inde conſequens excretio promoveatur. Virtute hac prę cęteris donatur nitrum, atque ea quæ nitroſo, aut huic perſimili ſale fęta ſunt. Cum igitur Fumariam nitroſo, aut nitro perſimili ſale conſtare, experimentis Cl. Boerhaavii compertum ſit (1), hinc non mirum ſi ejuſdem ſuccus, ut docet Riverius (2), ad icterum ex calida hepatis intemperie cum pori choledochi obſtructione conjunctum plurimum valet. De eodem ſucco verba faciens Cl. Etmullerus, quem accuratiores practici, ut alibi innuimus, in hac parte ſequuti ſunt: *Viſcera*, inquit, *reſerat, reſerata, roborat, ſanguinem a biliioſis, aduſtis, & crudis recrementis purgat &c. & uſus præcipue eſt in Scorbuto, Ictero, Scabie, & ſimilibus.*

Juſculum, aut Serum lactis radicib. fragariæ & graminis alteratum.) Ubi Icterus a cauſa, ut ajunt, calida exoriatur, dici vix poteſt quantæ præſtantiæ ſit Serum lactis, & huic affinia medicamenta. Oleoſis enim partibus demulcent, aquoſis diluunt, terreis abſorbent, & ſeri copiam augendo biliioſos, aduſtoſque humores per urinæ vias extra corporis confinia educunt. Quod tum maxime contingit, cum eadem radicibus graminis, fragariæ, aut ſimilibus alterentur, quibus ſalis cujuſdam cum terreſtribus particulis uniti, ac blandi genus ineſt, qui quidem multo, ut ajunt, vehiculo dilutus blande attenuando, & ſimul fervorem ſanguinis temperando diureſim egregie promovere valet.

XXIII. *Hiſce fruſtra adhibitis ad aquam ex albo albi dictam &c.*) Aquam ex albo albi dictam inter plurima alia remediorum genera tamquam præcipuum ſibi arcanum ſervabat ad hunc morbum admirandum Thomas Cornelius præſtantiſſimus ille vir, quem inſigni rei litterariæ damno triſti fato ereptum Medentibus dolet Cl. Tozzi (3). Eximiam hujuſce ſimpliciſſimi medicamenti virtutem expertus præ cæteris eſt Cl. Cyrillus, atque eamdem miris laudibus extollit (4) inquiens: *Hæc aquæ nive perfrigerata ad uncias quatuor mane, & quandoque etiam veſpere jejuno ſtomacho ad multos dies exhibita, etiam deſperatum Icterum certo, feliciterque debellat.* Nihil in ſuis conſultationibus probatum magis, commendatumque ad icterum profligandum occurrit, quam hæc aqua nive perfrigerata. Illud enimvero remedii genus eſt, quod cum in quacumque fere icteri ſpecie, tum in ea maxime, quæ a bile acriori, tenuiorique ortum traducit, tanti facio, ut ſi in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, ab hoc uno ſperari jure poſſe confidam. Nimium enim fervorem, motumque humorum compeſcendo, blandiſſime attenuando, atque hac ratione urinis copioſe ciendis potiſſimum operatur. Solent enim urinæ poſt paucos dies, quæ intenſe tinctæ apparebant, ita clareſcere, ut ſanitatis jam brevi futuræ certum capi poſſit argumentum.

XXIV. *Ubi alvus ſolvenda ſit ſero lactis tamarindato &c.*) Quamvis purgantia nulla in hoc Ictero locum habere ex ſuperius dictis manifeſtum ſit, non ea tamen omittenda ſunt, quæ alvum lubricam ſervant, ut biliioſa inquinamenta in inteſtinorum cavitatem depluant, & facilius extra corporis confinia educantur. Quid autem Sero lactis tamarindato efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius? Tamarindi blando ſuo, ſuavique acore biliioſis, aduſtiſque humoribus evacuandis, & ex maſſa ſanguinea præcipitandis, ejuſque nimiæ efferveſcentiæ compeſcendæ opportuniſſimi exiſtunt, ut propterea non deſint, qui in ſeri lactis tamarindati uſu tandiu perſiſtant, quandiu urinæ clareſcant, quæ ſanitatis jam brevi futurę indicio manifeſtiſſimo eſſe conſueverunt.

XXV. *In pertinaci morbo aquæ Necorianæ, vel ſimiles &c.*) Copia, qua inge-

(1) *op. Chym. T. 2.* (2) *obſ. 73. cent. 3.*
(3) *in praxi.* (4) *in com. ad Etmuller.*

runtur aquæ Nocerianæ, vel ſimiles, primum illud commodi ſequitur, ut tubuli omnes, ductus, atque emiſſaria humorum ſecretioni, atque excretioni dicata majorem in modum relaxentur, atque aperiantur, unde bilioſę particulæ facile ſegregentur, atque ex maſſa ſanguinea præcipitentur: Dein vero diſſociari eaſdem, ac diſjungi, ineptaſque reddi ad vellicandum, ac mordendum, unde febris, ſitis, aliaque ejuſmodi incommoda ſubſequuntur: Tandem terra, qua fętę ſunt, calcaria imbibi, & ipſarum pondere adjuvante qua data porta extra corporis confinia educi.

XXVI. *Ab aromaticis, calidiſque æger abſtineat, aqua radic. fragar. &c.*) Quemadmodum in ictero ab amurcoſa bile aromatica, ac calida eximiam operam præſtant, ita e contra in eo, qui a bile acriori, tenuiorique ortum traducit, exagitando, commovendo, exſolvendoque maſſam ſanguinis, febrem, ſitim, caloremque intendere valent, ac confirmare. Urinæ copiam, docente Hippocrate (1), nunquam non bono, & emolumento eſſe poſſe in Ictero fatemur, ideoque cunctis viribus etiam in dięte regimine curandum, ut ejuſdem ſecretio promoveatur. Id autem facere calidis diureticis, quemadmodum in ictero a bile amurcoſa, ab obſtructione lenta, ac difficili hepatis dictum eſt, minus tutum.

Virtute porro diuretica, eaque mitiſſima, & non admodum calefaciente pollet Fragarię radix, cujus decoctum pro conſueto potu pręſcribere conſuevit Rulandus, & hoc ſolum ſufficere in curatione icteri infantum teſtatus eſt Etmullerus.

XXVII. Vid. com. in aph. 8. 9. cap. xi. de calcul. Renum, & Veſicę.

XXVIII. Vid. com. in aph. 13. uſque 20.

XXIX. *Ubi Icterus ab inflammatione hepatis exoriatur, venæ ſectio &c.*) Utrum in Ictero conveniat ſanguinis miſſio, controverſum eſt inter Medicos. Vulgo invaluit, ſanguinem eſſe frenum bilis, ideoque verendum eſſe, ne ſi detrahatur ſanguis, ſulphureæ, aliæque ſubtiliores particulæ ſanguinis juſta copia non coercitæ facile exaltentur, ac morbus augeatur, aut confirmetur. Qui hæc ſibi in animum inducunt, in quanta obſcuritate verſentur dici vix poteſt; cum infiniti fere ſint caſus, in quibus venæ ſectio utiliter in ictero adminiſtrari poteſt. Ecquis medicum redarguat, ſi in ictero, quęcumque demum fuerit illius cauſa, cum plenitudine ſanguinis inſigni, aut orgaſmo viſcerum inflammationes minitante venę ſectionem inſtituat? Nonne per phlebotomiam ictus partium ſanguinis rariores, & debiliores fieri contingit, minus allidi inter ſe bilioſas particulas; (corpora enim minus denſa minorem patiuntur partium alliſionem) quo fit, ut tota ſanguinis maſſa refrigeretur, orgaſmus ille, qui viſcerum inflammationes minitatur, ſedetur? Ubi vero ſubſtantię hepatis, aut membranarum ejuſdem adſit inflammatio, quis Medicum accuſet, ſi eidem venę ſectione occurrat?

XXX. *Ubi a vehementi ira naſcatur, quies animo imperanda*) Cum a vehementi ira perciti ſpiritus animales hac illac cęco impetu irruentes vehementes, & non ordinatas contractiones in organa bilis ſecretioni, & derivationi dicata inducant, nemo eſt, qui non videat, eo nervos induſtrię omnes intendendos eſſe, ut placida tranquillitas ſpiritibus concilietur, atque abhinc prodeuntes ſpaſmi ſedentur. Quod nulla meliori ratione præſtari poſſe manifeſtum eſt, quam quietem animo imperando. Huc ſpectat, quod præcipit Horatius (2):

Ira furor brevis eſt: animum rege, qui, niſi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Curandum eſt etiam, ut motiones ab objecto injurioſo in nerveas cerebri fibras inductæ aliarum rerum recordatione deleantur. Huc ſpectat Epicuri remedium, cujus mentionem facit Marcus Tullius (3): *Avocatio ſcilicet a cogitanda moleſtia, & revocatio ad contemplandas voluptates.*

Mox emulſiones ſem. quat. frigid. melon. &c.) Nihil ad inordinatum ſpirituum motum compeſcendum, & abhinc prodeuntes ſpaſmos ſedandos efficacius narcoticis. Verum ſi quid ſentio, cautiſſime in horum uſu procedendum traderem, ac diligenter tenendum accuratiorum practicorum conſilium, qui hiſce poſthabitis ad anodyna confugiunt, atque ea, quæ demulcendis, laxan-

(1) *lib. de morb.* (2) *lib. 1. epiſt. ad Lol.* (3) *Tuſcul. diſput.*

laxandiſque ſolidis partibus, atque nimio humorum fervori compeſcendo ſunt opportuna. In horum cenſu veniunt emulſiones ſemin. quat. frigid. & papaveris in aquis nitroſo ſale fœtis, ac refrigerantibus cum ipſo nitro, quorum etiam pulcherrima laus eſt urinas ciere, atque bilioſas ſordes, recrementaque extra corporis confinia educere.

XXXI. *Icterus febribus tertianis, quartaniſque &c. chin. chin. &c Sal abſynt. &c.*) Varias, atque inter ſe diſcrepantes Auctorum ſententias circa vim, qua cortex peruvianus febres intermittentes extinguit, ſupra attigimus (1). Quid quod neutra illarum ad veritatem propius accedat, quam illa illorum, qui ab occulta, & ſpecifica proprietate eamdem commenti ſunt?

A calore certe, & ſiccitate non pendet, neque ex eo quod invertat, & obtundat acidum, ob alchalicam ejuſdem virtutem, neque ex eo quod miaſma malignum, ac deleterium ſpiritibus animalibus infeſtum enecet, neque ex eo tandem quod bilem vi ſua adſtrictoria figat, & ſiſtat. ſiquidem dantur quamplurima æque calida, & ſicca, immo calidiora, & ſicciora, quamplurima virtute alchalica manifeſtius fœta, eaque validiora, quamplurima alexipharmaca, ac demum quæ adſtringendi vi inſigni donantur, quæ tamen non ſolum febres intermittentes extinguere neſciunt, ſed pleraque illorum eaſdem augere, aut confirmare valent. Placet ſummopere illorum opinio, qui, ut ſupra innuimus, exiſtimarunt a cortice peruviano extingui febres, quod particulis amaris, leviter aromaticis, auſteriſque, quibus fœtus eſt, viſcidi, lentique humores inciduntur (juxta allatum Freindii experimentum) ſolidæque partes, ſeu viſcera imi ventris leniter adſtringuntur, ſeu mavis roborantur, firmanturque. Verum enimvero quid eſt, quod commodiſſime ſucceſſerit Freindio, tinctura corticis peruviani ſanguini, ejuſque ſero admixta fluiditatem in utroque excitatam deprehendere, quod aliis evenire nunquam potuit, qui propterea experimento eumdem deceptum eſſe cum Franciſco Torti affirmare non dubitarunt? Quid eſt deinceps, quod amara leviter aromatica, & auſtera reperiantur quamplurima, quæ id nequeunt præſtare, vel adeo infirma eſt eorum operatio, vix ut ulla ratione cum corticis peruviani virtute comparari queant? Si quid in re ardua, ac perdifficili ſentio, quidni liceat aſſerere, vim corticis peruviani febrifugam pendere potiſſimum a certa magnitudine, figura, contextu, & proportione elementorum ejus eſſentiam, & ſubſtantiam conſtituentium, a quibus variæ, ac diverſæ qualitates, quę ejus tantum propriæ ſunt, & per quas ab omnibus aliis differt rebus, proficiſcuntur? Quoniam vero, ut alibi oſtendimus, (2), primæ compoſitiones, ſicut ipſarum figura, ac magnitudo, & figura, & magnitudo primorum componentium, ſeu inſenſibilium corpuſculorum, ac molecularum effecta magis eſt a philoſophis, quam demonſtrata, propterea ad veritatem proxime acceſſiſſe illos perſpicuum eſt, qui cum Sebaſtiano Bado vim corticis febrifugam a ſpecifica, & occulta ejus proprietate, & ſubſtantia pendere ſunt arbitrati. Quibus ſic conſtitutis licet colligere, prudentiſſime ſe gerere Medentes illos, qui nullius corporis admixtione quinquinnam prębere ſolent. Cum enim tota ejus virtus pendeat potiſſimum ab ejus ſubſtantia, aliorum corporum admixtione eamdem plurimum infirmari manifeſtiſſima res eſt, quemadmodum viri præſtantiſſimi Badus, Mortonus, Torti, Sydenhamus, aliique teſtati ſunt. Quoniam vero ſæpe ſæpius contingit viſcera imi ventris pravis, & incongruis ſordibus eſſe referta, atque interdum obſtructa (quod familiare plerunque eſt iis, qui diuturnis febribus tertianis, quartaniſque premuntur) propterea ſalubre practicorum conſilium, ea tunc cum chin. chin. miſcere, quæ iiſdem corrigendis, educendiſque extra corporis confinia ſunt opportuna. Ejuſmodi ſunt ſal. abſynt., ſal. armoniac. arcan. duplicatum, aliique lixivioſi, vel medii ſales, quorum perbella laus eſt prædictas ſordes leniter incidere, abſtergere, atque per inſignes urinę vias earumdem excretionem promovere. Hiſce autem omnibus præſtat rhabarbarum, cujus purgantem, eamque mitiſſimam, ſimulque diureticam virtutem, ac ſingularem plane amicitiam cum cortice peruviano qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam. Quamvis igitur infir-

(1) *com. in aph.* 4. (2) *lib.* 1. *cap.* 5. *com. in aph.* 3.

infirmari plurimum videatur chinæ chin. operatio ob aliorum corporum admixtionem, ob alias tamen rationes & digeſtivi ſales, & rhabarbarum ſic apte cum eadem miſcentur, ut Medicina, quæ ex hac unione reſultat, nihil ad febres tertianas, quartanaſque nimis longas, & diuturnas, atque abhinc prodeuntes graviſſimas affectiones debellandas efficacius reperire datum mihi ſit, aut pro ægrorum opportunitate valentius. Sed etiam plura de febribus.

CAPUT XI.

De Renum, ac Veſicæ calculis.

I. *NUſpiam alibi majores, frequentioreſque, quam in veſica fellea, renibuſque obſervantur calculi.*

II. *Nimirum tartareæ, terreſtreſque urinæ particulæ laxata Renum compage facile in iiſdem ſubſiſtunt, vel urinæ craſi ſoluta nimium facile a reliquis ſecedunt, hinc arenulæ primum, aliæ deinceps, atque aliæ adhærentes particulæ calculum formant. Si Arenulæ, vel calculus in veſicam per ureteres illabatur, appoſita eidem in dies ſingulos ſabuloſa materie, in calculum inſignis magnitudinis degenerat.*

III. *Idem plane contingit, ſi extraneum quodcumque corpus etiam in hominibus ſaniſſimis illabatur.*

IV. *Cauſæ antecedentes, & externæ ſunt prægreſſus mictus cruentus a Renibus, alimentorum craſſorum, vini præſertim acidi, & aquarum, quę copioſo tartaro fœtæ ſunt, cereviſiæ immodicus uſus, vita ſedentaria, intempeſtivus acriorum diureticorum uſus, ortus a parentibus calculis, aut podagrę obnoxiis.*

V. *Signa calculi in Renibus ſubſiſtentis ſunt lumborum dolor in uno, aut altero, vel in utroque latere obtuſus, gravans, in acutum, tendentem, lancinantem degenerans, teſticuli retractio, cruris ſtupor e regione lateris affecti, nauſea, vomitus, tormina inteſtinorum colicam æmulantia, urina, dolore ægrum dire exercente, tenuis, aquoſa, ſubcruenta, quandoque ejuſdem ſuppreſſio, remittente autem multa, turbida, arenam, & ſabulum deponens, tutiſſimum vero omnium arenularum ad levem quamcumque digitorum preſſionem non facile friabilium, vel lapillorum excretio.*

VI. *Dum in veſicam delapſus eſt calculus, pondus in perinæo, teneſmum frequentem, dolorem, pruritum in penis glande moleſtiorem in fine mictionis procreat, ejuſdem erectionem continuam, & tenſionem, continuum ad mingendum ſtimulum, atque inter mingendum ſubitaneam urinæ ſuppreſſionem, aut ſtillicidium. Urina copioſo muco, & arena ſaturata apparet, a motu per acclivia, atque a curru, ab equitatione omnia ſymptomata exacerbantur, & mictio cruenta ſupervenit, a decubitu horizontali, vel ſublatis in altum pedibus eadem remittunt. Certiſſimum omnium eſt exploratio digito, aut cathetere manu periti Chirurgi inſtituenda. Quamquam non raro hæc eadem imponat.*

VII. *In calculi renalis curatione urgente dolore, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus Clyſteres emollientes bis, terque in die injiciendi, fotus calidi pariter emollientes lumbis applicandi, ſi metus ſit inflammationis, venę ſectio in brachio, & pede inſtituenda.*

VIII. *Interim ol. amygdal. dulc. aut nuc. pineorum, aut ſemin. pepon. cum jure ſeu decocto radic. alth. & ſucco citr. vel limon. alterato propinandum, & repetendum quolibet tertio, aut quarto die: cum intermedio dierum exhibendæ decoct. malvar. parietar. cum mucilag. ſemin. malvar. alth. pſyl. ter, & ultra in die.*

IX. *Hiſce fruſtra adhibitis ad ſemicupium, aut balneum emolliens per horę dimidium circiter deveniendum.*

X. *Ad nimium dolorem ſedandum contentus ſum ſola emulſione ex ſem. pepon. unc. i. s. papaver. alb. ℥ ii. in aq. violar. malvar. unc. x. cum nitr. puriſ. ℈ i. ſyrup. violat. ab unc. .s. ad unc. i. urgente vero neceſſitate ad laudan. liquid. tartariz. a gut. xx. ad xxv. ex iiſdem aquis devenio.*

XI. *Remittente dolore ſola decoctione Malvar. Violar. Parietar. radic. Alth. cum lapid. percar. ℥ .s. bis quotidie exhibenda calculi expulſio procuranda eſt: Si tamen obtineri nequeat, tentanda per trochiſc. alkekeng. a ℥ i. ad ℥ ii. in decocto radic. cichor. ſylveſtr.*

veſtr. ac folior. ſaxifrag. & pimpinel. vel per bol. ex tartar. vitriol. ℥ .s. ſal. volat. ſuccin. gr. xv. extract. baccar. Juniper. q. s. m. f. 6. ſuperbib. eamdem aquam, vel decoctum. Tartarus etiam vitriolatus cum ſale prunel. & ocul. cancror. præp. a ℈ i. in aqua deſtill. parietar. perſicar. & ſaxifrag. exhiberi poteſt: Semina dauci, beccabung. bardan. a ℥ i. ad ℥ ii. in emulſion. form. redacta cum aqu. parietar. eruc. ſylveſtr. alkekeng. limon. deſtillat. commoda.

XII. Hiſce fruſtra adhibitis totum opus naturæ committendum traderem.

XIII. Lithontripticis nulla habenda fides.

XIV. Aquæ acidulæ, niſi calculi majores fuerint, quam ut per ureteres tranſire queant, cæteris palmam præripiunt.

XV. Ulcera renum, quæ poſt calculum ſuperſunt, aſſiduo uſu decoct. theiform. herb. Veronic. Heder. terreſtr. fl. Hipper. rad. Pareyr. brav. cum terebint. julepiz. unc. i. pertractanda. Terebint. aq. Malvar. lot. ad ℥ i. ſubſtitui poteſt, ſuperbibendo eamdem decoctionem: vel balſam. Pareyr. Helvetii.

XVI. Hiſce ſuccedant opportuno tempore aquæ acidulæ cum ſyrupo terebint. pro vehiculo.

XVII. Tandem ad uſum lactis primum aſinini, mox vaccini aq. plantag. cocti deveniendum. In lacte diſſolvantur Trochiſcor. Gordon. ℥ ii.

XVIII. Cæterum alvus continuo aperta ſervanda. Pillulis maſtichin. tartar. Bontii, rhabarbaro uti expedit.

XIX. Oleoſa, & pinguia, c. m. ſunt butyrum recens mane jejuno ſtomacho aſſumptum cum ſaccharo, ſemina frigida majora emulſionis forma, nuces avellanæ ante cœnam, vel prandium ingeſtæ, amygdalæ amaræ, aqua calida quotidie ante cibum aſſumpta mira præſtant.

XX. Calculo in veſica exiſtente urgentioribus ſymptomatibus eſt occurrendum.

XXI. Iſchuriæ conſulimus ægrum elevatis in altum pedibus collocando, eumque concutiendo. Catheter ſolum in ſumma rerum anguſtia manu periti Chirurgi in urethram injiciendus.

XXII. Ex Semin. lin. contuſ. fœnu græc. a. unc. iii. radic. alth. lilior. albor. a unc. i. .s. in aq. malvar. q. s. ſ. s. a. mucilago. Adde ol. Scorpion. Matth. lilior. albor. a unc. i. & veſicæ regioni applicetur.

XXIII. Ardorem urinæ, doloremque, vel remoto calculo lenit emulſio ſeq. ℞. Gum. Arabic. unc. .s. coq. in aq. hord. vel malvar. & flor. violar. lib. i. uſque ad ſolutionem. Adde tum ſemin. cucurbit. mund. melon. a unc. i. papaver. alb. ℥ ii. julep. viol. unc. i. m. f. s. a. emulſio pro duabus vicibus.

XXIV. Hiſce fruſtra adhibitis laudanum hocce urinarium adhibeatur. ℞. Suc. liquerit. in aq. alkekeng. ſolut. unc. i. s. camphor. ℥ i. Croc. optim. ℈ iv. alkekeng. terebint. venet. in aq. petroſelini ſolut. gum. tragacanth. Maſtic. a ℥ .s. laudan. opiat. ℥ ii. M. f. s. a. maſſa, & detur ad ℈ i. circiter.

CAPUT XI.

De Renum, ac Veſicæ calculis.

I. *NUſpiam alibi majores, frequentioreſque, quam in veſica fellea &c.*) Nulla fere pars eſt humani corporis, in qua calculi non generentur. In ductibus pituitariis, in cerebro, pulmone, veſiculis ſeminalibus, utero, ventriculo, inteſtinis, articulis tum manuum, tum pedum inventos fuiſſe paſſim tradunt Scriptores. In ipſo corde, vaſis arterioſis, & venoſis inſignes reperti ſunt. In corde quidem vidit J. Hollerius. Ex corde Urbani VIII. Pontificis Maximi extractum calculum pyramidalem tradit Bartholinus (1). Alterum plane admirabilem genitum in altera valvularum in ſiniſtro cordis thalamo pulmonari venę adſtantium memorat Laurentius Bellinus. Ad valvulas ſemilunares C. Cheſeldenus, in vena portæ, & in venis in anum ſpectantibus R. Columbus (2). Quamquam vero id erroris interveniſſe non ſine cauſa ſuſpicatus eſt præſtantiſſimus Morgagnius (3). In interiori arteriarum tunica ſe perſpexiſſe refert citatus Bellinus. Nuſpiam tamen alibi majores, frequentioreſque, quam in veſica fellea, ac renibus inveniri omnes fere uno ore conſentiunt.

II.

(1) *cent. 2. obſ. 45.* (2) *epiſt. an. in 49. & 66.*
(3) *V. Pet. Ant. Michelloti epiſt. in C. A. B. p. 418.*

II. *Nimirum tartareæ, terreſtreſque urinæ particulæ, laxata Renum compage &c.*) De calculorum eorundem generatione lis orta. Mitto illorum opinionem, qui calculorum generationem calori pituitoſos, craſſoſque humores induranti tribuerunt; hanc enim ex Galeno a vetuſtioribus Medicis excogitatam (1) exploſerunt melioris notæ Medici, præ cæteris Fernelius, & Sennertus, aliique ſpiritui cuidam lapidifico ejuſmodi vim attribuentes. Quamquam neſcio, quanti hæc eadem facienda ſit, cum nondum adhuc innoteſcat, unde ſpiritui huic ſuo tanta vis adveniat, ut ſuccos, humoreſque noſtri corporis in lapideam naturam commutare valeat. Quæ narrantur ex Aventino (2), ex Ortelio (3) de ſpiritu quodam e terræ viſceribus exhalante homines, bruta, aliaque in lapides, & ſaxa convertente, atque ex Camerario de aura meridionali certis anni temporibus flante in locis montanis Provinciæ Chilenſis in Armenia, cujus afflatu integræ equitum turmæ in ſtatuas lapideas converſę ſunt, dicuntur quidem ſubtilius, ſed quærendum reſtat, unde fiat, ut in renibus tantum ſeparetur ſpiritus hic lapidificus, & urinoſum ſerum, non totam Renum ſubſtantiam in lapideam naturam valeat commutare. Celebris fuit illorum opinio, qui contrariorum ſalium, acidi videlicet viſcoſi, vel natura, vel dięta, vel ſtomachi vitio prognati, & alchali ex ipſa urina ſoluti commixtionem, qui coagulantur, in medium adduxerunt. Rem enim experimentis confirmarunt, prę cęteris vero illo Helmontii, qui primus ſpiritum vini cum ſpiritu urinę commixtum in offam quamdam albam concreſcere deprehendit. Elegans ſane, & phyſicorum conſideratione dignum phęnomenon. Perperam tamen bona pace collegiſſe videntur, calculos in Renibus generari a ſpiritu urinę, qui ſeparatur, dum urina putredinem, & fermentationem inchoat. Adducere enim debuiſſent alium quemdam ſpiritum, urinoſum ſcilicet, aut huic perſimilem. Huic difficultati ſatisfeciſſe viſi iidem ſunt omnes vini potatores in medium afferentes, qui ad calculum prę cęteris proclives ſunt maxime. Sed ſi animadvertiſſent, a fęce quadam, quę remanet a nitri ſeparatione, quę concreſcibilis amplius non eſt, additione alchali fixi concreſcere, & in durum quoddam corpus converti, credo equidem fore, ut non ad alcali volatile, uti feceruut, ſed ad alcali fixum, quod cum tartareis urinę partibus concreſceret, confugiſſent. Sed infinitæ pęne ſunt coagulationes, quę diverſitatem inducunt, quas brevitatis gratia prætermittimus. Adde, nonnullos ad credendum vehementer adductos fuiſſe, coagulationem illam nil afferre pręter ſalem armoniacum, non vero calculum humanum longiſſime diverſum ab illo ſale. Huc etiam accedit, quod ſi calculus formaretur a coagulatione inducta a peregrino acido, & pluſquam ſaturante urinoſum volatile, major obtineri deberet a calculo humano portio acidi fixi, vel coagulantis, quam ab urina ipſa, cum eamdem reperiri chymico experimento manifeſtum ſit, ut Pitcarnius (4) demonſtravit. Quare manifeſtum eſt, nihil hactenus a Scriptoribus eſſe pronuntiatum de calculorum generatione, quod certum ſit, atque exploratum. Quid quod conſideratis elementis, quę urinam componunt, calculorum generatio clare innoteſcat? Inter Modernos de urinis perbelle ſcripſit L. Bellinus. Urinam tamen per examen tantum avolantis fluidi, ſeu aquoſi principii, & illius quod reſtat, ſeu ſolidę, & melli ſimillimę materię conſideravit, per chemiam non conſideravit, quod apprime neceſſarium eſt ad propoſitę rei ſtatum melius intelligendum: id quod Cl. Boyleus, Williſius, atque Helmontius ipſe egregie pręſtiterunt. Accurata enim inveſtigatione in materia hac ſolida ſales diverſi generis, particulas pingues, & ſulphureas, mucoſas item, & terreſtres, limoſaſque deprehenderunt. Salinę hę particulę quandoque coeunt, & in cryſtallos majores coaleſcunt, atque in urinis vario modo coagulatis ſe produnt. Urinę in ſalem lixivioſum coagulatę mentio fit in Act. N. C. (5); cryſtalliſatę ibidem (6). Terreſtres vero, ac limoſę produnt ſe maxime, dum urina aliquandiu immota in vaſe ſervatur; paulatim enim ad latera, ac fundum ejuſdem tartarum deponit, ac ſubtiliorem quamdam arenam eoque facilius, & copioſius, quo magis ſunt urinę ipſę ad putreſcendum diſpoſitę, ac quo

(1) *V. Hippoc. 4. de morb. & lib. de nat. hum.* (2) *lib. 7. Annal. Bavaric. &c.* (3) *in deſcript. Ruſſ.* (4) *el. phyſ. math. lib. 2. cap. 24.* (5) *Dec. 1. an. 2. p. 162. 141.* (6) *Dec. 1. an. 6. & 7. p. 91.*

quo aſperior fuerit ſuperficies vaſis, præſertim ſi prius illi ſimilis tartarea materies adhæſerit. Quid quod arenoſæ, ac ſabuloſæ urinæ exempla non deſunt? Arenoſam perhibent M. N. C. (1); Sabuloſam vero eadem (2). Ex his liquido conſtare arbitror, quomodo calculoſæ concretiones in renibus frequentiſſime generentur. Nemo ignorat, vaſa ſanguinem ad renales glandulas deferentia in minimos, & rurſus minimos ramos eſſe diviſa, unde retardari majorem in modum ſanguinis curſum neceſſum eſt. Quod ſi naturalis renalium glandularum tonus deficiat, aut plurimum ſaltem langueſcat, ſeri urinarii in iiſdem ſecreti motum ita langueſcere debere, ut tartareæ, terreſtreſque particulæ cum aliis probe commixtæ ſervari non poſſint, manifeſta res eſt. Quod ubi contigerit, hærere facile coguntur, unde arenularum generatio. Quod plane in immoto vaſe contingit. Quod ſi ſerum idem urinarium in ſua craſi nimium ſolutum ſit, ejus partium mutuam commixtionem tolli contingit, tartareas, terreſtreſque particulas utpote graviſſimas ſeparari, ad latera deponi, hinc arenulas procreari. Quod in urinis ad putreſcendum diſpoſitis evenire manifeſta res eſt. Tartarearum particularum collectione facta in renibus alias, atque alias ex urina ad eaſdem appellentes continenter adhærere ei, & in lapidis naturam converti poſſe, ſicut lapis aliarum, novarumque acceſſione increſcat, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Si arenulæ, vel calculus in veſicam per ureteres illabatur, appoſita eidem &c.) Cardanus in ſe ipſo, aliique plures obſervarunt, arenulas perpetuo, & neceſſario calculorum generationem ſequi. Si tamen cito per ureteres in veſicam illabantur, vel partes eaſdem conſtituentes ea lævitate ſuperficierum non donentur, ut mutuo ſibi cohærere poſſint, & ſolidum, durum, minimiſque particulis nullum fere ſpatium inter ſe relinquentibus integratum corpus efficere, vel plures arenulæ formabuntur, vel terreſtres, ac tartareæ particulæ, quæ continuo in Renes admittuntur una cum ſero urinario, & arenulis arenæ, & ſabuli ſpecie in veſicam deſcendent, ac per urethram facile extra corporis confinia educentur. Arenulæ porro, vel calculi per ureteres in veſicam illabentes, niſi prompte e veſica excernantur, illud tandem fieri, ut pluribus quaſi cruſtis ſuperinductis in calculos inſignis magnitudinis degenerent, ex dictis adeo manifeſtum eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere putem.

III. *Idem plane contingit, ſi extraneum quodcumque corpus &c.*) Puella quædam vaginæ orificium dira libidine accenſa acu Kalybea ex altero ipſius extremo capitata, quinque circiter tranſverſos digitos longa ſcalpebat, cum inter veneream voluptatem, neſcio quo fato, in veſicam illapſa eſt. Atrociſſimus veſicæ dolor ſupervenit, quem ad ſpaſmum hyſtericum, ad inflammationem alii referebant. Tegebat adhuc verecundia morbi cauſam, cum acus extremitate valde acuta veſicæ membranas perforans extra Abdomen propendere cæpit. Orta vehemens inflammatio, qua brevi puella in Noſocomio S. Franciſci Patavii interempta. Secto cadavere in veſica inſignis magnitudinis calculus ex tartarea materie capitatæ parti adhærente haud injucundo ſpectaculo inventus eſt. Lapideas iſtiuſmodi concretiones ob extranei corporis in veſicam illapſum vidi plures a præſtantiſſimo Morgagnio collectas, qui eaſdem variis curioſis inſpiciendas exhibet. Admirabilis plane eſt quædam in viro oborta ob acum chalibeam, rigidam, ac minime fluxilem in veſicam illapſam. De qua virum ſapientiſſimum ingenue pro more fatentem audivi, quod animo dubius extitiſſet, niſi ſuis ipſis oculis eamdem vidiſſet. Qui enim acus non parva, non flexilis per canalem, cujus progreſſus non rectus, ſed ſingulari modo flexus (hunc perbelle adeo deſcripſit in ſuis adverſariis, ut nullus ſupra) duodecim, & ultra pollices longum, in veſicam intrudi potuerit, arduum, atque inſolens explicatu cuinam minime videatur? (3) Mirum olim videbatur laudato cel. Morgagnio, atque hac in re Mangettum elegantiſſime reprehendebat, qui id antea excogitaverat. Id tamen ſuadere ſibi opus fuit, cum rem manu tetigit. Multo magis igitur mirandum, non in Veſicam, ſed in alias partes, quibus nulla via patet, acus intruſas fuiſſe. Singularis plane, ac captum omnem ſuperans illa fere obſervatio eſt, quam re-

(1) *Dec.* 1. *an.* 2. *p.* 35. (2) *Dec.* 2. *an.* 10. *p.* 35.
(3) *Adv. Anat.* 3. *Animadver.* 36.

refert Nicolaus Zaffarini de duabus mammis in quarum ſcirrhoſa ſubſtantia poſt Chirurgicam operationem novem acus repertæ ſunt ; qua de re litteras mittit Præceptori ſuo, Philoſopho ſummo Ignatio Vari , Ferrarienſi Profeſſori, ut ſuum in arduo viarum, per quas intrudi potuerint problemate judicium aperiat (1). Quæ ſane vię licet aſſignatę non fuerint, quod nullas invenerit ; tanta tamen mentis acie , atque eruditione rei quęſitę reſpondet , ut omnem ſuperet expectationem (2). Dolendum nuper triſti fato ereptum fuiſſe.

IV. *Cauſæ antecedentes , & externæ ſunt prægreſſus mictus cruentus.*) Quemadmodum contingit, ut quo aſperior eſt vaſis ſuperficies, in quo urina immota ſervatur , eo facilius cruſta lapidea intus obducatur, ita Renum corroſionibus, mictui ſanguineo calculi frequentiſſime ſuperveniunt. Tartareę enim , limoſęque ſeri urinarii particulę in ulcuſcula , & parvos eorumdem abſceſſus facile colliguntur , ac ibidem ſubſiſtunt, hiſce autem alię , atque alię ex urina ad eaſdem continenter appellentes in veram lapidis naturam convertuntur , ut prę cęteris luculenter oſtendit Cl. Hoffmannus (3).

Alimentorum craſſorum , vini præſertim acidi, & aquarum, quæ &c.) Quodcunque vinum quamtumvis lene , ac molle ſit, tartareas continet particulas, licet in pauca quantitate reſpectu habito ad vinum acidum. Hoc enim ipſo, quod plurimo tartaro fętum ſit, acidum eſt, atque acerbum. Ob inſignem aciditatem vinum rhenanum cęteris præſtat . Plurimum autem tartati prę cęteris continere experimentis Cl. Boerhaavii (4) compertum eſt . Huc ſpectant vina, quę in ſabuloſis, & gypſeis naſcuntur locis, quorum propterea abuſu fit, ut maſſa ſanguinea tartareis, terreſtribuſque partibus ita oneretur , ut in renum cavitate , accedente ſolidarum partium vitio, facile ſubſiſtant, unde concretiones, atque hinc calculi ſubſequantur. Ab immoderata vinorum, quę multum acidi continent, potione & arthritidem, & renalem calculum, preſertim accedente quadam hęreditaria diſpoſitione, vidiſſe teſtatus eſt Fr. Hoffmannus (5). Concludit propterea, non alia de cauſa Helvetios, & Batavos veſicali calculo maxime obnoxios eſſe, quam ex crebro lacticiniorum, & acidorum uſu. Plurimo tartaro fętę communiter reputantur aquæ multę, quę e terrę viſceribus plurimum arenæ , ac gypſi continentibus ſcaturiunt, unde maxima pars incolarum , qui iiſdem utuntur, calculis premi ſolet, ut de Ciconibus apud Ovidium videre eſt his verſibus ;

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxeu reddit
Viſcera , quod totis inducit marmora rebus.

Cereviſiæ immodicus uſus.) Populis præſertim Septentrionalibus familiaris eſt uſus Cereviſiæ , liquor ſcilicet ex ſeminibus Cerealibus certa quadam ratione fermentatis paratus, qui niſi rite defæcatus fuerit, dici vix poteſt, quantum ſanguini craſſo , viſcido , ac lento terreſtres, limoſaſque particulas in eumdem invehendo tribuat, unde qui eadem immodice utantur, calculis obnoxii fiunt. Si Cereviſię ex craſſis, limoſiſque aquis paratę ſint , in eoſdem labi morbos contingit homines, etiamſi modice hauriant . Salubritas enim Cereviſiarum, ut præclare oſtendit Cl. Frider. Hoffmannus (6) maximam partem ab aquarum bonitate pendet : unde accidit, ut Vogtlandia, nec non Bohemia optimas, & ſaluberrimas Cereviſias alant . In pleriſque vero Angliæ locis turbidas, & inſalubres eſſe Cereviſias propter craſſas , limoſaſque aquas teſtatur Claramontius (7). Hinc eſt , eos populos pleriſque morbis, ſcorbuto, calculiſque viſcerum premi.

Vita ſedentaria .) Quemadmodum nihil fere ad tuendam valetudinem , atque ad quamplurimos morbos certo , feliciterque debellandos conferre magis , quam moderatam corporis exercitationem compertum eſt, ita nihil magis ad ſanitatem infirmandam, atque graviſſimos morbos producendos facere, quam otioſam, & ſedentariam vitam cenſendum eſt . Id quod dudum profeſſus eſt Celſus perhibens : *Ignavia corpus hebeſcere, labore firmari, illa maturam ſenectam , hoc lon-*

(1) *Storia di due mammelle demolite &c. in Ferrara* 1760. *per Giuſeppe Barbieri . pag.* 3. *uſq.* 7. (2) *Ibid. pag.* 9. *uſq.* 16. (3) *De acuto dolore , & ſpaſmo ex calculo renali cap.* 6. *ſect.* 10. (4) *op. Chym. p.* 1. *pr.* 50. (5) *M. S. T.* 2. *de alimentis intemperatis , ingentique acidorum noxa .* (6) *opuſc. phyſ. med. de element. aq. miner. &c. ſect.* 33. (7) *tract. de aer. aq. & loc. Angl.*

longam adoleſcentiam fieri. A vita otioſa, & ſedentaria frequentiſſime exoriuntur calculi. Solidarum enim partium tonum imminui contingit, craſſos, viſcidoſque humores ſulphureis, ac volatilioribus particulis minime attenuatis, exſolutiſque generari. Fit propterea, ut in Renum tubulis terreſtres particulæ facile ſubſiſtant, atque hinc calculi producantur.

Intempeſtivus acriorum diureticorum uſus.) Intempeſtivum diureticorum acriorum uſum renum calculis tribuere Cl. virorum, præ cæteris Fantini obſervationibus compertum eſt. Tres nempe, quatuorque hydropicos vidiſſe ſe affirmat, qui cum diuretica ad hydropem curandum adhibuiſſent, nephriticis doloribus, & calculis, quos nunquam ante ſenſerant, vexari cœpti ſunt (1). Ego quoque novi puellam hydrope laborantem, quę uſu Aſellorum ad urinas ciendas in acerbiſſimum dolorem nephriticum incidit. A remedio ſtatim abſtinere ſalubre viſum fuit. Neque inglorius conſilii eventus, quippe parvus lapillus, nephritico remittente dolore, e veſica excretus eſt, eoque perfectiſſime convaluit. Mirum dictu diureticis rurſus ad hydropem curandum adhibitis in nephritidem denuo incidiſſe. Quidni liceat conjectare, diuretica pręſertim acriora, quęque valde ſubtiles, ac penetrantes continent particulas, tartareas, limoſaſque partes ad renes copioſe adducere, ſeri urinarii craſim ſolvere, unde tartareę partes, ac terreſtres a reliquarum nexu ſecedentes hęreant, & arenulas, calculoſque forment?

Ortus a parentibus calculis, aut podagræ obnoxiis.) Arthritidem, podagram, & calculos affines eſſe morbos, quique in ſe mutuo vertuntur, certis, ac conſtantibus obſervationibus compertum eſt. Unde Solenander (2) apte inquit: *Qui uno laborat ex iis, alterum vix effugere poteſt, & pauci arthritide affecti ſunt, qui non in renibus calculum ingenerant*. Hanc eamdem metaſtaſim frequentem eſſe teſtatur Stiſſerus (3). Cauſa nempe videtur eadem, locus vero affectus differentiam facit. Tartareę enim, terreſtreſque partes cum ad articulos deponuntur, podagram, cum ad renum canaliculos, calculos procreant. Deponuntur vero ad has partes facilius, quod minimus eiſdem motus ineſt. Et licet in veſica fellea, cerebro minima ſit vis motus, quoniam tamen plures ſunt canaliculi renum, quam radices felleæ veſicę, ad cerebrum vero partes viſcoſę, quę terreſtribus, tartareiſque leviores ſunt, deferuntur, has in canaliculis renalibus ſæpius deponi contingit, calculoſque ibidem efformare, ut prę cæteris oſtendit Cl. Pitcarnius (4).

Qui a parentibus podagrę, aut calculis obnoxiis naſcuntur, plerunque eiſdem morbis vexari ſolent, quod cum fluidę, tum ſolidę partes ita ſunt conſtitutę, ut illæ tartareis, terreſtribuſque partibus ſcateant, hę atonia peccent, quo fit, ut in Renum canaliculis, aut articulis illæ eędem hęrentes calculis, & podagrę occaſionem prębeant.

V. *Signa calculi in Renibus ſubſiſtentis ſunt lumborum dolor in uno &c.*) Nemo ignorat, renes utrimque in lumbis ſitos eſſe, in quovis latere unum. Eoſdem obtuſo ſenſu donari manifeſta res eſt. Hinc ſi in ſiniſtro cavo reperiatur calculus, ſiniſtrum, ſi in dexterum, dexterum, ſi utrimque, utrumque latus occupare dolorem neceſſum eſt, obtuſum plus minus, prout calculi ejuſdem figura, ac diverſa ſuperficies dabit. Aſperi enim, acutique dolorem magis acutum faciunt, quam ſphęrici, qui potius gravativum.

In acutum, tendentem, lancinantem degenerans.) Calculi ſępe ex interiori Renum ſubſtantia in pelvim deſcendunt, cavitatem ſcilicet renum membranaceam exquiſitiſſimo ſenſu prędítam, tunc vero dolor, qui prius ſenſum ponderis gravantis afferebat, in acutum mutatur, eo magis ſi ureterum cavitatem intrent, quę cum ubique ęqualis non ſit, evenit, ut in anguſtiori eorumdem ſitu calculi ſubſiſtant, nerveaſque fibras vehementer dilanient, pungant, unde dolor qui nephriticus dicitur excitetur. Quamquam vero minus eidem convenit talis denominatio: cum Νεφρίτις gręco nomine proprie Renum inflammationem ſignificet. Sic tamen uſus invaluit, ut dolor acutiſſimus, qui calculis ureteribus impactis ſupervenit, nephriticus appelletur.

Teſticuli retractio, cruris ſtupor e regione lateris affecti.) Prędente dolore nervęę ureterum fibrę ſic convelluntur, ut vaſa ſpermatica, & partes vicinas contrahant. Irrita-

(1) *V. Com. A. Bon. an.* 1731. *p.* 169. (2) *ſect.* 1. *conſ.* 20.
(3) *tract. de podag.* (4) *elem. phyſ. mathem. lib.* 2. *cap.* 24.

ritatus Cremaſter Muſculus, & vaſa ſpermatica teſticulum ſibi annexum ſic ſurſum retrahunt, ut inguini infixus videatur. Muſculi lumbares, quos ψοας græci nominant, renibus ſubſtrati ad coxam deferuntur motui ejuſdem inſervientes: hinc ſi calculus renibus infixus nervum illum comprimat, qui in dictos muſculos inſeritur, ſtupor cruris e directo renis affecti ſuperveniat neceſſe eſt.

Nauſea, vomitus, tormina &c.) In tanta motus perturbatione fieri minus poteſt, quin per Renum membranam a peritonęo mutuatam, & per nervum ſextæ conjugationis, cujus duo rami a ſtomacho in tunicam renum interiorem tranſmittuntur, ventriculi, & inteſtinorum motus periſtalticus invertatur, & nauſea, vomitus ſuperveniat, & tormina colicam ęmulantia. Quo modo a colica differant, alibi oſtendimus (1).

Urina, dolore ægrum dire exercente, tenuis, aquoſa, ſubcruenta &c.) Prę ſpaſmo ſic anguſtantur tubulorum renalium diametri, ut ſeroſę tantum, & tenuiori urinę parti exitus concedatur, tartareę, terreſtres, craſſioreſque non admittantur in pelvim, & ureteres, indeque in veſicam. En cur urina tenuis, & aquoſa habeatur. Si calculi aſperitate tenuia vaſa ſanguifera renum ſubſtantiam perreptantia exedantur, lacerenturque, urina ſubcruenta apparet.

Quandoque ejuſdem ſuppreſſio.) Si utrique renum infixus ſit calculus, & canaliculos omnes, a quibus urina ſecernitur, aut derivatur, obſtruat, comprimatque, cum deferri in veſicam per alias vias prętер ureteres nequeat, Stranguria renalis oritur tandiu durans, quandiu calculus immotus relinquatur, & ſero urinario viam, atque aditum pręcludat. Quo apparet, in quanta obſcuritate verſentur illi, qui magnam urinę partem a primis viis per ductus breviores ad veſicam deferri exiſtimant. Ut enim notat pręſtantiſſimus Morgagnius, Renibus calculo, vel ſimili alia cauſa obſtructis, nulla urina, vel ſaltem pauciſſima redditur, quę tamen, ſi eę adeſſent, fluere per eas deberet.

Remittente autem, multa, turbida arenam, & ſabulum deponens, tutiſſimum vero omnium arenularum &c.) Quotieſcumque calculus renes aut ureteres obſtruens, aut comprimens remotus fuerit, liberam ſero urinario, & tartareis, arenoſiſque particulis viam, atque aditum ſterni contingit, hinc urina turbida, & urinoſum habens ſedimentum apparet. Multum autem intereſt arenulas, quæ ejiciuntur paullo diligentius examinare. Statuunt enim nonnulli hiſce apparentibus certo certius argumentum ſumi poſſe calculorum Renes obſidentium. *Hippocratis* obſervario eſt (2): *Quibus in urinis arenoſa ſubſident, iis veſica calculo laborat.* Veſicæ nomine aut veſicam, aut renes ſignificare voluiſſe tradunt omnes fere interpretes ejuſdem accuratiores. Quod tamen ſic accipias velim, ut non quocumque modo arenoſa, atque arenulę ipſæ in urinis appareant, calculi indicio eſſe eaſdem putes, ſed illas tantum, quæ lapidis fere naturam nactę fuerint, aut in verum lapillum mutatę, ita ut ſi digitis premantur, non facile comminui queant. Niſi enim has conditiones habuerint, in fraudem facile induci poſſunt Medentes certum de calculis ferentes judicium, cum hypochondriacę, aut ſcorbuticę affectionis potius effecta ſint. Cum enim in hypochondriacis, & ſcorbuticis depravata ſit chyloſis, ſales alimentis inhęrentes a ſtomachi membranis, ſuccorumque illuc confluentium obtundi, atteri, comminuique non poſſunt. Reliquum eſt igitur, ut integri in ſanguinem introducantur, in Renibus ſeparentur, atque ſub ſpecie ſabuli, & arenularum, ut plurimum in urinis ſe prodant tormina nephriticis ęmula, & ſtranguriam fere continuam excitantes.

VI. *Dum in veſicam delapſus eſt calculus, pondus in perinæo, teneſmum &c.*) Nemo ignorat, veſicam in cavitate Hypogaſtrii, quę pelvis dicitur, ſitam eſſe; inferiorem ejus partem, quę anguſtior eſt, & cervix, in viris cum recto inteſtino, in feminis cum vagina uteri arctiſſime connecti, in utriſque vero in urethram terminari manifeſta res eſt. Hinc liquido conſtare arbitror, cur calculus in veſica pluribus ſuperinductis quaſi cruſtis grandior factus pondus in perinęo, ac teneſmum, ſeu frequentem dejiciendi cupiditatem inferat, ac dolorem, & pruritum in penis glande propter conſenſionem veſicę cum recto inteſtino, & urethra, qui moleſtior in fine mictionis evadit, propterea quod ſphincteris veſicę fibrę ſeſe contrahentes calculum ejuſdem cervici ap-

(1) *Vid. aph. 7. cap. 5.* (2) *Sect. 4. aph. 79.*

appoſitum amplectuntur, unde validius irritantur, ac compunguntur. Hinc etiam eſt, penis erectionem continuam, tenſionem, continuum mingendi ſtimulum adeſſe. Inter mingendum autem, cum ad veſicæ orificium una cum urina delatus calculus illud obſtruat, urina ſupprimitur, vel ſaltem libera ejuſdem excretio præpeditur, & guttatim effluit.

Urina copioſo muco, & arena ſaturata apparet.) Interior veſicæ tunica muco a propriis glandulis exſudante obducta eſt. A calculo in veſica exiſtente non ſolum mucus abraditur, ſed & calculus ipſe ſaltem in ſuperficie continuo motu comminuitur, hinc urina muco, & ſabulo ſaturata apparet. Talis urina, ut ſaniores Medici teſtantur cum ipſo Hippocrate (1), inter tutiora, & minus fallacia ſigna jure merito recenſetur.

A motu per acclivia, atque a curru, ab equitatione omnia ſymptomata exacerbantur &c.) Dum æger per acclivia aſcendit, vel curru, & equo vehitur, calculus qui vel urinæ forte innatabat, vel veſicę lateribus adhærebat, ad fundum pellitur, atque adjuvante Muſculorum Abdominalium vi ejuſdem orificio infigitur, nerveas fibras vehementer irritat, mordet, hinc ſymptomata graviora fieri, ac majorem in modum intendi contingit, capillarium vero vaſorum tunicis, quę per eaſdem partes mire diſſeminantur corroſis, exeſiſque, mictum cruentum ſubſequi. Quotieſcumque vero ſupino corpore decumbit æger, vel ſublatis in altum pedibus, calculus, qui cervici veſicę appoſitus initium canalis urethræ obturabat, ad fundum, vel latera proprio adjuvante pondere accedens, ſtimulo nerveis fibris, & moleſtiæ amplius non eſt, hinc ſymptomatum omnium remiſſio.

Certiſſimum omnium eſt exploratio digito, aut cathetere.) Silentio prętereundum non eſt Fernelii monitum, nonnunquam ſummę veſicę adhęreſcentem calculum, & quaſi ex iſta propendentem vix ullum ſui indicium præbere, & viſos eſſe, qui nullo dolore illum geſtaverint, atque horum ſignorum plurima obſervari in ulceribus fœdis, & ſordidis veſicę, & gonorrhęis virulentis. Aliquando etiam contingit, multa pituitę craſſæ congerie calculi imaginem referri, uti adnotante ab Heers (2) celebri cuidam Lithotomo evenit, qui calculo ſe premi ratus, ſecandam ſibi veſicam curavit, nihilque pręter tenacis pituitæ maſſam invenit. Quapropter celeberrimi practici, quos inter Jo. Bapt. Sylvaticus (3), Cardanus (4) infida hæc omnia, & æquivoca eſſe jure merito judicarunt. Quibus quemadmodum explicandæ ſint Lithotomorum fere omnium obſervationes, calculos in veſica liberos ſemper, parietibus ejuſdem nunquam adhęrentes, neque membrana unquam involutos, prout a quibuſdam falſo perhibetur, inventos fuiſſe, ut præ cæteris oſtendit Douglas (5), viderint alii. Illorum certe opinionem confirmare videtur alia obſervatio, cujus mentio fit in hiſtoria A. Par (6), calculum quandoque inter deſcendendum a Renibus inter tunicas ipſius veſicæ in tranſitu hærere, ibidemque hoſpitari, & in molem grandiorem accreſcere, capſaque inter ipſas tunicas formata, tandem aliquando ulcus deploratiſſimum ibidem creare. Dubium porro tolli omne ſtatuunt plerique de calculo veſicę, ſi digito in anum indito, vel cathetere deprehendatur. Signum omnium maxime indubitatum vocat Greenfiendus, omnium certiſſimum Baglivus, reliqua falliere etiam peritiſſimos. Quos tamen redarguere videtur Cl. Hildani, aliorumque obſervatio, in veſica duros tumores, excreſcentias carnoſas, ſcyrrhoſas, vel fungoſas nonnunquam inveniri calculi ſymptoma ad amuſſim mentientes. Quod ſi verum eſt, luce clarius apparet decipi poſſe Lithotomos in ejuſmodi exploratione inſtituenda, nec certi aliquid poſſe affirmari.

VII. *In calculi renalis curatione dolore &c. Clyſteres emollientes &c.*) Cum calculo in renibus hærente, motu, quem facit deſcendendo per ureteres, irritentur, criſpenturque majorem in modum nerveæ fibræ, quibus cum ureteres ipſi, tum alia viſcera, ac partes cum his mire conſentientes contextę ſunt, unde vehementes, & non ordinatæ contractiones, dolores inſignes, ac ſpaſmi, aliaque graviſſima ſymptomata excitantur; nemo eſt qui non videat, ea quę convulſivas, ac dolorificas

(1) 4. *de morb. & lib. de aer. aq. & loc. &* 4. *aph.* 79. (2) *Spad. c.* 9.
(3) *controver.* 32. (4) *in Hippocr. ſect.* 4. *aph.* 79. (5) *in lib. Cheſelden.*
(6) *Vol.* 6. *p.* 29. *&* *memoir. p.* 34.

contractiones laxando, ac demulcendo operantur maximi esse emolumenti, atque salutis. Huc spectant primum Clysteres emollientes. Mirum quam apte convulsæ, atque crispatę cum totius intestinorum canalis fibrę, tum propter mirabilem communicationem, eæ, quæ ad urinam secernendam, ac derivandam sunt comparatę, relaxentur, mulceanturque Clysterum emollientium usu, atque ea ratione afficiantur, qua opus est ad placidam exoptandam tranquillitatem. Huc spectant fotus calidi emollientes, quorum usu convulsas partes relaxari manifestius quidem est, quam ut ullis rationibus possit comprobari. Quo remedii genere usum fuisse Hippocratem liquet (1), ubi habet: *Multa aqua calida lavato, & tepefactoria, qua parte maxime dolet, adhibeto.*

Si metus sit inflammationis, venæ sectio &c.) In convulsivis, atque dolorificis viscerum contractionibus nil facilius contingit, quam ut intercipiatur sanguinis motus, unde inflammatio. Hinc salubre accuratiorum practicorum consilium Riverii (2), Grunlingii (3) pręeunte exemplo, venæ sectionem instituere, qua eadem pręcaveatur. Dum enim sanguis educitur, spirituum etiam copia, quorum proxima materia sanguis est, imminuitur, hinc ad sedem stimuli minori vi, atque impetu irruere contingit, atque laxitatem dolenti, atque convulsę parti conciliari. Huc accedit, imminuta sanguinis copia, majus eidem ad fluendum spatium relinqui, atque consequenter difficilius hęrere, subsistere, atque inflammationem excitare.

Quamvis autem venę sectio quocumque tandem in loco celebretur, sanguinis copiam imminuendo nunquam non bono, & emolumento esse possit, in pede tamen institutam melius cedere facit potissimum ea ratio, quod sanguis, qui ex trunco arteriæ Aortę descendentis per viscera imi ventris defertur, & valvularum orificia subiens in Cavam ad Cor rediturus transmittitur, breviori, faciliorique via educitur, orta in ipsis plenitudo immediate tollitur, unde majus sanguini fluenti relinqui spatium contingit, ac inflammationem facilius præcaveri. Hinc recte Hippocrates (4): *Oportet*, inquit, *venæ sectionem in doloribus dorsi, & coxendicum in poplitibus, & malleolis efficere.* Quod Severinus confirmat (5) tradens in dolore nephritico pracavendo, aliisque imi ventris morbis venam pedis secari quam felicissime. Tutius tamen duxerim, ut sæpius a nobis dictum est, primum in brachio, mox in pede venę sectionem instituere, ne copiosius affluente sanguine a partibus superioribus ad inferiores affectę partes distrahantur plus quam par est, & si forte jam phlogosis inceperit augeatur, aut confirmetur.

VIII. *Interim ol. Amygd. dul. .s. i. &c.*) Inter interna emollientia eminent semina amygd. dulc. semina psyl. malv. alth., ex quibus vel olea exprimuntur, vel mucilagines parantur, nec non folia malvar. parietar. & similia, quæ decocta testante Boerhaavio speciem emulsiónis constituunt ad convulsivas, atque dolorificas contractiones relaxandas, ac mulcendas efficaciissima. Oleo Amygdalar. dulc. uti solemus additione suc. citr. vel limon., ut fluidiori saltem olei parti vehiculo sit in sanguinem, & partes urinæ secretioni dicatas. Acida enim figendo sanguinis partes, & ejus texturam quasi constringendo efficiunt, ut serosa pars ab aliis secedat, ac facilius per Renes elabatur.

IX. *Hisce frustra adhibitis ad semicupium, aut balneum emolliens &c.*) Emolliendi, relaxandique virtute maxime præstat balneum. Remedii genus, quo stranguriam vehementissimam, propter quam æger in mortis discrimine prope certissimo versari videbatur, felicissime sublatam, parvosque lapillos excretos vidisse bona fide testor, cum alia prope innumera minus commode responderint. Quæ methodus antiquissima est, mirisque laudibus a veteribus Medicis celebrata. *Omnium optimum*, inquit Trallianus (6), *est balneum, ut quod non solum mitiget, sed & curare possit: nam colicos frequenter solummodo lenit, nephriticos vero utraque ratione juvat &c.* Quod non sine admiratione accipi solet ab iis, qui tot diureticorum differentias, quas nosse oportet in tanta morborum, causarumque varietate, ut apta cuique opponantur, perspectas non habent.

X.

(1) *lib. 5. de inter. affect.* (2) *cent. 2. obs. 15.*
(3) *in prax. tract. de calcul.* (4) *lib. de nat. hum. 5. 20.*
(5) *de efficac. medicam. c. 26.* (6) *lib. 9. c. 4.*

X. *Ad nimium dolorem ſedandum contentus ſum ſola emulſione ex ſemin. pepon. &c. cum nitr. &c.*) Præter emollientia cum externa, tum interna doloris vehementiam lenire ſtudent nonnulli per opiata medicamenta. Sed peſſimo conſilio. Licet enim convulſivas contractiones componi, dolorem ſopiri contingat, & corpus recreari, paullo tamen poſt omnia ſymptomata recrudeſcere, atque collapſis viribus ęgrum dirius exercere compertum eſt. Quare ſatius videtur a levioribus exordiri, quęque demulcendo potius, ac ſpirituum motum compeſcendo blande, & debitam laxitatem dolenti parti conciliando operantur. Quas facultates ineſſe emulſionibus ex ſemin. pepon. papaver. &c. adeo manifeſtum eſt, ut nihil magis. Si de nitro ſermo ſit, prętęrquamquod ad ſpaſmos ſolvendos, dolorumque ſęvitiem mitigandam plurimum facit, accedit prętęrea, novas tartareas concretiones in renibus impedire. Cujuſce rei locupletiſſimos teſtes habemus, unum inſtar omnium Penotum (1), qui adeo proficuum cenſet nitri uſum in quocumque homine, qui calculis, ac dyſuriæ obnoxius fuerit, ut ſi ſingulis quatuordecim diebus ſumatur, nunquam in Renibus, aut alibi naſci arenam poſſe polliceatur. Nephriticum quemdam diuturno nitri uſu a calculo perfectiſſime curatum fuiſſe ſe a Pręvotio audiviſſe teſtatur Timæus (2). Grunlingius quoque (3), *Satis*, inquit, *notum eſt omnibus, ſal prunellæ egregium eſſe auxilium pro præſervatione, & curatione nephritidis*. Quod ſi tali virtute donatur ſal prunellę, qui nihil eſt aliud, quam nitrum, cujus ſubtilior pars ſulphuris vulgaris admixtione deflagravit, quid ſperandum a nitro puriſſimo integris ſuis viribus operante? Sed ſi hæc fruſtra adhibeantur, quid opiatis promptius?

XI. *Remittente dolore ſola decoctione malvarum &c. cum lapid. percar. &c.*) Tot tamque varia ſunt diuretica, quæ laxatis renum, & ureterum viis ad calculum expellendum commendantur, ut in delectu eorumdem hærere quaſi in limine cogamur. Milium Solis, ſeu Lithoſpermum, Ononis, Pimpinella, Saſſiphragia, Virga aurea, Veronica, Hedera terreſtris, Hypericon, & his affinia reſinoſa corpora, & gummata, Terebinthina, ſuccinum, ejus ſal volatilis, Millepedes, Lumbrici terreſtres, Fimum columbinum, aliaque id genus. Quibus tamen, ſi quid ſentio, vix ac ne vix quidem corpora eorum, qui calculis premuntur, exagitanda traderem. Hæc enim abſtergendo, & urinas craſſas, limoſas, ac turbidas educendo calculum mucagine ſua denudatum relinquunt, qui propterea atrocioribus doloribus inferendis opportuniſſimus exiſtit. Quid quod calculum Renibus, aut ureteribus impactum in anguſtiorem eorumdem cavitatem ita impellere valent, ut multo difficilius, nec citra inflammationis periculum educi queat? Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere, quę tradidit in hanc rem Cl. Grunlingius (4), quo loco: *Comprobatum eſt*, inquit, *fruſtra adhiberi, & omnino inaniter fatigari patientem uſu medicamentorum diureticorum, præſertim calidiorum, quorum uſu præpoſtero plures ad Cælum tranſmittuntur*. Ex quibus liquido conſtare arbitror, ſola relaxantia, atque emollientia medicamenta eſſe continuo in uſum vocanda; hiſce vero ea addenda, quæ calculi expulſionem blandiſſime promovere valent. Quænam autem ejuſcemodi? Ex repetito uſu decoctionis emollientis cum lapide percarum inſignem ſabuli copiam per urinas, parvoſque lapillos excretos non ſemel deprehendi. Quo ſane ad credendum vehementer adductus ſum, nullum efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius inveniri remedium ad calculum expellendum. Quam facile ad hujuſmodi conjecturas proni ſunt Medici! Cum hujuſce medicamenti operandi rationem ſedulo inquirerem, non aliunde repetendam eſſe facile conſtitui, quam a ſale quodam partim nitroſo, partim ſalſo, quo abundat lapis percar. ad incidendum blandiſſime, atque urinas ciendas opportuniſſime. Eadem ratione fortaſſe agere cenſendum eſt conchas omnes oſtrearum, perlarum, & quæ ad has referuntur, uti lapides oculi cancrorum communiter dicti, teſtæ ovorum, coralla, & hujuſmodi, quæ paſſim ſolent uſurpari. Nſi forte velis vim ſuam exerere textura alchalina, qua acidum primarum viarum, quod concretionis calculoſæ fundamentum eſt, abſorbent, & imbibunt, quod deinde degenerat in ſal neutrum amaricans tubulos,

(1) *de medicam. chym.* (2) *in conſult. 3.*
(3) *in obſerv. de calculo.* (4) *de calculo.*

los, & poros renales insigniter abstergendi virtute præditum, ut Hoffmannus luculenter ostendit (1). Paulo validius operantur multa quæ numerando percensuimus, ideoque post usum diuturnum emollientium, mitiorumque diureticorum adhibenda censuimus, & quando ea votis nequaquam respondeant, ne præmature impellendo in allata detrimenta incidamus.

XII. *Hisce frustra adhibitis totum opus naturæ committendum.*) Nusquam alibi frequentius, quam in *transactionibus philosophicis* calculi a renibus extractionem per sectionem ope manus Chirurgi videre est (2). Alteram similis operationis historiam affert D. Freind. (3). Sed si D. Rutii audimus, partes quæ secandæ sunt sedulo considerans, atque ad trutinam, ut ajunt, revocans fieri quidem forte fortuna posse testatur, ut hæc operatio felici cum successu instituatur, rationibus tamen suffultam esse nullis affirmat. Quare nisi mitioribus medicamentis minime expellantur calculi, satius duxerim ab omni penitus remedio abstinere, cum præsertim observatum sit, sola quiete calculum tandem profiliisse, quam importuna remediorum farragine ægris molestiam inferre, aut experimenta per mortes agere.

XIII. *Lithontripticis nulla habenda fides.*) Specifica non desunt calculis renum, ac vesicæ laborantibus exhibenda, quibus eosdem frangi, comminui passim tradunt Scriptores. Lithontriptica audiunt ejuscemodi medicamenta omni ævo plurimum a Medicis decantata. Infinitus pæne sim, si singula velim persequi. Inter Lithontriptica maxime illustria, seduloque labore, ac studio comparata eminet illud Basilii Valentini ex acerrimo Alchali, quod habetur ex sarmentis vitis putatæ Mensis Martii initio aperto igne combustis; illud quod ex lotii destillatione paravit, mirisque laudibus extulit (4) Helmontius, quodque accurate descripsit Boerhaavius (5); illud adeo famosum, adeo pretiosum C. Sylvii, nempe nitri spiritus dulcificatus, ut idem Boerhaavius (6) ostendit; nec non elixir Daffæanum, salia volatilia tartari Cor. Cer., Cran. human. Viper., lap. Hystric., Bezoartica omnia, Saponacea. Vel id agant quod habent vim dissolvendi, sive quia eorum volatiles particulæ, dum aliis in Animalium fluidis junguntur, vim eamdem acquirant adhuc controversum est. Rem autem experimentis confirmant. Affusis enim Lithontripticis hisce medicamentis calculis, ac lapideis concretionibus, paulatim easdem immutari, in mollem quamdam materiem tandem dissolvi haud injucundo spectaculo deprehendunt. Si quid in re ardua, ac perdifficili decerno, integram fidem non mereri facile crediderim, qui asserunt, ea quæ exterius tales effectus exhibent, interius eosdem præstare. Manifestissima res est de vini spiritu. Exterius enim calculum frangit. Ecquis vero ignorat, interius assumptum eumdem intactum relinquere? Quid quod acria multa sanguinem extra vasa solvunt, intra cogunt? Talia sunt acria fortia, & fortissima, deleteria mineralia, illa præsertim, quę solidis partibus adhærentia convellunt, comburuntque, unde circularem sanguinis motum, quo fluidus sanguis servatur, sisti contingit, eumdemque concrescere. Sunt e contra nonnulla, quæ sanguinem intra vasa solvunt, extra cogunt. Ab acribus vegetabilibus, & aromaticis sanguinem intra vasa dissolvi, morbi a viscido, lentoque oriundi, quibus egregie medentur, satis ostendunt. Et tamen sanguinem extra vasa coagulari expertus est Cl. Pitcarnius (7). Acre nimirum, quod extracto sanguini infunditur, nullam ante mutationem subit; contra vero, quod per os ingeritur in ventriculum, antequam in sanguinem ingrediatur, & eidem misceatur, quam alterationem non subeat? Multo majorem subire debere perspicuum est corpus aliquod, quod frangendi calculum causa propinatur. Cum enim præstare id alia ratione nequeat, quam vim dissolvendi sanguini primum, deinde urinoso sero, quod in renibus separatur communicando, aut volatiles quibus scatet particulas sanguini, & urinæ volatilibus particulis jungendo, unde eamdem vim acquirant, vim hancce infringi debere a motu circulari sanguinis, a diverso salium, & sulphurum genere fluidas partes constituentium, a secretionibus, quæ

(1) *in Poter. cap.* 48. (2) *n.* 223. (3) *hist. med. V.* 2. *p.* 185.
(4) *tract. de lithiasi.* (5) *op. Chym. par.* 2. *proc.* 121.
(6) *Ibid. par.* 3. *proc.* 135. (7) *el. phys. math.*

quæ continuo in noſtro corpore peraguntur, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quo apparet, certam conjecturam capi non poſſe, frangant ne calculos renibus, aut ureteribus impactos, an nihil præſtent corpora, quę eiſdem extra corpus affuſa diſſolvunt. Effectus certe, a quibus multo certior conjectura capi poteſt, nullatenus frangere, ut a pleriſque traditum eſt, abunde demonſtrant. Quibus liquido conſtare arbitror, nullam ſpecificis Lithontripticis hactenus veram fidem habendam eſſe, eademque nihili facienda.

Hiſce addeſis Acemellam herbam, & radicem Pareyræ bravæ, & lignum nephriticum dictum. Acemella herba deſcripta extat *in actis Lipſienſibus* (1). De eadem, ut liquido conſtat *ex com. A. B.* (2), loquuti ſunt Cæſalpinus, & Tournefortius. Ad calculos autem terendos, comminuendoſque valere plurimum reputatur. Quę facultas poſtea obſervationibus, atque experimentis a Cl. Fantino diligenter inſtitutis plurimum infirmata eſt, nullam ei concedente præter illam, qua concretiones, coagmentationeſque poſſint prohiberi. Radicem Pareyrę bravæ haud ita diu ex Braſilia in Europam tranſmiſſam plurimum valere ad calculos terendos, comminuendoſque videre eſt in hiſtoria R. A. P. (3). De ejuſdem pariter virtute ſermo eſt habitus in tranſ. Phil. (4). Verum, ſi quid ſentio, de hiſce, & ſimilibus Lithontripticis medicamentis illud affirmari jure poſſe crediderim, quod de ligno quodam in nova Hiſpania naſcente, & accurate deſcripto a Cl. Tournefortio (5) ob mirabiles, quos edere creditur effectus in nephriticis affectionibus, ſpecioſo nephritici titulo inſignito curioſis ſatisfaciens pronuntiavit Cl. Geoffroii (6), quo loco: *Nonnullos*, inquit, *vidi, quos curationis ſpes fruſtrata eſt. Altius igitur inquirendum, quos illud lignum ſublevare valeat, quos vero nequeat ſanare. Verum de vi Lithontriptica valde dubito.*

XIV. *Aquæ acidulæ, niſi calculi majores fuerint &c.*) Si calculus ejus fuerit magnitudinis, ut valeat facilem ſibi viam ad inferiora munire, nullum æque efficax remedium ſuppetit, ac thermopotatio, ut Cl. Sydenhamus præ cæteris oſtendit (7). Si vero major fuerit, quam ut per ureterum ductus in veſicam ire poſſit, certo certius eſt, magno cum ægri periculo tunc potum acidularum præſcribi; nam excitato plurimum paroxyſmo eo res deveniet, ut non antea is remittatur, quam vel lapis in pelvim redeat, vel maximum inde vitæ diſcrimen æger patiatur, ut Cl. Gratianus perbelle oſtendit (8). Quid quod efficiunt Acidulę, ne novi gignantur calculi? Parte nimirum ſpirituoſa mucilagineas fordes primis viis, hiſque proximis viſceribus inhærentes diſſolvi contingit, atque abſtergi, Martis vero vena acerbos, atque acidos ſapores, ac ſylveſtres, tartareoſque ſales corrigi, & laxatam Renum compagem firmari, unde potiſſima nephriticæ affectionis fundamenta ab imo convelli neceſſum eſt. Quanti interſit renales glandulas, & tubulorum, ac meatuum, qui in eis ſunt fibras corroborare, & confirmare norunt ii omnes, qui adſtringentia in calculo tam curando, quam præſervando cæteris præferunt. Quo de argumento legi meretur eruditiſſima Diſſert. Cl. Heucheri (9), cujus meminit Cl. Hoffmannus (10).

XV. *Ulcera Renum &c. aſſiduo uſu decoct. teiform. herb. Veronic. &c.*) Vel inflammatio, quę calculo Renibus impacto ſupervenit in abſceſſum vertatur, vel fibræ eorumdem ſubſtantiam conſtituentes aſpera calculi ſuperficie atterantur, exedanturque, ſolutionem continui fieri perſpicuum eſt, atque ulcera generari, unde lenta tabes ſubſequitur, quemadmodum obſervationibus Bartholini (11), & Miſcel. N. C. (12) Verzaſchæ (13), Fernelli (14), Riolani (15), Tulpii (16), aliorumque compertum eſt. Ea igitur, ſi tale quid contigerit, indicari videntur, quorum uſu ſolutæ, atque exulceratæ partes a ſordibus expurgari, abſtergi, mundificari, aut alia qua-

(1) *an.* 1701. 1702. (2) *p.* 169. (3) *Vol.* 14. *p.* 75. (4) *n.* 365.
(5) *Mat. Med.* (6) *Mat. Med. p.* 2. *de vegetab. exot.* (7) *tract. de mict. cruent. a calculo renib. impact.* (8) *Diſſert. de acid. font. Recobar.* (9) *de adſtringentium uſu in calculo.* (10) *M. S. T.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 9. *de excretione urinæ.*
(11) *cent.* 3. *hiſt.* 35. (12) *Dec.* 1. *an.* 2. *obſ.* 81. & 2. *an.* 2. *obſ.* 13.
(13) *cent.* 1. *obſ.* 2. (14) *de partium morb. & ſymptom. lib.* 6. *cap.* 12.
(15) *lib.* 2. *cap.* 29. (16) *lib.* 3. *obſ. cap.* 6.

quavis ratione affici queant, qua opus, ut ad cicatricem perducantur. Virtus hęc maxime elucet in quibuſdam, quę ob ſulphureas, quas continent cum ſalinis arcte commixtas, eaſque leniſſimas, ac blandiſſimas particulas, diureticam, & balſamicam quoque facultatem ſortita ſunt. Horum in cenſu veniunt plantę multæ Veron. Heder. terreſtr. & hujuſmodi.

Pareyr. bravæ cum terebint. julepiz. &c.) Hiſce addeſis radicem Pareyrę bravę, quam licet ad calculos terendos comminuendoſque minus aptam exiſtere ſupra traditum eſt, ad ulcera tamen Renum, ac Veſicæ tam pręſtare, quam quod aliud maxime poteſt, conſtat ex obſervatione D. Geoffroii, cujus meminit J. Allen. (1), qui cum eamdem ęgris, quorum urinę tanto pure refertę erant, ut mejendi impedimento eſſent, exhibuiſſet, urinas ſtatim libere reddi pure propemodum immunes ſe deprehendiſſe teſtatus eſt. Quid ſi terebinth. ſyrupus addatur? Hæc enimvero reſina balſamica ſale ſuo acri leniter irritando renales glandulas urinę ſecretionem egregie promovet, tenacemque materiem, ac ſordes in urinariis tubulis Renum hęrentes, quę calculis materiem præbent convenientiſſimam abſtergit, atque diſſolvit: præterea oleo, quo fœta eſt viſcidulo, & lento ſubſtantiam Renum, & Veſicæ eroſam, atque exulceratam conglutinat, ejuſque compagem laxatam jam rurſus unit, & firmat, unde in ulceribus Renum, ac Veſicæ nullum eadem præſtantius, aut pro ęgrorum opportunitate valentius medicamen. Vel ſi præſens ſit calculus, commodiſſime adhiberi poſſe terebinthinam nulla ejus pręparatione facta Cl. Hildanus non ſemel expertus eſt. Quid quod licet frequenter adhibeatur, pulcherrima ejuſdem laus ſit nocere non poſſe? quemadmodum de cæteris diureticis dictum eſt. Phęnomeni rationem reddere conatur Georg. Horſtius (2), inquiens caliditatem terebinthinæ temperatam membris coctioni dicatis amicam eſſe. Magis autem arridere ſibi (cui autem non arrideat?) teſtatur Frid. Hoffmannus (3) rationem Riverii (4), quia ſcilicet alvum ſimul laxat, & per eam craſſiores educit humores, qui a cæteris potiſſimum diureticis ad renes adducuntur.

XVI. *Hiſce ſuccedant opportuno tempore aquæ acidulæ &c.*) Tandiu in illorum uſu perſiſtendum eſt, quandiu thermalibus aquis locus detur, quibus ulcera Renum, ac Veſicę egregie mundificari, & conſolidari pro certo habendum. Corroſos enim Renum, & Ureterum parietes vi contentorum abſtergunt, atque exſiccant, & fibris qua fieri poteſt tonum reſtituendo plagas probe jam dilutas figunt, comprimunt, atque ocyus obliterant.

XVII. *Tandem ad uſum lactis &c.*) Quoniam vero non raro evenit, urinoſum ſerum, alioſque ſuccos Renes verſus propulſos vaſorum ſanguineorum oſcula reſerando, fibraſque ſolutas jam magis corrumpendo, immania ibidem ulcera excitare, fovere continuo, & perfectam ſanationem prohibere, ſalubre eſt practicorum conſilium, iiſdem probe jam dilutis, oleoſas, lęves, ac politas particulas in ſanguinem invehere, quibus ſanguis, humoreſque omnes contemperentur, ſolidæ partes obliniantur, unde corroſarum fibrarum elongationi, quod opus ſolius naturæ eſt, atque ulceris conſolidationi locus detur. Quid autem prædictis muneribus obeundis uno lacte præſtantius?

In lacte diſſolvantur Trochiſcor. Gordon. &c.) Trochiſci Gordonii ad Renum, & Veſicę ulcera mundificanda, dolorem ſedandum, urinę ardorem mitigandum, & ſimul conglutinandum Hollerio, Dureto, Foreſto, Riverio, Etmullero, aliiſque adeo probantur, commendanturque, ut nihil ſupra. Horum deſcriptio extat apud Sennertum. Componunt autem eoſdem radices multę, & ſemina mucilaginoſa, atque oleoſa, & & ex iis extractæ mucilagines, gummata quædam glutinoſa, terræ abſorbentes, & pulveres plantarum leniter adſtringentium, quorum mixtione illud reſultat remedii genus, quod ad recenſita Renum, ac Veſicæ vitia efficaciſſimum eſt, ſi quod aliud.

XVIII. *Cæterum alvus continuo aperta ſervanda. Pillulis Maſtich. &c.*) Intereſſe plurimum calculo laborantibus alvum apertam ſervare facit potiſſimum ea ratio, quod lapideſcentem materiem a Renibus ad alvum derivari contingit, nihil vero, aut parum a primis viis in ſanguinem calculoſę concretioni anſam daturum tranſmitti. Hęc nimi-

(1) *par.* 1. *art.* 724. (2) *Dec.* 8. *qu.* 1. *de calcul. Ren. & Veſic.*
(3) *Opuſ. Med. diſ.* 9. *de therm.* 5. 18. (4) *prax. lib.* 8. *cap.* 1.

mirum communis lenium perpurgantium operandi ratio, inter quę eminent pillulæ maſtichin. tartar. Bont., quæ ante cęnam frequenter aſſumptæ alvum ſine ullo incommodo, & in quocumque ſubjecto blandiſſime ſolvunt, & ſimul tartareas, ac mucilagineas ſordes incidunt, atque abſtergunt adhibitę ſolerter (1). Præſtantius adhuc, & efficacius ad prohibendos calculos Rhabarbarum eſt. Cum enim viſcidis, lentiſque humoribus attenuandis, blandeque educendis ſulphurea, ac reſinoſa ſui parte valet, tum viſceribus aliqua atonia laborantibus, hepati ſpeciatim, & renibus ea parte, quę roborandi, adſtringendique vim habet, egregie opitulatur. Quod non ſine admiratione accipi ſolet ab iis, qui diſtinctionem illam purgantium in cholagoga, phlegmagoga &c. juxta Veterum ſententiam omnino rejiciendam contendunt. Cum tamen experientia doceamur, certos humores peculiaribus pharmacis facilius, commodiuſque educi, & certos etiam effectus melius per certa quædam purgantia edi, quam per alia, ut de Rhabarbaro dictum eſt, quod hepatis, & renum vitiis ſpeciatim mederi obſervatur, quid eſt tandem cur omnino rejiciatur?

XIX. *Oleoſa, & pinguia c. m. ſunt butyrum recens &c.*) Experimentis chymicis edocemur, cryſtallizationes pinguibus, & oleoſis admixtis corporibus prohiberi. Spiculorum enim ſalinorum unionem ad concretionem lapideam neceſſariam impediunt. Hinc mirari minus ſubit, ſemina, quæ blando, mitique oleo donantur, ut ſunt ſemina quatuor frigida majora, Nuces avellanæ, Amigdalę, butyrum, & oleoſa omnia plurimum facere ad calculos prohibendos. Crato a ſe nucum avellanarum uſu ante paſtum non paucos nephriticis doloribus obnoxios liberatos eſſe teſtatur, quod Amati Luſitani aliorumque obſervationibus poſtea confirmatum legimus. Olea olivarum, butyrum recens calculoſis prodeſſe Tulpii obſervatione compertum eſt. Quod confirmat Riverius inquiens: *Butyrum recens cum ſacchari cant. p. æ. mixtum quotidie mane ſumptum jejuno ſtomacho vias urinæ lenit, & abſtergit, & calculorum generationem impedit.*

Aqua calida etc.) Aqua calida ante cibum ſumpta mane, & veſpere cum ad Renales tubulos facillime permeet, non ſolum eoſdem majorem in modum abluere, ſordeſque ibi hærentes educere valet, ſed ſalium facile coeuntium coagmentationem, ac calculoſam concretionem prohibere. Quod remedii genus vetuſtiſſimum eſt, Alexandro Tralliano, Piſoni, Zechio, aliiſque probatiſſimum.

XX. *Calculo in veſica exiſtente, urgentioribus ſyptomatibus &c.*) Calculum Veſicę, qui plus increvit, quam ut per urethram expelli queat, curationem nullam admittere vel ex eo maxime apparet, quod Lithontripticum ore aſſumendum nullum adhuc Medentibus innoteſcat, injiciendum autem, quod calculum frangat, veſicam vero minime lędat, nullum detur, utcumque ſua miris laudibus extollant arcana Sennertus, Haugenius, Hartmannus, Borellus, Helmontius, Boyleus, aliique, ſeque pluribus obſervationibus didiciſſe teſtentur, calculos revera atteri, ac comminui. Quid enim quod decepti ſint multa pituita craſſa, vel ſabuli congerie calculi imaginem referente, vel etiam lapideſcente concretione, quæ nondum plus increverit, quam ut per urethram viam invenire potuerit? Duros certe, ac grandiores acerrimis quibuſque Medentium conatibus reſiſtere, atteri ſe, ac comminui non pati infinitis propemodum obſervationibus confirmatum eſt. Hinc jure Hippocrates: *Renum*, inquit, *affectiones non vidi ſanatas ſupra quinquageſimum annum*. Renum nomine & veſicam intellexiſſe tradunt accuratiores ejuſdem interpretes. Quod ſi quis forte ſperet, per humanam induſtriam inveniri poſſe menſtruum aliquod contra calculum veſicę, quod tam blandum, ac molle ſit, ut non lędat veſicam, & ſolvat tamen calculum in veſica, quemadmodum fertur de menſtruo illo ex pane ſecalino confecto, quod ſolvit omnia ſaxa duriſſima in manu, manu interim illæſa, vel de illo altero ex ovo deſtillato, quod nullum in oculo dolorem facit, & tamen diſſolvit myrrham, quæ per magnum, & validum ignem diſſolvi nequit, vel de illis, quæ metalla varia, gemmas, perlas &c. ſolvunt, nec tamen corroſiva ſunt, eſt cur eidem gratulemur, quod magnis inventis intentus ſit, quibus novum Medentibus lumen adjicere, laboremque aliis ſubtrahere ſtudeat. Nondum autem innotuiſ-

(1) *De recto iſtarum pillularum uſu vid. com. in aph.* 5. *cap.* 7. *com. in aph.* 15. *cap.* 8.

ſe dolendum. Futura, utpote incerta, multis minus commendantur. Ex quibus appareret, eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut calculi augmentum prohibeatur, ejuſque incommoda congruis præſidiis mulceantur.

XXI. *Iſchuriæ conſulimus ægrum elevatis in altum pedibus &c.*) Valde pertimeſcendum ſymptoma propter metum inflammationis Iſchuria eſt calculo cervici veſicæ impacto. Quo caſu ſalubre practicorum conſilium eſt, ægrum ſupinum collocandum elevatis in altum pedibus, mox concutiendum, ut in veſicam relabatur. Interdum contingit, altius urethram penetrare calculum, nec motu iſto violento in veſicam relabi. Tunc vero immiſſo cathetere eſſe impellendum perſpicuum eſt. Illud tamen animadvertas velim, ope periti Chirurgi primum, nec frequentius quam par eſt, & in quocumque morbi ſtatu injiciendum eſſe. Si enim a minus perito Chirurgo catheter immittatur, ex irritatione, quæ præcaveri nullo modo poteſt, nerveas fibrillas, ac vaſa ſanguifera ſpaſmodice affici contingit, ſanguinis motum intercipi, atque inflammationem ſubſequi. Quid ſi jam eadem ſubſit inflammatio?

XXII. *Ex ſemin. Lin. contuſ. fœn. græc. &c.*) Solent emollientia veſicæ regioni admoveri, ut nervearum partium convulſivę contractiones ſedentur, ſicque facilius urinæ via, atque aditus pateat. Oleum Scorpionum Matthioli virtute Lithontriptica pollere nonnullis creditur, quod tamen ridiculum eſt. Laxando porro, atque emolliendo, ut cætera oleoſa faciunt, operatur, atque hac ratione ſuppreſſioni urinę a calculo urethrę impacto egregie medetur.

XXIII. *Ardorem urinæ, doloremque &c. gum. arabic. &c.*) Calculus, ut in renibus, ita in veſica aſperitate ſuperficiei fibras carneas exedit, mucum veſicę abradit, unde acrimonia ſua eaſdem irritat, mordet, hinc ardor, atque veſicę dolor. Quę igitur ſerum acre demulcent, ac mucaginoſis ſuis partibus corroſas partes obducunt, hic apprime conveniunt. Emulſiones e gummoſis corporibus, ex ſeminibus blandis, mitique oleo fœtis huc ſpectant. Gummi arabicum aquæ ebullitioni diſſolvi patitur, lentoremque viſcidum illi conciliat; ſemina melonum, cucurbitulæ, & ſimilia oleum blandum, ac mite farinoſo principio arcte commixtum continent, unde aqueis commode miſcetur. Ex his parantur emulſiones, quæ ad ſolidas partes utcumque affectas obliniendas, & mucagine ſua obducendas, ſalium acrium, atque erodentium, tum ſeri urinarii, tum reliquorum humorum vim retundendam, atque abhinc prodeuntem urinæ ardorem contemperandum efficaciſſimæ ſunt.

XXIV. *Hiſce fruſtra adhibitis laudanum hocce urinarium &c.*) Ob ſedandi virtutem Opium & ex eo parata medicamenta cęteris palmam prępipiunt. Cavendum tamen, ne ſola exhibeantur in his affectionibus, ſed iis mixta, quæ præterquamquod organis urinæ ſecretioni, atque excretioni dicatis ſpeciatim ſubvenire reputantur c. m. ſunt Alkekeng. therebint. &c. corroſoſque parietes mucagine ſua obducere, acreſque, atque erodentes particulas obruere valent, uti ſunt gummoſa omnia, efficiunt præterea, ut infeſta eorumdem vis corrigatur, unde certum levamen, nullum noxæ periculum ex illorum uſu expectandum ſit. Deſcriptum laudanum eo fine paratum eſſe, etiam me tacente, facile omnes intelligunt. Hinc illius efficaciam (expertus loquor) ad ardorem urinę, doloremque compeſcendum qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam. De Lithotomia, ſeu operatione illa chirurgica, qua calculus per veſicæ inciſionem extrahitur, conſuli merentur Celſus, Hildanus, Barbette, Alghiſius, Douglas, Cheſeldenus, Heiſterus, aliique Chirurgi, qui hoc argumentum diligentiſſime pertractarunt.

Quod experientia didici hactenus Adoleſcentibus ſignificaſſe ſufficiat. Dicendi finem facio Damaſceni effato (1): *Pharmaca pauca tibi tenenda ſunt, quorum operationes, & poteſtates jam multoties expertus es. Totius enim multitudinis notitia incomprehenſibilis eſt, ac cum per ſingulas volueris inquirendo diſcurrere, multiplici diverſitate diſtentus neſcies, cui debeas fidem adhibere.*

(1) *aph.* 34.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A

Abdominis diſtentio & inflatio in Colica flatulenta cur. 51
Cur tympani ad inſtar pulſet. ib.
Flatuum eruptione miteſcit. ib.
Abſorbentium vis in Diarrhœa, & Dyſenteria. 32
Si Opiatis, & adſtringentibus uniantur. ib.
Ad lactis corruptionem præcavendam. 97.
Abſorbentia quænam ſint, & quas vires habeant. 92
Quomodo agant adverſus affectionem hypochondriacam. 104. 105
Adverſus calculoſam nephritidem. 146
Abſynthium quibus partibus conſtet. 8
Abſynthiaca cur vomitum interdum ſiſtant, interdum augeant. 9
Eximia ad corroborandum. 10. Interdum noxia cur. 97
In Colica. 56. In affectione hypochondriaca. 95. 96
Abſynthii ſal antelminticum. 69
Abſynthii tinctura per fermentationem aliis præſtantior. 96
Abſceſſus hepatis vulneribus capitis ſuperveniens magni faciendus in accuſationibus criminalibus. ib.
Acidus humor colici doloris cauſa perperam habitus. 48
Ita & alchalicus. ib.
Acida quandonam locum habeant in verminatione. 69
Egregia in morbis malignis. ib.
Acor quomodo generetur. 101
Quomodo Scorbutum efficiat. ib.
Ejus proprietates. ib.
Quomodo in acredinem degeneret. ib.
Acidum pancreatis vitioſe cum bile effervescens affectionis hypochondriacæ cauſa perperam habitum. 81. 82
Acre quid ſignificet. 103
Acredo in ſcorbuto graviſſima excitat ſymptomata. 103
Acetoſæ uſus in Scorbuto eximius 104. 106
Aceti, acidorumque abuſus quomodo Icterum gignit. 117
Acidum in ſanguine reperiri cur multi inficiaverint. 119
In eodem eſſe non poſſe perperam ſtatutum. ib.
Acemellæ vis in calculis renum, & veſicæ. 143
Acus in Veſicam illapſus calculis creandis par. 135. 136
Adipoſa corpora, quæ ejiciuntur in dyſenteria, quid ſint. 28
Adſtringentium leviorum efficacia in diarrhœa, ac dyſenteria. 32
Validiorum uſus minus tutus. ib.
Interdum tamen adhibenda. 33
Quænam ſint. ib.
Adſtringendi virtus ex ſapore egregie deducitur. 75
Adſpectus rei ingratę vomitus cauſa. 6
Æſtas cur Choleræ tribuat. 16. 17
Æſtus corporis ſummus in Scorbuto acri cur. 103
Æthiops mineralis quid ſit. 67
Egregium contra vermes. ib.
Aeris proprietates multæ. 18
Aer inteſtinis carceratus quomodo choleram ſiccam excitet. 18
Cur per ſuperiora, & inferiora cum impetu & ſtrepitu erumpat. ib.
Quomodo colicam flatulentam. 48
Aer paluſtris quomodo Icterum gignat. 117
Aeris certæ conſtitutiones diarrhœas Epidemicas excitant. 27
Aer Romanus morborum cauſa, & mortis cur. 28
Affectio hypochondriaca quid ſit. 80
Ejus cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 80. 81
Unde dicatur. 81
Ejus cauſa convulſio eſt circa principia nervorum excitata, vel circa extremitates. 82
Cur hæc opinio confirmari videatur. ib.
Cur Friſiis familiaris. 85

Cur hodie gravior, & frequentior. ib.
Agrimoniæ vis in Ictero. 124
In hypochondriaca affectione. ib.
In vomitu. 10
Alimenta acida, crassa, quomodo calculis tribuant. 136
Verminationi. 63. 64
Alumen quibus constet. 32
Alvi biliosæ dejectiones in colica biliosa cur. 51
Stipticitas, aut solutio in verminatione cur. 65
In affectione hypochondriaca. 89
Alvi adstrictio in Ictero unde. 122
Alternus faciei pallor, & rubor in verminatione unde. 66
Aloes infestum purgans. 73
Variæ ejus præparationes. ib.
Sed minus tutæ in hæmorrhoidum vitiis. 74
Amara quandonam adhibenda in verminatione. 69
Qua ratione operentur. ib.
Quænam sint. ib.
Animi deliquia in cholera unde. 18
In Verminatione. 66
Animi pathemata quomodo diarrhœam excitent. 27
Quomodo hæmorrhoides. 73
Quomodo hypochondriacam affectionem intendant. 90
Quomodo gignant. 85
Quomodo Icterum. 117
Animi quies Icteri remedium ab ira. 130
Ani molesta titillatio, & pruritus ascaridum vermium inditia. 66
Anodyna eximia in Ictero ab ira. 130
Anthelmintica remedia quænam dicenda. 67
Anxietas insignis in ventriculi, & intestinorum inflammatione unde. 41
Antiscorbutica quandonam adhibenda in colica pituitosa. 56
Quænam sint. ib.
Antiscorbutica acria in acido Scorbuto quænam. 103
Cur acidis temperanda, sero lactis diluenda. 104
Acida in Scorbuto acri quænam. 106
In falso Scorbuto quænam. 107
In Ictero quænam. 125
Aphonia in verminatione unde. 66
Appetitus depravati causa quænam. 88
Aquæ Tetutianæ eximiæ in vomitu pituitoso. 10. In Ictero. 124
In diarrhœa, dysenteria. 31. 32
In verminatione. 70
Cur largius exhibendæ. 10. 124
Si ferri non possint, quænam substituenda. ib.
Aquæ Ment. flor. Chamomil. usus in Cholera humida. 20
Aqua calida quandonam exhibenda in Cholera. 20
Frigida e contra quandonam. 21
Aqua marina cur in morbis a salso eximia. 132
Aquæ B. M. V. eximiæ in Dysenteria. 35
Calderianæ Lucenses in aliis regionibus. ibid.
In Scorbuto salso eximiæ. 108
Aquæ acidulæ summum colicæ pituitosæ remedium. 56
Colicæ biliosæ diuturnæ. 58
Eximiæ in fluxu hæmorrhoidali ab obstructionibus. 79
In hypochondriaca affectione. 95. 97
In Ictero ab obstructione hepatis. 127
In calculis renum, & vesicæ. 143
In ulceribus renum, & vesicæ. 144
In diuturna verminatione. 70
In Scorbuto acido. 105
Aqua gelida ventri applicanda non est in ventriculi, & intestinorum inflammatione. 43
Aqua copiose, & calida epota quandonam locum habeat in ventriculi, & intestinorum inflammatione. 45
Aqua frigida in colica biliosa minus tuta. 58
Potius calida locum habet. ib.
Aquæ stipticæ minus tutæ in fluxu hæmorrhoidali. 76
Brandulenses cur adhiberi queant. 77
Aqua viridis Hartmanni egregia in ulceribus scorbuticis. 110
Aquæ Nocerianæ in Ictero a bile acriori optimæ. 129
Aqua ex albo albi quid sit. 129. 130
Ejus usus in Ictero a bile acriori. ib.
Aqua calida eximia ad præcavendos calculos. 145
Aquæ sabulosæ, & gypseæ quomodo calculorum generationi tribuant. 136
Arenulæ quomodo generentur. 135
Quomodo in calculos abeant. ib.
Arenulæ rubræ in urina subsidentes in Scorbuto acri unde. 103

Ari radix acrimonia insigni donatur. 55
Ejus usus in colica pituitosa. ib.
Arsenicum Cholerę causa. 16
Arthritis vaga in Scorbuto acido unde. 102.
Ascarides quid sint. 61
Assa fœtida anthelmintica vi donatur. 69
Atrabilarius humor Scorbuti causa perperam habitus. 102
Aurantiorum usus in Scorbuto acido. 104
Autumnus humidus, & inæqualis quomodo verminationi tribuat. 64

B

Balaustia eximia contra hæmorrhoidalem fluxum. 75
Balnea aquæ dulcis optima in affectione hypochondriaca. 96
Adversus scorbutum salsum. 109
Balsamum de Copaiba optimum in ulceribus oris Scorbuticis. 111
In Ictero. 125
Batavi cur purgantia, atque emetica commode ferant. 38
Berberum virtus in vomitu bilioso. 12
In Scorbuto acri. 106
In febribus pestilentialibus. 12
Bezoartica in diarrhœa, vel dysenteria maligna eximia. 34
Bilis quomodo vomitum excitet. 4
Appetitus causa in plerisque Animantibus. ib.
Bilis usus quinam. 26
Quomodo diarrhœam excitet? 26
Bilis cum succo pancreatico fermentatio juxta nonnullos unde petenda. ib.
Colici doloris causa perperam habita. 49
Alchalica est. ib.
Inertia cur verminationi tribuat. 64
In hepate secreta in sanguinem regurgitans Icteri causa perperam habita. 113.
Amurcosa quomodo Icterum gignat. ib. 114
Acredo quomodo. 116
Tenuior ad effervescendum apta Icteri causa perperam habita. 118
Biliosæ particulæ sanguinis quænam dicendæ. ib.
Exaltatæ quomodo Icterum gignant. ib.
Borborygmi in affectione hypochondriaca unde. 88
Butyrum recens optimum ad calculos prohibendos. 145

C

Caffè torrefactum quibus constet principiis. 11
Ejus decoctum eximium in multis morbis. ib.
In multis malum. ib.
Calculi in hepate geniti Icteri causa. 114
Varii illorum effectus singulares. 115
Calculorum renum, ac Vesicæ essentia, causæ, signa, prognosis, curatio. 132. 133
Calculorum generatio unde petenda. 134
A spiritu urinæ coagulante perperam. ib.
A peregrino acido perperam. ib.
A tartareis, terrestribusque urinæ partibus, & laxato renum tono quomodo. 134. 135
Calculi nisi levioribus expellantur sinendi sunt. 142
Calculi extractio a renibus per sectionem Chirurgicam minus tuta. 142
Calculi in visceribus omnibus inventi. 133
Cur nuspiam alibi majores, frequentioresque quam in renibus, ac vesica. 133. 134
Callus ventriculi vomitus causa. 4
Capitis læsiones quomodo vomitum gignant. 6
Capitis dolores in hypochondriacis cur. 89
Acerbissimi in Scorbuto acido unde. 102
Cardiacorum suaveolentium usus insignis in cholera humida. 20
Quęnam sint. ib.
Carminativa calida minus tuta in ventriculi, & intestinorum inflammatione. 45
Carnes suillę crudiores ingestę Cholerę causa. 19
Carunculę, quę in dysenteria ejiciuntur, quid sint. 28
Cassia quomodo alvum moveat. 31
Minus tuta in diarrhœa. ib.
In ventriculi, & intestinorum inflammatione. 42

Licet leniſſimum purgans Stomacho, atque inteſtinis infeſta. ib.
Cur hypochondriacis noceat, atque hyſtericis. ib.
Cur hypercatharſim quandoque progignat. ib.
Cathartica fortia quomodo vomitum excitent. 5
Quomodo choleram. 15
Cathartica cur multis probentur in colica hyſterica. 59
Cur minus tuta ſint. ib.
Catheteris uſus in veſicę calculo quiſnam. 145.
Centaureæ minoris virtus in vomitu inſignis. 10
Cerata de amoniac. de galban. quas vires habeant in obſtructionibus. 128
Ceruſa cur venenis accenſenda. 45
Eximia adverſus ulcera oris Scorbutica. 117.
Ejus uſus internus minus tutus. 110
Cereviſia quid ſit. 136
Quomodo calculorum generationi tribuat. 136
Chamomillæ flores cur Stomacho amiciſſimi. 10
Optimi in colica pituitoſa, aliiſque ventriculi morbis, & inteſtinorum. 55
Oleum iiſdem plane virtutibus prædituum. ib.
Biliioſis, & calidis interdicendum. ib.
Chelidonii vis contra Icterum. 124
Cholera humida quid ſit. Cauſa proxima, remotę, externæ, prognoſis, curatio. 13.
Cholera unde dicatur. 14
A bile tantum oriri non poteſt. ib.
Sed a variis humoribus. ib.
A cauſa vomitus, & Diarrhęę proxima ortum ducit. ib.
Sed inſigniter aucta. ib.
Certis temporibus recurrens cur ſalutaris. 19
Declinationibus febrium ſuperveniens cur. 16.
Acutiſſimus morbus cur. ib.
An quandoque ſinenda. ib. 20
Chylificatio quomodo peragatur. 82. 83
Quomodo depravetur. ib.
Depravata quomodo affectioni hypochondriacę tribuat. 84
Chinę radicis virtus in Scorbuto acido. 104
Cibi grati, & jucundi cur in biliioſo vomitu utiles. 12
Craſſi, viſcidique in debilibus quomodo choleræ cauſa. 17
Lauti quomodo hæmorrhoides gignant. 73.
Vel craſſi, viſcidi, lenti quomodo. ib.
Crudi, acidi, fumo indurati quomodo affectionem hypochondriacam gignant. 84.
Vel boni, ac laudabiles nimia copia ingeſti. 85
Vel dentibus non triturati. ib.
Cibi ſimplices eligendi in affectione hypochondriaca. 90
Acidi fugiendi. ib.
Sale, aceto, & fumo conditi quomodo ſalſum gignant. 101. 102
Acidi quandonam acidum ſalſum generant. 102
Difficilis coctionis Icteri cauſa cur. 117
Ciborum faſtidium in affectione hypochondriaca. 87
Cicutę vires pro uſu externo. 128
Pro uſu interno. ib.
Licet olim venenum habita. ib.
Cicera ingeſta quomodo choleram excitent. 17
Cichorea quibus partibus conſtet. 96
Ejus ſuccus cujuſnam hypochondriacæ affectionis remedium. 96. 97
Citri virtus in Scorbuto acri. 106
Clyſterum emollientium efficacia in vomitu biliioſo. 12
In Cholera humida. 20
In Dyſenteria. 34
Primum ſedantes eligendi cur. ib.
Mox vulnerarii. ib.
Ex lacte optimi in Teneſmo. 36
Parce injiciendi. 37
Ex decoctione hordei, vel cancrorum fluviatilium cum nitro in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 43
Ex lacte, & terebinthina in exulceratione inteſtinorum. 45
Inutiles ſi tenuia ſint affecta. 46
Clyſteres præmittendi purgantibus in colica pituitoſa. 54. 55
Efficaciſſimi in colica biliioſa ſæpius repetiti. 57
Emollientes. ib.
Ex dulcibus mellitis minus tuti in verminatione. 69
Ex lacte, & butyro tutiſſimi.

Ex

Ex aqua hordei in affectione hypochondriaca calida. 96
Emollientes in Vesicæ calculo. 139. 140
Cochlearia insigne antiscorbuticum. 103
Cœliaca passio quid sit. 25
Colici doloris essentia, causæ, differentiæ, signa, prognosis, curatio. 46. 47
Colicus dolor unde dicatur. 47
Colici doloris causa solutio continui quomodo. ib.
Quot modis fieri possit. ib.
Colica pituitosa unde dicatur. ib.
Biliosa, Hysterica, Flatulenta unde. ib. 48.
Coli Spasmus colicæ flatulentę causa quomodo. 48
Colicus dolor cur nephritico affinis. 49
Cur vagus sit. 50
Cur ab alvi fluxu ab enematis levetur. ib.
Cur post pastum exacerbetur. ib.
Colicæ diagnosis cur incerta, atque equivoca. ib.
Colicæ hystericæ aliis communis. 51
Quomodo differat. ib.
Colica quomodo in inflammationem, & sphacelum desinat. 51. 52
In Epilepsiam, Vertiginem quomodo. 52.
In Ischiadem, & Arthritidem quomodo. 53
Colica Pictonum unde dicatur. 52
Vehementissimum morbi genus est. ib.
Cur in Paralysim terminetur. 52. 53
Colocynthis quibus principiis fęta sit. 15
Quomodo Choleram excitet. ib.
Colcothar vitrioli quid sit. 76
Conservę rosarum, cytoniorum eximiæ in vomitu bilioso. 12
Convulsiones in Cholera unde. 18
Convulsio a verminatione unde. 66
Cum halitu ab ore fętidissimo cur exitialis. ib.
Convulsio membranarum hępatis Icteri causa. 116
Quomodo excitetur. ib.
Confectionis hyacintinę usus in affectione hypochondriaca. 97
Coralla cur cæteris absorbentibus antęponenda ad lactis corruptionem pręcavendam in hęmorrhoidum curatione. 77
Corallorum sal, magisterium quid sit. ib.
Tinctura quomodo fiat. ib.
Anodyna Helvetii quomodo. ib.
Minus tuta propter opium. ib.
Corallina anthelminticum. 69
Corticum aurantiorum vis in vomitu. 10
Corticis Cascarillæ virtus febres fugandi. 34.
Contra malignas dysenterias insignis. ib.
Præsertim alexipharmacis mixta. ib.
Corticis Simaroubæ virtus ęque efficax, ac præstans. ib.
Corpuscula quædam Cucurbitę seminibus analoga latorum vermium inditia. 66
Croci vires in Ictero. 126
Crocus metallorum validissimum purgans. 15.
Choleræ excitandę par. ib.
Cruditas acida, & nidorosa quid sit. 88
Quomodo hypochondriacis accidat. 89
Crurum tumor in Scorbuto acido unde. 102.
Stupor in calculis renum cur. 137
Cucurbitulæ siccæ mammis appositæ optimæ in hęmorrhoidali fluxu. 75
Currus cur calculi vesicę symptomata intendat. 39
Cutis densitas, alvi laxitas, & contra, unde petenda. 27
Cytonia optima in vomitu bilioso. 12

D

DEcoctum junioris pulli optimum in Cholera. 19. 20
Hordei in diarrhœa biliosa. 30
Hordei leniter torrefacti cum melle optimum pro clystere in Dysenteria. 35.
Ex mica panis, & Cornu Cer. in Dysenteria item. 36
Quomodo paretur. 27
Decoctiones Malvarum, Parietariæ eximię in paroxysmo calculi renalis. 141
Delirium in verminatione unde. 66
Dentium dolor in Scorbuto unde. 102
Caries in falso. ib.
Stridor in verminatione. 66
Dejiciendi frequens cupiditas in Tenesmo unde. 36
Diagrydium quid sit. 68
Pueris purgandis aptum. ib. In verminatione. ib.
Diaphoretica calida minus tuta in ventriculi, & intestinorum inflammatione. 45.
Diaphragmatis læsiones quomodo vomitum excitent. 6

Diarrhœa, & Dyſenteria quid ſint. 24
Earum cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. ib.
Diarrhœę nomine quiſnam morbus veniat. 25.
Diarrhœæ bilioſę, pituitoſæ, ſeroſę unde. ib.
Epidemicæ unde. 28
Criticę quęnam. 29
Symptomaticę. ib.
Quandonam ſalutares in leucophlegmatia, hydrope. 29
Malæ quandonam. ib. 30
Morbis capitis ſupervenientes cur bonę. 30.
Iræ pariter cur bonæ. ib.
Benignæ, & malignæ quænam. ib.
Diarrhęę, Dyſenteriæ in Scorbuto ſalſo cur. 103.
Diaſcordei Fracaſtor. virtus in vomitu. 10
In Diarrhœa, Dyſenteria. 31
Præſtantius eſt Theriaca. 10
Diuretica calida minus tuta in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 45
Diuretica acriora quomodo calculorum generationi tribuant. 137
Quænam ſint. 140
Eorum uſus interdicendus ad expulſionem procurandam. 141
Dolores colici, iliaci quomodo vomitum gignant. 5
Dolor punctorius, & tenſivus hypochondrii ſiniſtri in vomitu ſanguineo cur. 7
Ventriculi, & inteſtinorum in Cholera humida. 18
Summus cum ſenſu ardoris in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 40
Confundi poteſt cum dolore colico, iliaco, humorali. 41
Calidis carminantibus pertractandus non eſt. ib.
Dolor gravativus in colica pituitoſa cur. 50.
Acutus vehemens in bilioſa cur. 51
Dolor Stomachi in verminatione cur. 65
Sub coſtis ſpuriis in hypochondriacis cur. 88.
Gravior jejuno Stomacho, & a paſtu cur. 89.
Nephritidem quandoque mentiens. 89
Obtuſus in dextero hypochondrio in Ictero a bile amurcoſa unde. 122
Modo obtuſus, & gravis, modo acutus in Ictero a calculis hepatis cur. ib.
Tactu manifeſte ſenſibilis in hepatis inflammatione cur. ib.
Dulcia quomodo verminationi tribuant. 64
Dyſcraſia acida quomodo Scorbutum efficiat. 100
Acris, ſalſa quomodo. ib.
Dyſenteriæ differentię inſignes quęnam. 28
Sola ſanguinis excretione diſtingui non poteſt. ib.
A fluxu hepatico quomodo differat. ib. 29.
A fluxu melancholico. ib.
Hęmorrhoidali. ib.
Dyſenteriæ indolentes rariſſimæ. 29
Gradu differt Dyſenteria a Diarrhœa. ib.
Eædem cauſę vehementius agentes. ib.

E

Laterium quid ſit. 16
Quomodo Choleram excitet. ib.
Elixir Daffęanum lithontripticum perperam habitum. 142
Elixiria interdum noxia in hypochondriaca affectione. 97
In vomitu. 11
Electuarium antihypochondriacum quodnam. ib.
Eluentia eximia in Diarrhęa, ac Dyſenteria. 30
Embroche pręſtantia in obſtructione hepatis. 127
Quomodo inſtituenda. ib.
Emetica acria, & laxantia vomitus cauſa cur. 5. Choleræ. 15
Humores prompte evacuant Ventriculo inhærentes. 9
Eorum delectus habendus. ib. Quandonam prohibeantur. ib.
Minus commoda in Cholera. 20
In Dyſenteria commoda. 35
Quęnam eligenda. ib.
Emollientium vis, & uſus in calculis veſicæ. 145
Emulſiones eximię in ardore urinę a calculis. 146
Gum. arabic. ſolutæ. ib.
Emulſiones ſemin. frigidor. optimę in ictero ab ira. 130
In paroxyſmo nephritico. 111
In ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 44
Emplaſtra extrinſecus applicanda in obſtructionibus levis efficaciæ. 127

Ap-

Applicanda tamen cur. ib.
De Cicuta cæteris antecellit. ib.
Epithemata ex rebus ſpirituoſis minus tuta in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 43
Epilepſiæ a vermibus unde. 66
Equitatio ſummum colicæ remedium. 56
Affectionis hypochondriacæ. 98
Obſtructionum, & Icteri. 128
Cur calculi veſicæ ſymptomata intendat. 139
Equinum ſtercus nullius efficaciæ in colicis. 60
Immo relinquendum. ib.
Eſula Choleræ cauſa cur. 16
Evacuationes quænam criticæ, & ſymptomaticę. 7
Cur illæ ſinendæ, hæ cohibendæ. ib.
Euphorbium quomodo Choleram excitet. 16.
Excretio materiæ craſſæ, viſcidæ in vomitu pituitoſo cur. 7
Acris e contra variique coloris in bilioſo cur. ib.
Sanguinis atri, grumatique in vomitu ſanguineo. ib.
Mixti interdum pituita viſcida cur. ib.
Excretio ſymptomatica quid ſit. 121
Critica. ib.
Exercitationes commodæ in colica pituitoſa. 56
In affectione hypochondriaca. 97
In obſtructionibus, atque Ictero. 128
Exploratio digito, aut cathetere ſignum tutiſſimum veſicæ calculi. 139. Interdum in fraudem inducit. ib.
Extranei corporis in Veſicam illapſus quomodo calculorum generationi tribuat. 135.

F

FAciei rubor, & pallor in verminatione. 65.
Fames aucta in verminatione unde. ib.
In affectione hypochondriaca. 87
Quomodo ad levem ſuccorum gaſtricorum alterationem augeatur. 87
Faucium conſtrictio in colica hyſterica cur. 51.
Febres ardentes, acutæ, malignæ quomodo ventriculi, & inteſtinorum inflammationes gignant. 38
Cholericæ, Dyſentericæ quomodo. 39
Febris acutiſſima cum inſigni calore, & æſtu corporis in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione cur. 41
Algida interdum cur. ib.
Dari cur Pitcarnius inficiaverit, mox conceſſerit. ib.
Febris vel nulla, vel parva in Icteto a bile amurcoſa cur. 122
Ab hepatis inflammatione gravis, & aucta plus minus cur. 123
Fermentatio bilis cum ſucco pancreatico non datur. 20
Flatuum per os proventus in colica flatulenta cur. 51
Cum levamine Symptomatum. ib.
In hypocondriacis unde. 88
Flavedo Ictericorum an critica dici queat, vel ſymptomatica. 121
In oculi tunica albuginea cur appareat. ib.
Florum Chammomil. decoctum eximium in colica pituitoſa. 55
Oleum ſtillatitium efficax. ib.
Bilioſis interdicendum non eſt. ib.
Fluxus hepaticus quid ſit. 28. 74
An detur. ib.
Melancholicus quid. 28
Quomodo differat a Dyſenteria. ib.
Fœces induratę, ac difficulter ejectæ quomodo hæmorrhoides gignant. 73
Fœcum albedo in Icteto unde. 122
Fomenta emollientia eximia in Teneſmo. 36.
In ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 40
Fragariæ præſtantia in Icteto a bile acriori. 129. 130
Fructus fermentiſcibiles nimia copia ingeſti Choleræ cauſa cur. 16
Fumariæ vis in hypochondriaca affectione. 92.
In Scorbuto ſalſo. 107
In Icteto calido dicto. 128
Vel ſucci forma, vel decocti. 107
Fumi metallorum plumbi præſertim quomodo ventriculi, & inteſtinorum inflammationes gignant. 40
Fungi venenati quomodo vomitum gignant. 5
Fungi Melitenſis uſus tutiſſimus in hæmorrhoidum fluxu. 76

G

GElatinæ extremitatum vituli optimæ in dyſentereria. 36
Cornu Cer. Ebur. ib.
In hæmorrhoidum fluxu. 78
Gentiana cur Stomacho amiciſſima. 10
Genuum titubatio in Scorbuto acido unde. 102.
Gingivarum tumor in Scorbuto acido unde. ib.
Eroſio in ſalſo. ib.
Glandulæ Malpighianæ quid ſint. 113
Quomodo differant a Ruyſchianis. ib.
Gummoſa utilia in vomitu quando. 10
Gummi gutæ Choleræ cauſa, cur. 16
Gummi arabicum, tragacant. eximia in fluxu hęmorrhoidali. 78
Amoniacum, Sagapen. in Ictero ab obſtructione hepatis. 125

H

HAbitus ſeroſus humiduſque cur verminationi tribuat. 65
Hedera terreſtris quibus principiis fęta. 77
Eximia ad ſanguinem ſupprimendum. ib.
Adverſus hydropem ab immodico fluxu hæmorrhoidum pendentem. 79
Adverſus ulcera renum, ac veſicæ. 144
Ad calculos expellendos minus tuta. 141
Hęmorrhoides quomodo oriantur. 42
Cæcæ quænam dicantur. ib. 70
Earum differentia ab inflammatione inteſtinorum. ib.
Hæmorrhagia blanda ſolvuntur. ib.
Hæmorrhoidum fluxus immodicus quid ſit: ejus cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 70. 71.
Hæmorrhoidales venæ quænam ſint. 71
Si in tumorem eleventur quomodo cæcas hęmorrhoides efficiant. ib.
Si diſrumpantur fluxum hęmorrhoidalem. 71. 72.
Hęmorrhoidalis fluxus immodicus quinam dicendus. 72
Cautiſſime ſupprimendus. 75
Hęmorrhoidum ſuppreſſio quomodo affectionem hypochondriacam excitet. 86. 87
Hęmorrhoides optimum ſanguinem pro cauſa agnoſcunt. ib.
Hęmorrhagiæ in Scorbuto ſalſo unde. 103
Helleborus albus infeſtiſſimum purgans. 15
Choleræ ciendæ par. ib.
Hepatis læſiones quomodo vomitum excitent. 6
Hepar Antimonii validiſſimum purgans. 15
Choleræ excitandæ par. ib.
Hepatis ſubſtantia an inflammationis capax. 115
Ejus membranę ſunt capaces. ib.
Icteri cauſa inſignis. 116
Hepatis durities, ac tumor in Ictero ab obſtructione cur. 122
Hernię quomodo vomitum excitent. 5
Hordei vis in diarrhœa, ac dyſenteria. 30
Horęi fructus quomodo verminationi tribuant. 65
Humorum evacuatio inſignis in Cholera. 14.
Prava qualitas. ib.
Colliquatio, acredo peccat. ib.
Humorum acrium copia quomodo diarrhœam excitet. 26
Acrimonia quomodo. ib.
Vel a ſanguine ſeparentur, vel a ſuccis primarum viarum ſuppeditentur. 26
Humorum ſecretiones quomodo peragantur. ib.
Hydrops ab immodico hęmorrhoidum fluxu quomodo. 74
Hypociſtidis ſuccus eximius ad cohibendum hæmorrhoidum fluxum. 75
Hyppericon minus tutum ad expellendos calculos. 141
Hypochondriorum pathemata in Ictero unde. 122
Hyppochondria tractandi neceſſitas in acutis unde. 38

I

ICterus quid ſit: Ejus cauſa proxima, remotæ, ſigna, prognoſis, curatio. 111. 112.
Icteri diviſio in flavum, & nigrum a Veteribus perperam tradita. 113
Icterus unde dicatur. ib.
Febribus ſuperveniens an criticus dici queat, vel ſymptomaticus. 121
Jecoris intemperies hypochondriacæ affectionis cauſa perperam habita. 81
Imaginatio fortis quomodo vomitum excitet. 6
Ejus vis inſignis ad perturbandum motum fibrarum corporis. ib.
Inflammationes inteſtinorum quomodo vomitum

mitum gignant. 5
Inflatio ventris in Cholera humida unde. 18.
Ingeſtorum nimia copia vomitus cauſa 4
Diarrhœæ. 26. 27
Choleræ. 17
Verminationis. 64
Ingeſta acria Choleræ cauſa. 27
Inflammationis ventriculi, & inteſtinorum.
Inappetentia inſignis in vomitu pituitoſo unde. 7
In verminatione. 65
Inteſtinorum convulſiva contractio quomodo Diarrhœam proxime excitet. 25. 26
Inteſtinorum membranarum ramenta quandonam ejiciantur in dyſenteria. 28
Inteſtinorum inflammationes quandonam dyſenterię cauſę, 29
Interdum blanda hęmorrhagia ſolvuntur. 42.
Ipecacuanę radix cur cęteris emeticis præferenda in vomitu. 9
In Dyſenteria eximia. 35
Diu repetenda pręſervandi cauſa. ib.
Inquietudo inſignis in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione, unde. 41
Ira ſumma quomodo vomitum excitet. 6
Interdum ſalutaris. ib.
Minus pernicialis quam cętera pathemata. ib.
Interdum diarrhœę cauſa. 27
Icteri. 116
Juniperi virtus in Scorbuto. 106
Juſculi tenerioris pulli large epoti in Cholera humida. 20

L

Lactis corruptio in Stomacho Choleræ cauſa cur. 17
Lactis uſus ad libras minus tutus in Cholera. 20
Lactis aſinini uſus eximius in dyſenteria. 36.
Mox Vaccini aqua plantaginis cocti. ib.
Lactis uſus inſignis in Colica bilioſa. 59
In hæmorrhoidali fluxu. 77. 79
Præmiſſis univerſalibus in hypochondriaca affectione. 95. 97
Cur abſorbentibus quandoque mixtus. 97
Antiſcorbuticis mixtus optimus in Scorbuto acido. 105
Cum ſpiritu Cochleariæ præſertim. 105. 106.
Vel ex decocto baccarum Juniperi. 106
In Scorbuto acri. 107
In ſalſo. 109
Præſertim ex decoctione Sarſę perillę. ib.
In ulceribus renum, ac veſicæ. 144
Lactis aquoſi ſeparatio in mammis poſt partum cur. 121
Lacca quid ſit. 109
Ejus tinctura eximia in gingivarum eroſione Scorbutica. ib.
Variæ præparationes. ib.
Lapidis percarum uſus eximius in calculis renum, ac veſicæ. 141
Qua ratione operetur. ib.
Laudanum Nepentes unde dicatur. 54
Ejus uſus eximius pillulis Paracelſi unitus in colica pituitoſa. ib.
Laudanum liquidum optimum in colica bilioſa, & hyſterica. 59
Laudani urinarii vires in ardore urinæ a calculis. 146
Laureola Choleræ cauſa, cur. 16
Lienteria quid ſit. 25
Ligna ſudorifica eximia in Scorbuto acido. 104.
In ſalſo. 107. Addita vipera. 107. 108
Ligni nephritici vis in calculis renum, ac veſicæ. 144
Limones eximii in vomitu bilioſo. 12
In Scorbuto acri. 106
Lithotriptica remedia quid ſint. 142
Cur nullius efficaciæ ad calculos conterendos. ib. 143
Si dantur, noxia veſicæ. 145
Lithotomia quid ſit. 146
Litterati cur affectioni hypochondriacæ obnoxii. 85
Lumborum dolor in calculis renum cur. 137.
Plus minus acutus, cur. ib.
In lancinantem degenerans cur. ib.
Lumbrici minus tuti in expellendis calculis. 141
Lupi voracitas unde. 4

M

Maculæ violaceæ, purpureæ in Scorbuto acido cur. 102
Magiſterium corallorum quid ſit. 77
Cur minus tutum atque efficax remedium, quam ipſa coralla præparata. ib.
Malvaceorum uſus eximius in calculis renum,

num, ac veſicæ. 141
Manna minus tuta in diarrhœa. 31
Quid ſit. 57
Cum Oleo amygdalar. dulcium in contumaci colica bilioſa eximię virtutis. ib.
Martis vires contra vermes. 70
Martis crocus adſtringens minus tutus in hęmorrhoidali fluxu. 77
Martialia eximia in affectione hypochondriaca. 93
Qua ratione operentur. ib. 126
Eorum delectus habendus. ib.
Quandonam in ſubſtantia, aut tincturę forma exhibenda.
Eorum uſui rhabarbari uſus intermiſcendus. 94
Interdum infeſta. 96
Eorum uſus in Ictero ab obſtructione. 126.
Martis tinctura quandonam adhibenda. ib.
Limatura, aut crocus dictus quandonam. ib.
Quomodo paretur, & quas vires habeat. ib.
Marrubii albi vis in Ictero. 124
Materies craſſa, viſcida, mucoſa ventriculo inhęrens quomodo vomitum excitet. 4
Acris, bilioſa quomodo. ib.
Quomodo Colicam. 47. 48
Materies elaſtica Coli finibus coercita quomodo Colicam gignat. ib.
Medicamenta pro regionum diverſitate cur varianda. 38. 39
Cur exhibenda ut a natura producuntur. 92.
Elective purgantia utrum dentur. 123. 145.
Mel quomodo alvum moveat. 31
Cur minus tutum in diarrhœa. ib.
Optimum in Scorbuto contra gingivas eroſas. 110
Mellita quomodo verminationi tribuant. 64.
Membranoſa ramenta quare ejiciantur in Dyſenteria. 28
Menſium ſuppreſſio hyſtericæ affectionis cauſa perperam habita. 59
Mentis labores cur fugiendi poſt paſtum in affectione hypochondriaca. 98
Mercurius ſublimatus, & præcipitatus Choleræ cauſa. 16
Mercurii vivi vis in colica pituitoſa. 54
Mercurius cæteris præſtat anthelminticis. 67.
Qua ratione operetur. ib.
Quacumque forma exhibitus æquales habet vires. 67. 68
Aqua coctus cur inutile remedium. 67
At nocere non poteſt.
Nunquam in forma liquida, aut pulvere exhibendus. 68
Minus tutus in Scorbuto. 104
Mechoacanæ vis in verminatione. 68
Miaſmata maligna quomodo diarrhœas excitent, ac Dyſenterias. 28
Plerunque Epidemicas. ib.
Mictus cruentus quomodo calculorum generationi tribuat. 136
Millepedum uſus eximius in Ictero. 125
Minus tutus in calculis. 141
Millium Solis minus tutum in calculis. ib.
Mœconii retentio quomodo Icterum gignat. 121
Mœror quomodo diarrhœam excitet. 27
Moleſtia circa præcordia in vomitu cur. 6
Motus per acclivia cur Veſicæ calculi Symptomata intendat. 139
Mucilagines ſeminum pſyllii, althææ optimæ in Teneſmo. 36
Murmur ventris in colica flatulenta cur. 51.
Muſtum recens Choleræ cauſa. 17
Myrrhæ virtus in vomitu eximia. 6
In verminatione. 69
Myrti vires in hæmorrhoidali fluxu.

N

NArium pruritus in verminatione unde. 66.
Narcotica caute adhibenda in ira. 130
Navis motus quomodo vomitum excitet. 6
Nauſeæ eſſentia, cauſæ, diviſio, ſigna, curatio. 1
In calculis renum cur. 138
In vomitum degenerat. ib.
Naturæ vis in calculis renum, ac veſicæ. 142.
Nephritica affectio quomodo vomitum excitet. 6
Nephritis unde dicatur. 137
Nitri uſus commodus in Cholera ſicca. 22
Maxime camphoræ unitus. ib.
In ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 44

Sed initio ſtatim exhibendum. 45
Progreſſu morbi cur vitandum. ib.
Ejus vires in Scorbuto acri. 106
In Ictero calido. 129
In Ictero ab ira. 130
Nuces Avellanæ optimæ ad calculos prohibendos. 146

O

OBjecta in Ictero cur colorata appareant. 121.
Odorum vis infeſta ſpiritibus. 90
Oleum amygdal. dulc. egregium in vomitu bilioſo. 11
Minus tutum in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 43
In colicis doloribus non ſemper utile. 53.
In bilioſa tamen præſtantiſſimum. 57
Interdum cum Manna mixtum. ib.
In verminatione interdum adhibendum. 68.
Eximium in affectione hypochondriaca calida. 96
In Scorbuto acri. 107
In calculis renum, ac veſicæ. 140
Oleoſorum vis ad præcavendos calculos. 145.
Olea ſtillata aniſorum, fæniculi, Juniperi, Cinam. minus tuta in Cholera. 22
Optima in colica pituitoſa. 55
Olei Scorpionum vis, & uſus in calculis veſicæ. 142
Ononis minus tuta in calculis. 141
Opiatum medicamentum cur poſt purgationem commodum. 10
Præſertim in vomitu. ib.
Opiata in cholera ſicca quandonam exhibenda. 21
In diarrhœa, ac dyſenteria quandonam. 31.
Abſorbentibus, ac leniter adſtringentibus mixta optime operantur. 32
Opiata ſola in diarrhœa, & dyſenteria peſſima. ib.
Diaphoreticis miſcenda in maligna dyſenteria. 34
Minus tuta in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 45
Sphacelo anſam præbent. ib.
Non ſemper tuta in colicis. 53. 54
Sola exhibenda non ſunt in calculoſa nephritide. 146
Sed diureticis idoneis mixta. ib.
Oris fœtor peculiaris ad aciditatem vergens in verminatione unde. 65
Ortus a parentibus calculis, aut podagra obnoxiis quomodo calculorum generationi tribuat. 137
Otioſa, & ſedentaria vita quomodo hæmorrhoides gignat. 73

P

PAnis toſti, & aceto imbuti vires eximiæ. 10
Vomitum compeſcendi. ib.
Panis groſſior, coliphium dictum cur Atletis familiaris. 17
Paralyſis in Scorbuto unde. 102
Paralyſis ira curata. 6
Paregorica medicamenta poſt purgationem cur præſcribenda in Choleræ curatione. 20
In curatione Diarrhœæ. 30
Cur multis laudentur cæteris omiſſis in deſperata cholera. 21. 22
Tutius eſt iis uti poſt uſum aquæ frigidæ. 22
Pareyræ bravæ vis in calculis, & ulceribus renum, ac veſicæ. 144
Partus laborioſi quomodo hæmorrhoides gignant. 73
Quomodo Icterum. 116
Partus naturalis cauſæ quænam. 121
Pavor in ſomno in verminatione unde. 66
Pectoris anguſtia in hypochondriaca affectione cur. 90
Pedum edema in immodico hæmorrhoidum fluxu unde. 74
Penis erectio in calculo veſicæ cur. 143
Perſpirationis ſuppreſſio quomodo diarrhœam gignat. 27
Perſicaria inſigne antiſcorbuticum. 103
Peſtilentes, & maligni morbi Diarrhœa curati. 29
Picæ cauſæ quænam. 87
Pillulæ Beccherianæ, Stahlianæ, Hoffmannianæ unde dicantur. 54
Quid ſint. ib.
Pillulæ Paracelſi eximiæ in colica pituitoſa. 54
Mercurio dulci unitæ. ib.
Et laudano Nepentes. ib.
Tartareæ Bontii quid ſint. 94
Earum uſus in affectione hypochondriaca. ib.

Hæ-

Hæmorrhoidali fluxui obnoxiis interdicendæ. ib.
Pillularum de fumaria, fętidarum majorum, antiſcorbuticarum Timæi, & ſimilium uſus in Scorbuto. 105
Maſtichinarum in calculis renum, ac veſicæ. 144
Pituita inteſtinalis quomodo verminationi tribuat. 65
Pondus in perinęo in Veſicę calculo cur. 138.
Potus aquę nive perfrigeratę quomodo ventriculi & inteſtinorum inflammationi tribuat. 39. 40
Proclivitas in ſomnum in Scorbuto unde. 102.
Pulſus parvi, frequentes in Cholera unde. 18.
Pulvis Algarot quid ſit. 15
Cholerę ciendę par. ib.
Cratonis quid ſit. 33
Optimus in diarrhęa, ac dyſenteria. ib.
Stomatich. Quercetani quid ſit. 55
Ejus uſus in colica pituitoſa. ib.
Pueri quomodo dignoſcantur vermibus affecti. 66
Purgantia minus commoda in Cholera. 20
Dulcia evitanda in diarrhęa, ac dyſenteria. 31
Quęnam ſint. ib.
Validiora infeſta. ib.
Quęnam eligenda. ib.
Valida ventriculi, & inteſtinorum inflammationes cient. 39
Et ſemper iiſdem infeſta in curatione. 42.
In colica quandonam locum habeant. 54.
Sed opiatis mixta. ib.
In verminatione quandonam adhibenda. 69.
Validiora quomodo hęmorrhoides gignant. 74
Aloetica in primis. ib.
Minus tuta in affectione hypochondriaca. 94
In Scorbuto. 104
Quęnam locum habent. ib.
Purgantium diviſio in cholagoga, phlegmagoga perperam tradita. 123
Quędam tamen certos humores purgant. ib.
Puſtulę in Scorbuto ſalſo unde. 103

Q

QUinquina quomodo obſtructionibus viſcerum imi ventris, atque Ictero tribuat. 118
Varię opiniones circa vim, qua febres extinguit per ſecretionem, & criſim. ib.
Si criſis non ſuccedat, pernicioſa. ib.
Qua ratione febres extinguat. 131
Mixta ſalibus digeſtivis, & rhabarbaro prętantiſſima contra Icterum ſupervenientem febribus. 132

R

RAdices aperientes quænam. 124
Earum uſus in Ictero. 123. 124
Raphanus ruſticanus inſigne antiſcorbuticum. 103
Remediorum farrago minus commoda in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 43
Reſpiratio celerrima in cholera humida unde. 18
Difficilis anheloſa vel ad levem motum in Scorbuto acido. 102
Rhabarbari virtus inſignis in Diarrhęa, ac Dyſenteria. 31
In affectione hypochondriaca. 92. 94
Interdum noxium. 96
In colica pituitoſa. 56
In fluxu hęmorrhoidali ab obſtructionibus ventris. 78. 79
In Ictero. 123. 124
Repetendum ſępe. ib.
In calculis renum, ac veſicæ. 145
Rhabarbarum ſimplex torrefacto pręferendum. 92
Rhedę motus quomodo vomitum excitet. 6
Ros infectus animalculis ex aere nocturno decidentibus Diarrhęę, aliorumque morborum cauſa. 27. 28
Interdum mortis iis, qui ęſtate Romæ degunt, aut extra Urbem dormiunt. ib.
Rubia tinctura ſingularis virtutis adverſus Icterum. 124
Rubigo, & uredo ſupra fruges, vineaſque decidua unde petenda. 28
Ructus acidi in hypochondriacis unde. 88

Sa-

S

SAccharum quomodo alvum moveat. 31
Minus tutum in Diarrhęa. ib.
Quomodo verminationi tribuat. 64
Saccharum Saturni quid ſit. 44
Cur nonnullis probetur contra inflammationes. ib.
Venenis accenſendum eſt. ib.
Inflammationis ventriculi, & inteſtinorum cauſa. ib.
Sagapenum anthelminticum eſt. 69
Quomodo agat adverſus Icterum. 125
Sal abſynthii eximium in vomitu pituitoſo. 8. 9
In vomitu bilioſo cur infeſtum. 9
Salitę carnes cur ſalita aqua facilius dulceſcant. 32
Salivę copioſa excretio in hypochondriacis cur. 89
Salivę copia in vomitu. 7
Sales lixiviales quid ſint. 92
Medii quid. ib.
Eorum efficacia in affectione hypochondriaca. ib.
Eorum uſui rhabarbari uſus intermiſcendus. 94
Quandonam noxii. 96
Salis neceſſitas inſignis. 101
Utilitas, & commoda. ib.
Salia volatilia tartari, Cor. Cer. cranii humani, viperarum ut lithontriptica nihili facienda. 142
Salſæ perillę virtus in Scorbuto. 104
Salſorum abuſus quomodo Scorbutum excitet. 101
Sandaracha Choleræ cauſa. 16
Sanguinis acredo, colliquatio quomodo diarrhęam cieat. 26
Sanguinis excretione ſola diſtingui nequit dyſenteria ab aliis fluxibus. 28
Sanguis per vaſa imi ventris tarde movetur. 72
Si copia peccet, vel craſſitie cur hęmorrhoides gignat. ib.
Sanguis loturę carnium ſimilis in hęmorrhoidum fluxu unde. 74
Sanguinis, ac ſpirituum vitia quomodo a vitiis primarum viarum augeantur. 44
Quomodo affectioni hypochondriacę tribuant. ib.
Sanguinis, atque humorum acor quomodo generetur. 100
Quas vires habeat. ib.
Quomodo Scorbutum gignat. ib.
Quomodo in acredinem degeneret. 101
In Salſedinem. ib.
Santala calefaciendi vim habent. 104
Eorum uſus in Scorbuto acido. ib.
Saponacea naturalia, vel artificialia. 125
Quomodo parentur. ib.
Saponis Veneti uſus in Ictero ab obſtructione. ib.
Sarmentorum vitis albę ſuccus inſignis in Scorbuto. 109. 110
Si aceto uniantur, & melli. 110
Eorum loco ſuccus pampinorum viridium eſſe poteſt. ib.
Saſſiphragia minus tuta in calculis. 141
Saturnina remedia intrinſecus ſumpta minus tuta. 110
Extrinſecus optima ad ulcera oris Scorbutica. ib.
Scabies in Scorbuto ſalſo unde. 103
Scammonium quid ſit. 68
Pueris purgandis aptum. ib.
Scorbutus quid ſit. 99
Ejus cauſæ, differentiæ, ſigna, prognoſis, curatio. ib. 100
Utrum Veteribus notus. ib.
Utrum frequens ſit morbus. ib.
Cur Septentrionalibus populis familiaris. 101
Iis qui vicini ſunt mari. ib.
Scyrrhus ventriculi vomitus cauſa. 4
Secretiones naturales humorum in inteſtina depluentium unde petendę. 26
Immodicę unde. ib.
Semicupium egregium in colica bilioſa, 58.
In calculis renum, ac veſicę. 140
Semina frigida eximia in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 44
Semen Santonicum egregium anthelminticum. 69
Centaureę minor. ib.
Senna minus tutum purgans in affectione hypochondriaca. 92
Senſus ventriculi gravativus in vomitu pituitoſo unde. 7
Ardoris punctioniſque in bilioſo unde. ib.
Globi ad gulam aſcendentis, & ſuffocationis in verminatione. 65
In colica bilioſa. 51
In affectione hypochondriaca. 90
Cur ſuffumigiis miteſcat. ib.

Se-

Sepię nimia copia ingeſtæ quomodo Choleram gignant. 17
Serum lactis ſtillatum cum Cichor. optimum in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 43. 44
Cum nitro præſertim. ib.
Tamarindatum eximium in hæmorrhoidali fluxu. 76
Radicibus Fragariæ, & Graminis alteratum in Ictero calido. 129
Tamarindatum ad alvum ſolvendam. ib.
Serum ſanguinis a ſalium acidorum mixtura croceum calorem inducere an poſſit. 119
Atque hinc Ictero tribuere. ib.
Seri lactis præſtantia in diarrhœa, ac dyſenteria. 30. 31
In Scorbuto acido cum antiſcorbuticis. 104.
In ſalſo ſimplex. 107
Singultus in Cholera humida unde. 18
Sitis in vomitu bilioſo unde. 7
In colica bilioſa. 51
In Scorbuto acri. 103
Sonchi vis in hypochondriaca affectione. 92.
Spaſmus hyſtericus quomodo Icterum gignat. 116
Specificum lithontripticum Valentini quid ſit. 142
Helmontii quid. ib.
Nihili prorſus faciendum. ib.
Specifica adverſus Colicam nulla. 59. 60
Spiritus anodynus mineralis Hoffmanni idem ac ſpiritus ceu olea mineralia dulcificata. 22
Minus tuta remedia in Cholera ſicca. ib.
Spirituum ataxia quomodo diarrhœam gignat. 27
Quomodo colicam hyſtericam. 48
Unde talis dicatur. 90. 91
Quomodo excitetur. 91
An hypochondriacæ affectionis unica, & conſtans cauſa. ib.
Eſſe non poſſe oſtenditur. ib.
Spiritus Cor. Cer. Sal. armoniaci anthelmintica vi pollent. 69
Spiritus acres plantarum quomodo eliciantur. 105
Quas vires habeant. ib.
Cochleariæ cæteris eminent. 105. 106
Spiritus vitrioli, nitri dulcis eximii in Scorbuto acri. 106
Spirituoſa minus tuta in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 45
Spirandi difficultas in hypochondriacis unde. 90
Stercora animalium cur multis probentur in colica. 60
Stomachi, & inteſtinorum inflationes, tenſiones in hypochondriacis unde. 88
Stomachica cur præſcribenda poſt purgationem. 19. 20.
Studia intenſa quomodo affectionem hypochondriacam excitent. 85
Suaviter olentia poſt purgationem commoda in cholera. 20
Succi pancreatici vitia quomodo diarrhęam gignant. 26
Acidus non eſt. ib. 49
Cum bile effervescere non poteſt. ib.
Succorum gaſtricorum vitia augentur a ſanguinis, ac ſpirituum vitiis. 84
Succi urticæ, hederæ terreſtris, plantaginis eximii in fluxu hęmorrhoidali. 77
Etiamſi leucophlegmatia adſit, & hydrops. 79
Sonchi, Agrimoniæ, Meliſſæ in affectione hypocondriaca. 93
Interdum noxii. 96
Subſtituendi ſuſci Portulac. Cichor. Endiv. ib.
Succinum, ejuſque ſal volatile minus tutum in expellendis calculis. 141
Sudores frigidi in cholera unde. 18
Sudoris ſuppreſſio quomodo diarrhœam gignat. 27
Suffumigia quomodo agant in convulſivis morbis. 90
Supprimentia ſanguinem minus tuta in fluxu hemorrhoidali. 75
Syrupus Kalybeatus Vvilis quomodo paretur. 93
Ejus uſus inſignis in affectione hypochondriaca. ib.

T

TAmarindi optimi in fluxu hæmorrhoidali. 77
Tanacetum, ejuſque ſal anthelminticum. 69.
Tartarea commoda in vomitu pituitoſo. 10.
Tartari vitriolati vis in fluxu hæmorrhoidali. 77
Tartarus ſolubilis quid ſit. 92

Vi-

Vitriolatus quid. ib.
Eorum vis in affectione hypochondriaca. ibid.
In Ictero. 124
Tartarus martiatus quid sit. 127
Ejus usus in hepatis obstructione. ib.
Temperamentum Melancholicum quid sit. 73.
Quomodo hæmorrhoides gignat. ib.
Tempestas calida, fervens, & sicca quomodo diarrhœam excitet. 27
Tenesmus quid sit. 25
Ejus causæ, curatio. ib.
Tenesmi causæ eędem ac dysenterię ad anum delatæ. 36
Tenesmus in vesicæ calculo unde. 138
Tenia vermis quid sit. 61
An unicus vermis sit, vel plures simul uniti ib.
Terra foliata tartari quid sit. 92
Ejus usus in affectione hypochondriaca. ibid.
In Ictero. 124
Theriacalia minus in inflammatione ventriculi. 45
Therebintinæ vapor eximius in Tenesmo. 37.
Quomodo applicandus. ib.
Therebintinæ usus eximius in Ictero ab hepatis obstructione. 125
In ulceribus renum, ac vesicæ cur. 144
Minus tuta in expellendis calculis. 141
Testiculi retractio in renum calculis cur. 137.
Timor improvisus diarrhęę causa. 27
Tinctura absinthii, calamintæ quandonam adhibenda in vomitu. 11. In affectione hypochondriaca. 95
Interdum noxia. 97
Tinctura Martis eximia in fluxu hęmorrhoidali. 77
Cum aquis Brandulensibus. ib.
In affectione hypochondriaca eximia. 93
Interdum noxia. 97
Tinctura corallorum anodyna Helvet. minus tuta. 78
Tormina Dysenteriæ signum potissimum. 29.
Graviora vacuo ventre cur in verminatione. 65
Colicam æmulantia in renum calculis cur. 138
Tormentillæ virtus in diarrhœa, ac dysenteria. 32
Tremor inferioris labii in vomitu unde. 7
Tremores in hypochondriaca affectione unde. 89
Trifolium fibrinum quomodo agat in scorbuto acido. 117
Trochisci Gordonii quibus constent. 144
Eorum usus in ulceribus renum, ac vesicę. 144
De Karabe, de spodio optimi in diarrhœa, ac dysenteria. 33
Tumor inflammatorius ventriculi vomitus causa. 4
Tumor in præcordiis apparens sub costis spuriis in ventriculi inflammatione unde. 40
Paulo inferior in inflammatione intestinorum. 41
Sub costis spuriis in hypochondriacis unde. 88
Tussis sicca in verminatione cur. 66
In hypochondriaca affectione cur. 89. 90.

V

Venena corrosiva quomodo vomitum excitent. 5. 16
Quęnam sint. ib.
Eorum effectus.
Quomodo choleram. 16
Quomodo ventriculi, & intestinorum inflammationes. 39
Venę sectio utilis in Dysenteria. 33
In ventriculi, & intestinorum inflammatione. 42
Initio statim celebranda. ib.
E contra in morbi progressu. ib.
In colica biliosa eximia. 57
In hysterica si sint suppressa menstrua. 59.
In hæmorrhoidali fluxu. 75
Utrum in Ictero locum habeat. 130
Si ab inflammatione hepatis, aut sanguinis plethora oriatur. ib
In calculo renum, ac vesicę. 140
Ex brachio primum, mox pede cur. ibid.
Ventriculus quibus tunicis constet. 3
Quo motu donetur. ib.
Consensum insignem habet cum partibus. ib.
Motus inversus quomodo vomitum gignat. 3

Ventriculi gravitas in vomitu ſanguineo unde. 7
Ventriculi, & inteſtinorum inflammationis cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 37
Veteribus innotuiſſe oſtenditur. 38
Non adeo frequens eſt, ut vulgo creditur. ib.
Cur in ſphacelum facile tranſeat. 41
Acutiſſimus morbus eſt. 42
Quomodo in vomitum aut dyſenteriam purulentam deſinat. ib.
In Aſcitem quomodo.
Veronicę virtus in ulceribus renum, ac veſicæ. 143
Vermes quomodo vomitum excitent. 5
Vermium genera, cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 60. 61
Vermes ubique reperiuntur. 61
Frequentiſſime in Ventriculo, & inteſtinis cur. ib.
In tenuibus cur teretes. ib.
Lati quinam dicantur. ib.
Vermes utrum ex ovulis inſectorum gignantur, an ex minimis ovis nobis connati ſint. 62
Verminatio cur hæreditarius ſit morbus. 63.
Cur magis familiaris iis qui duram habent alvum, quam qui fluidam. ib.
Vermium excretio per os ſignum verminationis certum. 66
Vertigo in vomitu unde. 6. 7
Victus ratio optima inſtituenda in Dyſenteria. 36
Ex quibus deſumenda. ib.
Præpoſtera infeſtiſſima in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione. 45
Diligens inſtituenda præ cæteris morbis. ibid.
Commoda etiam in affectione hypochondriaca. 98
Viæ ventriculi, & inteſtinorum commodiſſimæ ad ſanguinis maſſam depurandam ab inquinamentis. 18. 19
Vini malvatici uſus eximius in vomitu. 10.
Vinum in ſtomacho lacti commixtum quomodo choleræ cauſa. 17
Vini maturi odoriferi, & calidi uſus commodus in cholera. 23
Confortandi vim ſummam habet. ib.
Aliæ facultates. ib.
Vini Meraci virtus in dyſenteria. 36
Vini Abſyntites in colica pituitoſa. 56
Vini abſtinentia ſummum quandoque hypochondriacæ affectionis remedium. 95.
Vinum poetis amiciſſimum. 23
Vino interdum aqua ſubſtituenda. 11
Vinum rhenanum optimum ad tincturas Martis eliciendas cur. 94
Vina acida cur calculorum generationi tribuant. 136
Vipera qua virtute donetur. 107. 108
Ad cutaneos morbos plurimum valet. 108. Ad ſcorbutum. ib.
Ad malignos. ib.
Quandonam infeſta. ib.
Innoxia ſaltem ſi caute adhibeatur. ib.
Viperæ venenum inter cętera Animantium venena eminet. 120
In Italia minus virulentum.
Ejus virus nonniſi per morſum infeſtum, ibid.
Quomodo Icterum gignat. ib.
Virga aurea minus tuta in calculis. 141
Vita ſedentaria quomodo calculorum generationi tribuat. 136
Vitia primarum concoctionum quomodo ſanguinem, ac ſpiritus inficiant. 84
Vitrum antimonii quid ſit. 15
Choleræ excitandæ par. ib.
Vitrioli vires contra vermes. 70
Vitriolata externe applicata eximia in hæmorrhoidali fluxu. 75
Vitrioli colcothar cæteris præſtat. ib.
Baſis eſt aquæ ſtipticæ Lemerii. 76
Interne adhibita minus tuta. ib.
Vitrioli vis in Scorbuto acri. 106
Ulcera in Scorbuto ſalſo unde. 103
Vomitus quid ſit. 1. Ejus cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 1. 2
Vomitus differentia a nauſea in quo conſiſtat. 3
Vomitus diviſio in idiopathicum, & ſympatichum. 3. 4
Vomitus ſalutaris quinam. 7
Cachecticis, & febribus intermittentibus ſuperveniens. ib. 8
Vomitus ſanguinis Menſtruis ſuppreſſis parvi faciendus. 8
In gravidis æque. ib.
Abortum tamen ciere valet. ib.
Vomitus materiæ tenacis unde. 50. 51
Acris e contra, unde. 51
Etiam in colica hyſterica, bilioſa. ib.
Vomendi conatus, & vomitus in hypochondriaca affectione unde. 88. 89

Graviores jejuno ſtomacho, & a paſtu cur. 80
Vomitus in Scorbuto ſalſo cur. 103
Urina rufa in colica bilioſa unde. 51
Tenuis, limpida in hyſterica cur. ib.
Modo ſuppreſſa, modo copioſior in verminatione cur. 65
Urina limpida, & inſtar aquæ in hypochondriacis unde. 88. 89
Urinæ oleoſæ variique coloris in Scorbuto acri. 103
Urina tenuis, aquoſa, ſubcruenta in renum calculis quando. 138
Ejus ſuppreſſio quando. ib.
Turbida arenam, ac ſabulum deponens cur. ib.
Copioſo muco, & arena ſaturata in calculo veſicę. 139
Urtica quibus conſtet principiis. 77
Eximię virtutis ad ſanguinem ſupprimendum. ib.
Uvæ corinthiacæ minus tutæ in Diarrhœa. 31.
Vulnera capitis quomodo Icterum gignant. 125.

FINIS.